ARS POETICA
EXEMPLIS ILLUSTRATA

A B

EMMANUELE DE AZEVEDO

INTER ARCADES

NICANDRO JASSEO.

TOMUS I.

Spectatum satis , & donatum jam rude quæris
Dulcis amice, iterum antiquo me includere ludo.

Hor. Ep. I. lib. I.



VENETIIS MDCCLXXXI.
APUD HÆREDES COSTANTINI.
SUPERIORUM PERMISSU.

AD EFFIGIEM

POTENTISSIMÆ MOSCORUM IMPERATRICIS

CATHARINÆ II.

Quam Vates domi suæ servare gloriatur.

EFFIGIES Augusta Deæ, quæ munere cæli
Regna immensa beas septem subjecta Trioni,
Non mihi concessum venerari cominus astrum
In commune bonum populis felicibus ortum,
Ornamentum orbis, lapsis optabile seclis
Exemplum, nostro decus, invidiamque futuris.
Ut levis umbra solet latitantem ostendere Phœbum,
Dum nubes sese opponunt, minuuntque nitorem,
Sic tu parte aliqua raras in imagine dotes
Exprimis, & nostris affers solamina votis.
Sublime ingenium, mentis decora alta capacis,
Magnanimique ausus, Pietas, Clementia, Candor

Tralucent, sacrum inspirant reverenter amorem.
Hæc Fama attonitum vulgat diffusa per orbem,
Hæc bibulas crebris implent sermonibus aures,
Et facile agnoscunt omnes, sed plurima vates
Noscimus, æternæ monumenta perennia laudis,
Noscimus elata tecum una lance sedentem
Justitiam, ut minuat justas in crimina pœnas,
Ingenitum populis infundere legis amorem.
Regnat in ore decus, Gravitas augusta supremum
Nobilitat generosa thronum, sedet inscia fraudum
Fronte hilari tranquilla Quies, Pax candida ridet
Interius bellis sæpe acquisita remotis.
Ostendit rutilis circum Victoria pennis
Vexilla, & virides spargit toto æthere lauros.
Utque Aurora diem, qualis medio axe nitescet,
Indicat, in Magno incepit sors provida Petro
Immenso Imperio decus addere, cui tua debent
Regna oculos aperire, & longum expellere somnum;
Concipere illustres ausus, acquirere nomen,
Præstare ingenio, proprias agnoscere vires,
Induere & cultos mores, excellere in arte
Bellandi, dubios nautis agnoscere ventos,
Condere victrices, & in æquora mittere naves.
Bellica nec tantum fuso tormenta metallo,
Et reliqua instrumenta necis, sed nascier Urbes
Improviso ortu, & diversis cognita ventis,

Longinquo maria ampla ſinu per inhoſpita ſylvis
Antra penetrare, & rerum ad commercia jungi
Mirata eſt, ſuperumque agnoſcit Ruſſia donum.
Attamen incœptam generoſo culmine molem
Perficere una potes; quæ Maxima jure vocaris;
Nam quas Magnanimo volvebat pectore curas
Petrus honor Regum, cælum decrevit ut olim
Fœmina compleret, dotesque, amplumque parabat
Ad magna ingenium; dono venit illa ſuperno,
Quamquam eſſet peregrina ortu, digniſſima ſceptro;
Ad quod vota hominum, jura, & merita ampla vocabant.
Sed cum ſcindantur ſtudia in contraria gentes,
Non cunctis arriſit honor, quo Ruſſia gaudet.
Ah miſeri! quis corde timor, quis pallor in ore
Exagitat disjectum animum! ſuſpiria morti
Prævia vos lacerant, quæ mens minitantia fingit
Fulmina, vos ſumno lapſos a culmine terrent.
At revocate animos; regnat Clementia, regnat
Neſcia vindictæ ſolio CATHARINA ſupremo.
Non crucibus fora mœſta horrent, nec inhoſpita longum
Aſpiciet nivibus miſcere Siberia fletum.
Vita quidem cunctis, multis ſervantur honores,
Immo etiam cunctis dextræ benefacta benignæ
Ancipites animos mira dulcedine ſedant.
Vive diu felix, Regnantum maxima, vive,
Vive diu felix, jam tota Europa fatetur

Quod nova conſilia, atque novas in pectore ſervas
Mille juvandi artes, viſa eſt Clementia tecum
In ſolium aſcendiſſe, & ſe extra extendere regna
Imperio ſubjecta tuo; ſic Phœbus ab ortu
Cuncta ſolet recreare; ardent odia aſpera terris,
Terribilique furens circum Bellona flagello
Regna metu implerat, terras fœdarat, & undas
Sanguine, ſed Pacem mittis, quæ nuntia narret
Te ſolio regnare, animis inde exuat iras;
Illa volat, Dominæque libens mandata faceſſit.

Quin etiam quicumque novus ſibi rura colonus
Appetit, huc properet; nam toto extenditur orbe
Munifico CATHARINA animo; ſpatia ampla locorum
Sponte offert, numerumque augere habitantibus optat
Immenſo imperio, & vigilantibus addere curis
Materiam, ut plures valeat ſtudioſa juvare.

Sed qui forte auſit Regni turbare quietem,
Pœnituiſſe opus eſt: belli inſuperabile fulmen
Odryſii ſenſere hoſtes, radiantia tela,
Et ſcuta, & gladios, tormentaque bellica vidit
Euxinus, læto implebant quæ litora tractu:
Quin refluis undis ſubſiſtere vidimus Iſtrum,
Quærere nec ſalſum bis ſeno flumine pontum
Dicitur, ut caſtris ripas, populoſque timore
Impleri, & trepidæ palleſcere cornua lunæ,
Ut Ruſſorum animos, & prælia prima notavit.

Arri-

Arripit inde viam; atque ſtuporem in gaudia vertens
Prævidet extremam, quam tandem fata parabunt,
Turcarum Imperio jam jam adventaſſe ruinam.
 Parte alia Nomenque Tuum, vexilaque vidit
Græcia velivolas agitare per æquora naves;
Vidit, & obſtupuit: quod vix venientia credent
Sæcula, poſſe unquam fieri quod lapſa negarent;
Sed melius noſcent, quæ te, CATHARINA, capacis
Mentis opes decorant; non ad Garamantas & Indos
Inſuetam bello gentem tua dirigis arma;
Non prius ignotas juſſiſti nare per undas
Orbe novo naves, quas dum miratur euntes
Turba rudis, ſtupefacta ſilens, deſcendere cælo
Fingit, & hæc ſuperos habitare palatia Divos.
Sed contra Turcas, & formidabile bello
Hirſutum genus, & populum per tela per ignes
Irruere audacem, terraque, marique potentem,
Ipſorum in gremio; venturi certa triumphi,
Qua via nulla fugæ, claſſes toto æquore mittis.
 Concipere hæc animo magnum foret, at ſimul una
Exequeris, nec Te prudentia cautior æquo
Illaqueat, timor ignavus non juſſa retardat,
Non via difficilis, diſtantia nulla locorum,
Quaque jubes, præit auratis Victoria pennis,
Arma hebetat, frangitque animos, & territat hoſtes.
 Quid referam latas concepto in codice leges

Mentis opus vaſtæ? ut variis regionibus aptæ;
Indole diverſa populis miro ordine rerum
Conveniant, lites minuant, ſumptuſque, doloſque
Litibus, & nocuas ad tempus inutile cauſas.
Quin timuiſſe minus pœnam, quam criminis umbram
Edoceant; populorum animos ad mitia ducant.
Non tormenta reum affligent, ut vera reponat,
Ne ſubeat certam dubio pro crimine pœnam;
Nam cum præſentes curat vitare dolores,
Nil ultra obſervans facta, atque infecta fatetur.
Hic Procerum ſervatus honor, ſub lege quieſcit
Tutus Inops, quem nulla unquam violentia lædet.
Invenit optatum ſtudioſa induſtria calcar,
Inveniunt certum rerum commercia lucrum.
Sed prodeſſe parum poterant, niſi ſumma poteſtas,
Et maternus amor, ſimul & vigilantia (moles
Ut vaſto Imperio radicibus hæreat imis)
Unirent ſocias concordi fœdere dextras.
Hoc mage mirantur populi, nam commoda temnens
Non ſibi, ſed populis vivit CATHARINA regendis.
Non quæ Regali facile excipiuntur in aula
Otia, non recreare animum, non fallere tempus
Occupat intentas aliorum ad commoda curas.
Nulla dies oritur, qua non patienter in horas,
Quæ firmanda paret, maturo examine pendat.
Atque aſſueta ſimul doctos evolvere libros

Nocturna verſare manu, verſare diurna;
Inſtruit illa animum, & gaudet ſine voce doceri.
Conſulere & plures amat; hunc ſapientia dignum
Conſilio, atque alium longa experientia reddit.
Sic propria virtute poteſt merita ampla notare,
Præmia dividere, & certas præſcribere normas.
Sic ſtudiis gravibus, ſtudiis quoque floret amœnis
Plurima communi celebrata Academia plauſu,
Exornatque novis vaſtas ſapientibus urbes.
Unde viri celebres, toto clariſſima mundo
Nomina, nativos gaudent mutare Penates;
Munifica ut dextra, & tanto ſplendore fruantur;
Attamen hæc reliquis laus eſt, & gloria major;
Publica ſeu belli, paciſque negotia tractet,
Egregios audire viros, quos mente ſagaci
Conſulit, & quod pondus habent ſuffragia; noſcit.
Solus enim Princeps regnat, ſed munia ſceptri
Dividere, & ſocios curarum adhibere miniſtros
Eſt opus, & qui cuncta nequit diſcernere viſu,
Cogitur heu! Princeps alieno fidere teſti.
Hanc tibi felicem peperit Prudentia ſortem
Prudenter primum eligere, & prudentius uti
Talibus auxiliis, juvat experientia rerum,
Semper & intentus mentis vigor: ac ſimul illos
Cuncta notare doces, quas conſuluiſſe videris,
Agnoſcens animi affectus, & mentis acumen.

Quos Oratores etiam regna extera mittunt;
Nativo sermone vales audire loquentes;
Te Civem putat esse suam, quicunque supremum
Ante thronum sua sensa aperit, miratus eadem
Cultura eloquii Te respondere paratam,
Sic dolus omnis abest, mora nulla negotia differt.

Quin etiam in mores vigilat CATHARINA suorum,
Exemplo præit, atque animos regionibus amplis
Concilians, dulcem inspirat virtutis amorem.

Usus avis quondam ignotus, quem morbida luxu
Dicitur elapso peperisse Lutetia sæclo,
Uxorem prohibet comitem simul esse marito,
Qui sponsæ alterius partes famuletur in omnes.
Vir quoque, vix servus prope limina nobilis adstat,
Sponte loco cedat, tectumque, laremque relinquat.
Tradita venali sic cura domestica servo est,
Nam vitii fomes, jacturaque temporis omnem
Occupat, enervatque animum, & torpescere cogit.
At CATHARINA bono populorum intenta sagaci
Invigilat cura, ne plurima gignere morum
Damna queat nocitura lues; & provida noscit
Quam juvet a solio minimis attendere rebus.
Sic docet exemplo nunquam revocabile tempus
Pluris habere, atque utilibus expendere curis.

Aspicis avulsos, quamquam radicibus altis
Hærebant lusus, in queis fortuna triumphat,

Nullus

Nullus & ingenio locus eſt; alimenta voracis
Subdola avaritiæ, vitiorum immenſa propago,
Raptores auri, nunquam ſatiata cupido,
Peſtis opum, infames luſus, queis Ruſſia luxit
Preſſa diu; nunc immenſis diſcedere regnis
Læta videt, nullum vitio ſervatur aſylum
Reginæ Auguſtæ ſtudio; nec plurima paſſim
Apta avidos recreare animos ſpectacula deſunt
Innocua, & populis curarum dulce levamen.
Nil mage difficile eſt, quam mutua fœnora nodo
Aſſociare uno; & reditus augere ſuorum,
Atque ſuos augere ſimul; tempuſque, ſitumque
Noſcere, quale hominum ingenium; quas mittere merces
Conveniat, quas externis perquirere ab oris,
Quos juvat ante alias e terra educere fructus,
Quaſque urgere artes, quæ ſedes cuilibet arti
Commodior, quibus auxiliis Induſtria creſcat;
Dumque aliis augentur opes, augentur & ipſis
Regibus, & faciles in publica commoda cedunt.
Sint etiam primis rerum inventoribus apta
Præmia, quæ lucro ſtimulent, & honoribus ornent;
Non tamen in ſimili ſeſe exercentibus arte
Officiant, quin merce pari ſua quærere lucra
Evaleant, virtus ſic æmula concipit auſus.
At ſive ingenii partus, ſeu bellica virtus
Ornetur donis, ſumptus ſeu larga profundat

Majeſtas, addatque ſuos privata voluntas;
Extruere aut vaſtam, quæ ſurgat in æthera molem,
Aut præbere avidæ placeat ſpectacula plebi,
Principis eſt magni juſtam præſcribere metam,
Ut ſemper generoſa manus, ſed prodiga nunquam
Spargat opes, ventura animo, & præſentia volvat.
Has CATHARINA animo curas in pectore verſas,
Nec tenues curas, ſed dignas Principe noſcis,
Regali præſcripta animo, non meta videtur:
Præſcripta, utilitas poſcit cum publica ſumptus.
Litora vos pelagi, vos dicite fluminis oræ,
Magnæ Urbes, ſtratæque viæ, vos dicite regna
Queis amor in populos, Majeſtaſque ampla refulget
Expenſis; tot enim largam oſtendentia dextram
Concelebrare quidem, ſed non numerare poteſtis.
Deerat adhuc Magno monumenta perennia Petro
Erigere, auctorem venturæ extollere molis.
Ille quidem, qui prima tuæ fundamina laudi
Diſpoſuit, magno eventu dum vota ſecundas,
Et comples, quas ille animo conceperat auſus,
Ille quidem ſtatua erecta tibi jungat honorem,
Et pariter Petrus, & pariter monſtreris in illa.
Ut radio pictore ſolet jam proximus undis
Sol nube adverſa formare parelia lucis,
Solis ad inſtar eris, major quoque Petrus habetur
Luce tua. At video montem per prata per unda

Im-

Immenſum adduci montem, oblituſque videtur
Ponderis! at CATHARINA jubet, vehiturque libenter
Regalem factura baſim vaſtiſſima rupes!

Non Ægyptiacas Romana potentia quondam
Pyramides, longaſque immenſa mole columnas
Per dubium pelagus traxiſſe a montibus altis,
Et dominam exornaſſe Urbem, fora, balnea, templa
Jactitet, ars noſtro ſi perdita creditur ævo,
Ruſſia nunc omnes inſtaurat & invenit artes:
Indigena hic magnos, atque advena concipit auſus:
Et viget ingenium, & penetrabile mentis acumen;
Tantum Regnantis ſe ſpargit ad omnia virtus!

Hactenus attigimus laudum decora ampla Tuarum;
Attigimus tantum: ulterius penetrare, negatur
Vulgari ingenio, radiantia lumina Phæbi
Sola quidem fixo intuitu Jovis aſpicit ales.

Hæc ego ſæpe tua ſtupefactus imagine miror,
Hæc ego, quæ Vates mirari poſſumus; at laus
Major adhuc ſupereſt, quam cunctis monſtrat imago.
In miſeros pietas, & qui tralucet in ore,
Dulcis amor; diſtat miſeris procul aula querelis,
Majeſtaſque ignara pati, ſuccurrere differt
Sæpius, & ſolio ſplendeſcens ſemper ab alto
Inſtillare ſolet populis auguſta timorem
More ignis; micat ille procul, ſed proximus urit.

Quin tamen amittat juſtas Reverentia leges,

Quiſ-

Quisquis adire cupit, nam quisquis noscit amari,
Noscit, amatque simul: Proceres lucrantur honores.
Providam egenus opem; non irrita volvere certus
Vota animo; quin non questi infortunia sortis,
Quin etiam absentes (dictu mirabile!) noscunt
Extensam ab benefacta manum; generosa Voluntas,
Cor tenerum, & vigilans præcedit vota suorum.

Dicite Mortales Magni sensa intima cordis,
Regalem miserendi artem! Grave fulmen ab alto
Intonuit, fratresque meos in funera duxit.
Sæpe animus meminisse horret, nam millia septem-
Tertia pars ruerat; cuncti ludibria sortis
Dispereunt, pulsique domo sine lege vagantur
Incerti, afflicti; neque erat spes ulla salutis.
Sola vigil Mater Regina Augusta dolentes
Prævenit, & dextram non exorata benignam
Extendens, tuta incolumes statione relinquit;
Ut dolor abscedat, verbis solatur amicis;
Ne timor excruciet, Regali protegit umbra;
Protegit, atque illis quotquot sua regna tenebant,
Nec tonitrum nocuisse sinit, nec fulminis iram.

Oh Pietas, majorque tuo constantia sexu!
Quam non tempus edax, quam nulla abolere vetustas
Nec rerum casus poterunt a corde meorum
Deterere, imo etiam, si quid mea carmina possunt,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Vive diu felix; namque ut tibi Neſtoris annos
Numina concedant, votis expoſcimus omnes.
Nunc etiam permitte tuo ſub Nomine noſtra
Carmina vulgari, tanto ſplendore nitorem
Accipient, & digna legi tanto Auſpice fient.
Interea oh magnæ ſoboles dilecta Parenti,
Imperii pariter, Virtutum, & Sanguinis Hæres
Magnanime o Princeps, exempla domeſtica felix
Volve animo, non externos inquirere faſtus
Et opus, ipſa oculis ſubjecta fidelibus hærent
Firmius, hinc Regna Europæ exoptabilis hoſpes
Dum luſtras, & digna Tibi comes addita Conjux
Indole Regali, & morum dulcedine clara,
In qua virtutes æquat præſtantia formæ,
Dumque oculos, & corda rapit Par Nobile plauſu
Unanimi, Italiamque beat, ſit maxima laudum,
Quod Magnam in Nato lætemur noſcere Matrem.

Hæc tu ſenſa animo inſpiras; quæ mira notavi;
Me ſtimulas celebrare metro, mihi proxima ſemper
Regia virtutum ſedes, & nobile calcar
Auguſta effigies, vatemque domumque decoras,
Et dum geſta offers omnem exſuperantia laudem
Geſta perenne dabunt nova laudibus argumentum.

In occasione che si eresse in Peterburgo per ordine della gloriosa Imperatrice Regnante la Statua di Pietro il Grande

SONETTO Di S. E. Girolamo Ascanio Molin.

CHE parte di ardua Roccia, immensa mole,
Galleggi in su gl' instabil flutti, e varchi,
Onde del busto del Gran Pier s' incarchi,
Cui sculto almen la Russia ammirar vuole,
Ben ciò il raro suo merto esiger puole,
A cui del freddo Polo i sol Monarchi
Non cesser, ma quelli anco, a' quai men parchi
Largio il Ciel rai di fecondante Sole;
Pur l' ombra sua da l' Urna il capo ergendo
Al Colossal spettacolo stupìo,
E invido il guardo un tratto in su tendendo:
Fu magnanimo (disse) anco il cor mio;
Ma a paro del poter, che in te comprendo,
Donna, alzar non osai pure il desio.

Ex Libro: Epigrammata selecta Heroica ex Hetrusca lingua in Latinam versa, seu: Raccolta de Sonetti scelti &c. *a nobis edito, pag.* 140. *Ad Effigiem Potentissimæ Moschorum Imperatricis CATHARINÆ II. Epigramma.*

Te decus Heroum si sæcula prima tulissent,
Prima Deas inter connumeranda fores.
Fabula sed veras confunderet addita laudes,
Et dubiam in multis redderet Historiam.
At modo, cum nobis cultissima nascitur ætas,
Ipsa venis ævi gloria summa tui.
Mensuramque imples tam magni Nominis, ullam
Quin partem in factis fabula habere queat.
Prælusit Natura aliis, divisa per omnes
Quæ dedit, in Te una colligere instituit.
Plurima debuerant lento decurrere passu
Sæcula, queis tantum perficeretur opus.

De Magno Petro vide in nostra Venetæ Urbis descriptione *Lib. XI. a v.* 492. *De Maxima CATHARINA vide etiam infra pag.* 305. *a v.* 171. *& pag.* 387. *per totam.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

CUm Poema Heroicum de Venetæ Urbis descriptione duodecim ibris comprehensum, & alium Libellum de Selectis carminibus ex Italica in Latinam linguam translatis anno elapso ediderim, mirati sunt plurimi hominem ob studia Ecclesiastica non omnino ignotum in Republica Litteraria, ex Theologo devenisse Poetam. Siquidem Benedictus XIV. Vir vere Maximus omnia sua opera mihi recognoscenda, & in unum corpus colligenda commisit, ut ipse testatur in præfixis operi Apostolicis litteris, imo honorificentissimo Encomio (tanta erat humanissimi Pontificis in me benevolentia) Sacrorum Rituum Consultorem me creavit, ut in ejus Bullario legitur. Unde Plurimi mihi persuadere conati sunt, ut Appendicem ad ejus opera, in qua de Divino Officio & SS. Missæ Sacrificio plusquam centum exercitationes exhibeo, & ab aliquot annis sub prælo est, potius expedirem; experientia edoctus, quam illustre sit Lambertini nomen, ut ex Synopsi ejus operum quam Romæ edidi, satis constat, repetitis Venetis Editionibus. At illud opus cum propriis sumptibus edere nequeam, typographum urgere possum, non cogere. Interea ad otium evitandum amænioribus studiis aliquot temporis particulas sacrare non improbandum arbitror.

Amicorum igitur suasionibus Artem Poeticam (si ita appellari licet) anno 1740. publicæ disputationi expositam, iterum recusam tibi exhibeo, Lector Be-

nevole. Non pauca invenies, ad ſtudioſæ juventutis inſtitutionem opportuna ſatis, de Carmine præſertim Heroico; plura inutilia tamen & delicatiſſimo recentiorum palato inſulſa videbuntur nonnemini; ea vero ad qualemcumque animi recreationem, & puerilium ingeniorum, quæ nucibus his, & cupediis allici ſolent, exercitationem, non omnino inepta reperientur. Quin ea non omnino eſſe improbanda leges in notis ad Spectaculum IV. §. 1. Severiora ſtudia, quibus per quatuor & amplius luſtra me totum immerſi & ſubſequentium temporum calamitates atque anguſtiæ pueriles jocos novis curis recoquere, & caſtigare ad unguem prohibuerunt. Notabis forſan temerarium nimis tot puncta & quæſtiones in arte poetica, ſeu Poeticæ facultatis Amphitheatro, ut tunc appellare placuit, publicæ diſputationi expoſitas fuiſſe in Univerſitate, in qua Theſes triduo ante diſtribui ſolent circa 400. exemplaria, neque prævideri poteſt qui arguent, & quid impugnandum ſeligent; Sed Juvenili ardori parcendum, *& magnos laus eſt tentaſſe triumphos.*

Artem poeticam appello exemplis illuſtratam, ſiquidem omnis generis poemata ſubjungo illo eodem tempore concinnata, pauca quidem ex multis, quæ terra, marique jactato ſuperfuerunt: alia item ingraveſcente jam ætate conſcripta; in primis maturitatem fortaſſe, in poſtremis poeticum ardorem quiſquam requiret. In antiquioribus illis plura invenies in laudem illuſtrium virorum ejus familiæ, in qua me maximam ætatis partem exegiſſe glorior; Laudare enim viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua Divino etiam admonemur oraculo. De horum tamen Heroicis virtutibus, illuſtratio-

tionibus, miraculis, quæ scribo, cuncta humana dumtaxat fide digna, & juxta summorum Pontificum Decreta intelligenda volo; quorum observatione & cultu nihil mihi est, aut fuit antiquius.

Neque me maledicendi animo dictum existimes, quum leges, tam Romæ quam in Lusitania fuisse discussum qua essem pœna mulctandus, qui carmina vernaculo sermone scripsissem; Deridiculum namque id existimabit nonnullus; id ego vero ejus qua cum vixi; gentis laudi & commendationi maximæ tribuendum existimo; nam quo morum candore, quæ vitæ innocentia atque austeritate præditos fuisse oportuit viros illos, apud quos Vernacula poesis crimen habebatur; quasi vel esset Sacris Studiis parum consentanea; vel illa abuti facile possent studiosi juvenes? nimirum graviores maculas inde abesse necesse est, ubi vel levissimæ deprehenduntur. Anne ridiculum dicemus Hieronymum; quod Comœdos legerent, Sacerdotes arguentem? Ridiculum Gregorium, qui Viennensem Episcopum ab Lectione Virgilii verbis gravissimis deterruerit? Ridiculum Augustinum, semet reprehendentem, quod Poetica descriptione commotus fleverit: *Didonem extinctam, ferroque extrema secutam?* Ridiculos Carthaginensis IV. Concilii Patres, qui gentilium libros Episcopis prohibuerunt legendos? Religiosas Musas nonnisi res Divinas canentes audiri solum in Templis Majores nostri voluerunt, unde Vernaculus exulat sermo. Latinas ad ingeniorum culturam in scholis admittebant; sed in aliquibus Provinciis sententia invaluerat Vernaculas facile depravari posse, & ad minus casta argumenta diverti; cum opportunius foret, ut pleræque Provinciæ optime censebantur, juvenes nativi sermonis elegantia tam ligata quam so-

luta oratione acurate instruere, eos tamen, jam a teneris annis pietatis sensu imbutos, ne ingenio abutantur, deterrere.

Jam vero cum amicis dumtaxat morem gerere mihi fuerit propositum, pauca exemplaria Typographo cudenda injunxi, qui enim poeticis delectantur, poetas habent celeberrimos, cum quibus sum nullo modo comparandus. Hos inter dum juvenis Carmina in communem utilitatem proponere volui, Sanazarium a minus honestis expurgatum edidi, additis librorum argumentis; propria quippe proponere erubescerem.

ARS POETICA
EXEMPLIS ILLUSTRATA.
LIBER I.

Eo titulo, quo ampulatus sum in arte Poetica olim edita, eundem nunc recudere opportunum arbitror; neque aliquid ex prima editione immutare. Non ea tamen typorum elegantia, & Magno in folio, ut publicæ Theses exigebant, sed parvo in Libello ad commodiorem Lectoris usum.

AUGUSTISSIMÆ D. D. MARIÆ ANNÆ DE AUSTRIA PORTUGALLIÆ, ET ALGARBIORUM REGINÆ,

GRATUM OBSERVANTIÆ MONUMENTUM D. O. C.

Poeticæ Facultatis Amphitheatrum in quo Omnigenæ Eruditionis Spectacula politioribus exhibentur ingeniis; Dirigente P. Mag. Emmanuele de Azevedo Societ. Jesu, Rhetorices Professore, explanaturus Joannes Teixeira de Carvalho, in Regali Purificatæ Virginis Collegio Convictor, & in Militari Christi Ordine Eques Professus, Eborensi Academia, Spectante in Aula Regia, integra die 28. Maii. Annuit R. P. ac S. D. Joannes Garcæam Societ. JESU, Academiæ Cancellarius. Quæstio Honoraria: Quid Musis gloriosius: Augustissimæ Reginæ laudibus ancillari; an illius patrocinio ad summum gloriæ thronum conscendere?

AD NOBILISSIMOS *AC* SAPIENTISSIMOS

ARGUENTES.

CUM primum regalia hæc Musarum domicilia salutavi, Poeticæ facultatis rudimenta positurus, adeo illarum contubernio, in quod peramanter exceptus sum, gaudere cœpi, adeo eruditionis studio captus est animus, ut nihil exinde omiserim, quo ipsarum illecebris promptus obsequerer. Videbam scilicet a Musis amari adolescentem me, futurumque mortalium ingratissimum, nisi Virgines casto, qui res sacras decet, amore prosequerer, & dispersas aliunde curas illuc prorsus impenderem. Hæc causa studii non intermissi, atque pervigilis. Ad hæc mihi promissor eram (ut quisque sibi grandia fingit) fore tandem aliquando, ut ultra ætatem sapiens, non jam balbutire, atque ineptire cum pueris, sed eo uti sermone possem, quo solent Musæ. Spem augebat istam, quod longum iter per præcepta compendiarium fecerat R. ac S. Magister meus: etenim, ut est pro suo munere tractandis hujusmodi ingeniis addictus, ita instillavit præcepta, ut non tam doceret, quam manuduceret, suisque vestigiis inhærens puerile ingenium ad Parnassum, qua facilior est aditu, tandem deduxerit. Hic ego prima artis tentamenta expertus, præeuntis Moderatoris modulis succinens, elato deinde carmine, sacratiorem salutavi Palladem, ipsi me, meaque dicavi omnia, certus, quod universa Mercurialium virorum natio habitura me esset in pretio, si semel in illius clientellam fuissem intime receptus. Habetis prima laboris auspicia: deinde, prout se dabant, argumenta varia prosecutus, edideram multa varii generis, metrique poemata, quæ Præceptor meus non censoria virgula mutilaverat, cancellaveratque; sed adhibita salutari litera, judicaverat non

iratis

iratis Musis nata. Igitur statui publico testimonio comprobare, quem Musis debuerim cultum, ornatumque puerilis ingenii, quantumque Societati JESU obæratus vivam; quod, Ipsa monstrante viam, ad Musarum, ipsiusque Apollinis familiaritatem inductus sim.

Quoniam vero hoc, qui se convolvit, anno nulla, ubicunque Musis est sedes, silebunt Theatra, ut Societatem secundo jam sæculo florentem dilaudent, decrevi ipse Societatis laudes non prætermittere. Accessit illud quoque, quod meum etiam Regale Purificatæ Virginis Collegium (cultissimam virorum sapientissimorum officinam volui dicere) eadem tangit gloria. Igitur pro sæculari carmine Poeticas hasce Theses propugnaturus, ingenio licet tam infirmo, quam puerili, descendo.

Adversarios autem his certaminis legibus provoco, seu invito.

Problemata curiosa, quæ Thesibus interferuntur, utranvis partem approbet arguens, discutiam stando a contraria parte. Theses singulas, præter exempla, quæ subjungo, comprobabo, tum antiquiorum, tum recentium Poetarum usu, tum etiam exemplis ex proprio Marte confectis. Pro quibus argumenta seligo, quæ sequuntur. I. Magnæ Matris laudes, ob susceptum Societatis patrocinium, cujus ergo Societas ipsa, & virtutis, & sapientiæ fama per geminum hucusque sæculum effloruit, vicissimque in grati animi pignus Marianum cultum promovet, & laudem. II. S. Ludovici Gonzagæ Soc. JESU laudes, qui primo sæculo virtutibus Societatem illustravit, secundo vero SS. numero addictus, & studiorum Patronus designatus, quippe ab eadem Societate semper habitus in deliciis. III. S. Joannis Nepomuceni laudes, quem Societas hoc secundo sæculo præcipuum sibi Patronum adscivit, elegitque. IV. Argumenta aliunde corrogare nefas est; ubi ipsa sunt oculis subjecta fidelibus. Intra hæc Academiæ marmora plura vigent laudum argumenta. Nulli aut virtutum, aut sapien-

tiæ profectu, toto hoc sæculo Academia Eborensis primas detulit. Virtutum sunt præclara quidem exempla; illud vero non prætereundum: quatuor JESU Societatis Milites Romanam Fidem, fuso sanguine, ac vita professi sunt; & martyrii laurea insigniti ad Cælitum subsellia feliciter conscendere. Festinato siquidem ad Superos gradu, ut secundum Societatis sæculum tot inter præcedentes Heroas mature celebrarent, decesserunt, quod non alia, quam humana hactenus fide asserimus. Ex iis V. P. Vincentius da Cunha devio petitus ictu, ab ipso duxit opes, animumque ferro; nec, nisi tergemina lauro redimitus, e campo decessit. Hic Ulyssippone natus, educatus, bonis artibus instructus, dignam, & Patriæ, & Societati vicem rependit, cum lucem, cultumque, quem dedit utraque, factis suis amplificavit, reddiditque cum fœnore gloriosum. Meum igitur erit de Natali solo, quod agendo non possum, laudibus saltem prosequendo, optime mereri. Ab alterius Patria oriundum me quoque glorior: ex quo non minor Eborensi Academiæ sucrescit gloria. V. P. Emmanuel de Abreu hic per quadriennium meruit, literarium cursum auspicatus ab eadem hac secunda Rhetoricæ aula, quam ipse ibidem versatus exosculor, sedemque veneror, ubi tantus heros in mitioribus studiis enutritus ad fortia, grandiaque facta prolusit. V. Eborensis Athenæi Sapientiam probant innumeri: qui partim in Almæ Academiæ gremio foventur adhuc, partim Lusitaniam Universam adeo illustrant, ut scientias inter se amabilis rixa commissas detineat, utra majus ab ejusmodi alumnis incrementum acceperit: certabunt igitur, quænam illarum magis debeat, quænam potius coronabit.

Pro argumenti coronide poema, vel epigramma, uti res postularit, recitabo ex tempore, in sapientissimi arguentis laudem ab ipso argumento plane deductam.

Argumenta proposita illustria adeo sunt, atque ampla, ut tractari non possint simul omnia. Igitur monitos spectatores velim, singula pro singulis diebus poeticis exercitationibus dispertienda.

SPE-

SPECTACULUM I.

In Amphitheatrum prodit Heroici carminis majestas multiplici facie conspicua.

Utrum *Poesis, eo quod animorum dominatrix, liberales inter artes Principatum obtineat?*

POesis animorum Regina ritu, moreque Cæsaribus quondam solemni, datura populo spectaculum, ecquod tempus eligeret opportunius, quam sæcularem Societatis annum? Novit illa scilicet, quantum inclyta JESU Societas suave ipsius imperium toto terrarum orbe confirmaverit, quantumque decoris, majestatis, ac laudis ejusdem Societatis labore, atque industria perceperit. Munus igitur officiose sibi comparatum offert, quod & opportunitate temporis, & exhibitione Authorum Reginam deceat. Pro ludis sæcularibus, quos *Ætas aspicit una semel*, exhibenda indicit spectacula, quæ non doni quidem magnitudine, quod esset jactantiæ, sed laudis ergo, quam Societati, & cupit, & procurat maximam, ære perenniora sint monumenta in perpetua posteritatis memoria. Spectacula vocat munus suum, & merito quidem; etenim, si Populo Romano spectaculi vice erat gladiatorum munus, ubi mutuis invicem vulneribus decertabatur, non abs re fore judicavit, si spectaculi nomine nuncuparet munus, in quo ad invicem committuntur ingenia; acriusque mentis acumine, quam ferri acie agitur. Nec brevi unius diei circulo Regia Poeseos liberalitas clauditur; septena offeret spectacula; principemque obtinere locum jubet carmen Heroicum; seu Epos, omnium poematum nobilissimum, quod ad illustrium virorum, unde & nomen accepit, facinora celebranda præcipue intenditur. Ejus materia sunt res nobiles, præclaræ, & majestate plenæ; reliqua tamen non respuit. Etsi omnia poematum ge-

ne-

nera adamussim castiganda sint, hoc veluti peculiare sibi vendicat Heroici carminis majestas. Cum tamen vix Musasarum tyrocinium sim prætergressus, non de Epopæja, prout altioris cothurni viros Apollini jam familiares exigit, pertractandum. Agam igitur primum de Poemate, eo modo, quo vulgo accipitur, id est, de opere poetico longius excurrenti. Deinde de Poesi, non ut ars fingendi est, sed ut breve poema, quod in usu maxime est, quodque intra 20. vel 40. carmina fere concluditur.

F A C I E S I.

De Poemate.

Utrum *Major Heroibus tribuenda sit gloria, quam illis, qui eorum facta heroicis encomiis posteritati tradidere?*

1. POema tres dispertitur in partes: Propositionem, Invocationem, & Narrationem. 2. Propositio, sive exordium, est: *Brevis summa rei dicendæ*. 3. Hanc plerunque poetæ per accusativos exprimunt. Virg. *Arma, virumque cano, &c.* Statius in Theb. *Fraternas acies, alternaque regna profanis Decertata odiis, &c.* 4. Potest propositioni subjungi aliquid, quod extra propositionem sit, quod tamen valeat ad Principis v. g. aut populi gratiam aucupandam. Sic Virg. *Genus unde Latinum, Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ*. 5. Propositio breviter, apposite, & accurate contexatur. 6. In brevitatis legem peccat Jovianus: *Qui Cælo radient ignes, quæ sidera mundo Labantur tacito, stellis quibus emicet ingens Lucifer, &c.* Ubi ignes, sidera, stellas, cælo, mundo tacito, quæ idem sunt, ad fastidium exprimit. 7. Quam aptiori ordine Virg. ubi nihil redundat.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites
Conveniat, quæ cura boum, &c.

8. Lucanus longa exclamatione illico diffunditur per ea, quæ

quæ breviter attingenda erant; at prudenter Virg. *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni, &c.* 9. Vitio etiam vertitur Statio, quod in principio Achilleidos Cyclici poetæ, de quo Horatius, nota inuratur. Septies enim *A* usurpat, tribus incipit tetrasyllabis vocibus, quibus nimis audax superbit carmen: *Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti Progeniem, &c.* 10. E contra languida, ac humilis videtur Silii Italici propositio: *Ordior arma, quibus cælo se gloria tollit Æneadum, patiturque ferox Oenotria jura.* 11. Invocatio est: *Divinæ opis imploratio.* Propositionem sequitur, vel permixtim sociat. 12. Invocantur Musæ, Apollo, Nymphæ, Fluvii, fontes, &c. 13. Vellem tamen Christianum Poetam Deos illos eo modo attingere, ut Musas pro Poetica facultate, ac Enthusiasmo, Jovem pro Cælo, Neptunum pro Mari, Martem pro Bello, pro Frumento Cererem, pro vino Bacchum tantum videatur usurpare. 14. Invocantur etiam Deus Opt. Max. Deipara, Angelus Tutelaris, Cælites, ac Heroes illi, quorum facinora celebramus, vel celebrata dicamus. Sic Virg. *Musa mihi causas memora, quo Numine læso.* Ovidius: *Di cœptis, nam vos mutastis & illas, Aspirate meis, &c.* Statius: *Tuque o Latiæ decus addite genti, Quem nova maturi subeuntem exorsa Parentis Æternum sibi Roma cupit.* 15. Ita celeberrimus P. Bartholomæus Pereira Societ. JESU, in suo Paciecidos 1. ad Urbanum Octav. P. M. *At Tu, quo primum jactat se terra Parente, Romaque Olympiacæ jam nunc minus invidet arci, Huc ades, o Urbane, &c.* 16. Invocatione etiam interrumpitur narratio, ubi aliquod magnum, ac insolitum intervenit. 17. Sic Æneam in Averni fauces, Sybilla duce, Virgilius introducit, ac ita prorumpit:

Di, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia late
Sit mihi fas audita loqui, sit Numine vestro
Pandere res alta terra, & caligine mersas.

Deinde prosequitur narrationem: *Ibant obscura soli sub nocte.* 18. Narratio, quæ etiam dicitur corpus poematis, est: *Illustris expositio facti, quod proponitur.* 19. Sit brevis,

sua-

suavis, perspicua, poetica, ac probabilis. 20. Ut sit poetica, multa fingat; sed quæ vel possent, vel debuissent contingere; Tigribus enim agnos jungere jure reprehendit Horatius. 21. Rerum naturas, loca, personas, ac communem omnium opinionem, explorata habeat poeta. 22. Rogabis, utrum merito Virgilius notetur a Criticis, quasi cervos in Africa, ac Didonem Æneæ temporibus, regnasse commentus sit? Non defendimus cum P.Lacerda ab utraque censura Poetarum Principem. 23. Poema nunquam inchoatur more historico, sed a medio, aliave circumstantia incipit, ut videre est in Virg. & aliis. 24. Ut fastidium nudæ narrationis effugiant, interdum vaticinari. vatibus licet.

25. Et non modo a Deorum oraculis, sed a rebus etiam inanimatis, ut Fontibus, Fluviis, & similibus accepta inducere vaticinia. 26. Res futuræ, vel præteritæ aliquando explicantur in templis, ut Virg. 1. aut in loricis, galeis, clypeis, ut Virg. 8. vel in turrium picturis, urnis fluviorum, peristromatis depictis, ut Camonius noster in Lusiadis. 27. Ut Poesis varietate delectet, contineat admirationes, suspensiones, hypothiposes, exclamationes, exitus inopinatos; interponantur motus animorum, dolores, iræ, & similia, quæ legentium animos arripiant, ac commoveant. 28. Colloquia passim inducenda sunt, sed non prolixa. 29. In omnibus, præcipue in colloquiis decor personarum religiose servandus est. Rex majestate plenus, miles arrogantia, efœminatus timore exprimantur. 30. Observa igitur, quis loquitur, ad quem, ad quid, quo tempore, loco, & occasione. 31. In hoc mira est Virg. felicitas. Modo Neptuni iram in ventos sic exprimit: *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri!* Modo Æneæ pietatem: *O terque, quaterque beati, Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis*. 32. De brevitate narrationis legem ponit Martialis: *Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis*. 33. Alia prælibabit, per alia spatiabitur poema, in cujus membrorum inæqualitate uniformitas consistit. 34. Jure vero arguitur Catullus, quod in nuptiis Pelei, & Thetidos dimidium poematis in descriptione vestis, Ariadneque fabula con-

consumat. Tunc primam navem vidisse Nereides ait, & antiquiorem navigationem ibi acu depictam describit. 35. Ut de narratione concludam, Horatium auscultemus: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci, Lectorem delectando, pariterque monendo.* 36. Omnes eloquentiæ flosculos in narratione insertos amarem; fasciculum narrationem crede; tropos, ac figuras floribus assimila; in florum varietate fasciculi gratia sita est. 37. Aliqui narrationem epilogo claudendam judicant, ut Virg. narrata Nisi, & Euriali cæde: *Fortunati ambo! Siquid mea carmina possunt.* Idem in fine Georg. quæ cecinit, indicat, ac temporis, ætatis, & loci meminit. Stat. quoque in Theb. Ovid. in Met. epilogo claudunt. 38. Alii necessarium esse epilogum negant, exemplo Illiados, Odisseæ, & Æneados, quæ in ipsa narrationis absolutione concluduntur.

FACIES II.

Poesis.

An reliquæ nationes cum Lusitanis conferri possint in naturali quadam animi sublimitate, ingenitoque ad carmen Heroicum ardore?

39. Poesis Narrationem tantum plerunque admittit. 40. Incipi poterit per descriptionem temporis, aut loci, ubi res evenit, ut Virg. *Est in conspectu Siculæ telluris, &c.* Alibi: *Est in secessu longo locus: Insula Portum Efficit objectu laterum, &c.* Descripto loco pergit: *Huc septem Æneas collectis navibus omni Ex numero subit, &c.* Ovid. in Narcisi morte: *Fons erat illimis nitidis argenteus undis, Quem neque Pastores, neque pastæ in monte capellæ, &c. Hic puer, & studio venandi lassus, & æstu, &c.* Idem in Actæonis errore: *Mons erat, &c. Cum Juvenis, &c.* Et paulo infra: *Vallis erat: Fons sonat a dextra: Hic Dea sylvarum.* Etiam incipies per hanc dictionem *Qua: Qua surgunt Platani, &c. Qua Tagus auriferas, &c. Qua nemus horrendum, &c.* 42. Per descriptionem temporis: *Jam*

Jam Sol a medio pronus deflexerat orbe, *Cum fidicen*, *&c.* 43. Inchoatur etiam, omissis illis, quæ primo contigere, sed viam aperiunt ad materiam. Sic P. Estrada Soc. JESU: *Postquam res Cypri, sedemque evertere regni Odrysiæ potuere acies*, *&c.* Sic breviter bella perstringit; deinde in devictæ puellæ facinore, quod est materia poesis, immoratur. Idem P. Estrada alibi: *Interea e laribus patriis*; *& paupere tecto Teutillam famuli abstulerant*, *&c.* 44. Apte etiam inchoatur per particulas, *Ergo*, *Ergo ubi*; *Vix ubi*: *Ergo ubi prima quies*, *&c.* *Vix ubi fallaci commisit carbasa vento*; *&c.* 45. Sæpe per Plusquam perfectum. Ita Sanazarius:

Viderat ætherea superum Regnator ab arce
Undique collectas vectari in tartara prædas, *&c.*
Tum Pater, *&c.* ..
Senserat Hesperio Neptunus in æquore classes.
Solverat Oebalio classem de littore Pastor.

46. Per accusativos incipies sublimiter. 47. Suaviter per Apostrophen, quæ produci poterit in finem poeseos; vel interrumpi, prout libuerit. Hoc colloquium institui poterit cum eo, qui materiam carmini præbet; laudando, scrutando; vel arguendo, quod proponitur: *Quis tibi tam faciles*, *cælestis Dædalus*, *alas?* 48. Dirigi potest Apostrophe ad illa, quæ cum argumento cohærent: ut ad Christum natum: *Saxosæ rupes*, *puerique impulsa querellis Antra*. 49. Aliquando per admirationem, interrogationem, sententiam; comparationem, & similia, quæ omnia adnotare debes, ac oportune uti, ne te corripiat Horatius: *Nunc non erat his locus*. 50. Longas descriptiones, ac digressiones a materia cautus fugias; rapitur enim sæpe poeticus furor, ac liberius, quam decet, excurrit; nisi propositæ materiæ alligatus omnes poeseos partes in eam dirigas. 51. Poesin ornat comparatio, quæ versetur circa illud, quod præcipuum est in materia: in hoc imitandus est Virg. ac cæteri antiquiores, qui perspicuas poematibus suis comparationes inserunt. 52. Insigniores comparationum formulæ sunt hæ: *Non secus*, *Haud aliter*, *Qualis*, *Qualiter*, *Ac veluti*, & aliæ, quas in Authorum lectione adnotabis. 53. Comparationes

nunc

nunc latius evagantur, ut illa Virg. *Pœnorum qualis in arvis Saucius ille gravi venantum vulnere pectus Tum demum movet arma Leo, &c.* 54. Modo pressius efferuntur, ut: *Os, humerosque Deo similis*; vel: *Solis ad instar*: *More nivis*; vel per comparativa nomina: *Ocyor aura*: *Cresso ditior*: *Iro pauperior*: 55. Poesis tribus modis perpolite clauditur. Primo carmine ad absolvendum sensum apto, ut infra dicemus. 56. Secundo per Apostrophen aliquid ex facto colligendo, ut Pater Guinisius Soc. JESU:

At tu, cui cælum, & cæli Regina laborat, &c.
Utere cæde tua; nec tu felicior esses,
(Credo equidem) si non infelix ante fuisses.

57. Tertio per Epiphonema, ut Virg. postquam labores Æneæ recensuit: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*: Sic P. Famianus Estrada Soc. JESU in discriptione Philomelæ fidicen mortis dispendio æmulantis claudit Poesin: *Usque adeo, & tenues animas ferit æmula virtus!* Ita alii: *Tantum verus amor patrum post funera vivit! Tanta est facundæ concessa potentia linguæ!*

FACIES III.

De Carminis numero.

Quid ad vivum res acuratius exprimit: Pictura, an Poesis?

58. JUre quidem picturæ assimilatur Poesis: in utraque ad vivum exprimitur res, ac exhibetur. Ita Horatius: *Ut pictura Poesis erit*. 59. Hinc est, quod non tantum in iis, quæ dicimus, sed etiam in modo, quo rem exprimimus, ponenda sit cura. 60. *Amor*, & *Mœror* versum interruptum, & pene hæsitantem amant, quod vel per Synalœphen in fine carminis, vel per carmen Spondaicum fieri poterit: *Sic interfecta dolore est*: *Vocem dolor interturbat*. 61. Frequentibus spondeis utitur Virg. in re gravitatem, vel tarditatem exigente:

Ut

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt.
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.

62. Aliquando Spondaico carmine: *Cornua vellatarum obvertimus antennarum*. 63. Hujus generis carmine rarissime juveni Poetæ utendum est. 64. Per illud exprimitur vehemens animi affectus, seu res gravis. 65. Tunc autem quartus pes, & plerique alii sunt dactili, ne tot syllabæ continuentur longæ. 66. Aliqua carmina spondaica in Virg. adnotabimus, in quibus omnes leges contemnit, etiam illas, quæ necessario servandæ erant: *Stant, & Juniperi, & castaneæ hirsutæ*. 67. Licetne poeticam hanc licentiam imitari? Minime. 68. Imo nec illud: *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros. Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus. Fluviorum Rex Eridanus, &c.* 69. Plura in Poetis ab his non multum abludentia occurrent, in quibus, vel synalœphen negligunt, vel pro dactilo, anapestum, proceleusmaticum, choreum, & alios usurpant: *At magnos decet ista licentia Vates*. 70. Cum sene languido versus langueat: *Deficit exanimis, telumque imbelle sine ictu Invalidus jacit, &c.* Ubi nota, quam apte versus consistat in secundo pede. 71. Juvenem vero superbe audentem, omnia turbantem, sic induces: *Videas prorumpere in auras, Evertisse dolos, objectaque quadrupedantum Pectora pectoribus, prorumpere: sternere turres Ingentes, totoque ferunt dare funera campo*. 72. Res hilares, ac celeres perpetuis, aut frequentibus dactilis, raris, aut molliusculis illisionibus exprimantur. Ita Virg. *Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes, Haud mora, prosiluere suis, ferit æthera clamor Nauticus, &c.* 73. Versus ille præ omnibus censetur numerosissimus: *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum*. 74. Idem mira celeritate turris prolapsum describit, ac si cadentem vidisses: *Convellimus altis Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam Cum sonitu trahit, & Danaum super agmina late Incidit*. 75. Idem verba illa, quæ ad motum pertinent, per dactilos accommodat grandini: *Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando*. 76.

Cum res aliud non postulat, tunc maxime delectat pedum varietas: *Stat sonipes, ac fræna ferox spumantia mandit. Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt.* 77. Pulchre, si catenati fluant pedes: *Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt. Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.* 78. Hoc tamen ordine non servato, mira collocatione demulceberis in his versibus: *Hæc ubi dicta, cavum, conversa cuspide, montem Impulit in latus, ac venti, velut agmine facto, Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant; Incubuere mari, &c.* 79. Iratorum verba sint frequentius interrupta: ut Didonis: *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.* 80. Non minus hic versus videtur horribilis, quam Polyphemus: *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.* 81. Unde notabis, epitheta duplicari posse, ut res insolita, ac magna exprimatur: *Templum, augustum, ingens, centum sublime columnis.* 82. Item excurrit aliquando Hypermetrum carmen, in quo crescit syllaba, quæ sequenti versu per synalœphen illiditur: *Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque Exuit;* ubi rei granditatem ipsa syllabarum redundantia demonstrat. 83. Quærenti, an in fine versus tolerari possint monosyllaba? Respondemus Virgilium monosyllabis clausulis ruentem noctem, & bovem procumbentem eleganter exprimere: *Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox. Sternitur, examinisque tremens procumbit humi bos.* 84. Hoc carmine Mesentium inducit consistere: *Hostem magnanimum operiens, & mole sua stat.* 85. His adde: *Insequitur cumulo, præruptus aquæ mons. Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum quem.* 86. Ut, vel a singulis literis modulari carmen ediscas, hæc nota: *A* suave est, si fiat synalœphe, sublimitatem parit: *Ardet inexcita Ausonia.* Si non fiat, nescio qua jucunditate carmen exhilarat: *Mollia luteola pingit vaccinia caltha. Mixta rubent ubi lilia multa alba rosa.* Potuit enim dicere, si placeret: *Lilia multis alba rosis.* 87. *B* insuave est. 88. *E*, & *I* sonum habent exilem. 89. *R* carmen asperat, quam, utpote literam caninam, iterato Virg. usurpavit agens de Cerbero: *Cerberus hæc*

hæc ingens latratu regna trifauci Perſonat adverſo recubans immanis in antro. Alibi: *Ergo ægre raſtris terram rimatur*, *&c*. 90. Si miſceatur cum *M*, indicat ſonitum: *Magno cum murmure montis Circum clauſtra fremunt*. Etiam ad res horribiles inſervit, præcipue, ſi geminetur: *Extulit*, *&* *rauco ſtrepuerunt cornua cantu*. *Monſtrum horrendum*, *informe*, *&c*. *Poſt tergum nodis*, *fremet horridus ore cruento*. 91. *V*. Vaſtitatem ſonat: *Vorat æquore vortex*. *Vaſtos volvunt ad litora fluctus*. 92. *O*, leniſſima omnium, ac magis ſonora.

FACIES IV.

Ubi verſus apte conſiſtat?

Quid venuſtius: verſum in ſecundo pede ſolvi, an in tertio conſiſtere? Inducentur Virg. pro prima parte, pro ſecunda Claudianus declamantes.

93. IN hoc juvenem Poetam Parnaſſi limina ſalutantem inſudare optarem. Ubi per ætatem calor poeticus deferbuerit, ac verſus majeſtate plenos, & venuſtate decoxerit matura mens; tunc ſponte ſua fluent carmina, quæ omnigeno compta ornatu facilis miniſtrabit Apollo. 94. Dicimus verſum conſiſtere, vel ſolvi, cum ſenſus in medio verſus aliquo modo terminatur; quod Luſitane vocatur: *Pancada do verſo*: dicitur autem: *Verſo quebrado*, cum verſus in aliquo pede ſolvitur, ita ut pes, & dictio in eadem ſyllaba terminetur; e contra vero verſum dicemus *conſiſtere*, ſi poſt pedem ſequatur ſyllaba, in qua dictio finiatur, quæ vocatur *Cæſura*. 95. Verſus frequenter *ſolvitur*, vel *conſiſtit* in primo pede dactylo. Ita eleganter quidem, ſi ſenſus in carmine abſolvatur, & in ſecunda tertii pedis ponatur conjunctio *que* cum ſynalœphe:

Imminet, adverſaſque adſpectat deſuper arces.
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum.
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.

96. Pul-

96. Pulcherrime duplicatur synalœphe : *Induitur*, *laterique Argivum accommodat ensem*. 97. Non invenuste etiam, si non fiat synalœphe : *Cingitur*, *ac densos fertur moriturus in hostes*. 98. Vel, si sequatur synalœphe initio secundi pedis : *Vela dare*, *&*, &c. *Obruere*, *&*, &c. *Imo age*, *&*, &c. 99. Consistit aliquando versus ante primum pedem, sed raro sensus absolvitur : *Crudelis ubique Luctus*, *ubique pavor*. 100. Etiamsi loquentem inducas, finita narratione, perges : *Hæc ait*, *& dicto citius tumida æquora placat*. *Sic ait*, *&*. *Vix ea*, *cum*. *Dixit*, *&* 101. Si versus consistat in primo pede spondeo apte fiet synalœphe : *Ad sese*, *& sacra longævum in sede locavit*. 102. Si synalœphe non fiat, vitio vertendum non est. 103. In primo pede spondeo non fiat sectio, si dictio fuerit dissyllaba. 104. Idem in secundo pede servandum, si versus ibi solvatur. 105. Optime vero solvitur in dactylo, quod Virg. perquam familiare est : *Aut portum tenet*, *aut pleno subit ostia velo*. 106. Pulchrius evadit, si sequatur synalœphe : *Ignescit vigor ; ipse acies*, *ipse agmina poscit*. 107. Si desiderentur synalœphæ, quo plures dactyli, eo venustius carmen : *Exitium timet*, *aut patier Jovis igne trisulco*. 108. Eleganter etiam consistit in secundo pede, præcipue, si inferatur aliquod præteritum in tertia persona pluralis, vel in secundo loco, hoc modo : *Concussere animum : Conticuere omnes* : *Conspexere*, *silent* : *Incubuere mari* : *Cærula corripuere* : *Quid Troes potuere ?* 109. Huc spectant : *Invigilare acies* : *Sæva sedens super arma*, *&* : *Parce metu trepidare* : *Religionis amor : Mermidonum*, *Dolopumve* : 110. His adde : *Visceribus miserorum* : sed tunc necessario adjicitur synalœphe : *& sanguine vescitur atro*. 111. Etiam post quadrisyllabum longum optime sequitur dissyllabum cum duobus brevibus, seu dissyllabum longum cum synalœphe : *Eversorem Erebi*. 112. Poterit etiam versus in secundo pede consistere hoc modo : *Hoste vacare domos : Jura*, *domosque dabam* : *Horrendum stridens : Me puer Ascanius : Venisse Æneam* : *Tuque invade viam*. Quod nec affectes, nec rejicias. 113. Bene etiam consistit hoc modo : *Ventorum im-*

memores: *Vestibulum ante ipsum*: *Italiam petere*, &: *me letho eripere*: *Diversa exilia*, & *diversas quærere terras*: *Prima rudimenta*: *Sævitiæ instrumenta*. 114. In tertio pede spondeo rarissime solvitur, & tantum adjuncta synalœphe: *Me me*, *adsum*, *qui feci*, *in me convertite ferrum*. 115. Solvitur aliquando in tertio pede dactylo, sed raro; dulce tamen redditur carmen, si aliqua sequatur illisio: *Porticibus longis fugit*, & *vacua atria lustrat*. 116. Eleganter consistit in tertio pede, si ita pedes catenentur: *Pygmalionis opes pelago*. 117. Virgilius etiam dissyllaba trisyllabis alternat hoc modo: *Visus adesse pedum sonitus*: *Dona carere dolis Danaum*. 118. In hac collocatione dictionum synalœphis parces. 119. Pulchra est synalœphe, si hoc modo spondeos præeat dactylus: *Et genus*, & *mansuram urbem*. 120. Apte etiam consistit hoc modo: *Bellum ingens geret Italia*: *Vestes argento intextas*: *Exitiumque*, *necemque parant*. 121. Eleganter etiam versus in tertio pede consistit, ita ut prima dictio pedem, & syllabam longam contineat; & tertia dictio sit dissyllaba cum prima brevi, ut: *Inferni raptoris equos*: *Scit nivibus servare fidem*: *Sulcatam fœcundat humum*, &c. suavius, si pedes sint omnes dactyli: *In medium graviora cadunt*: *Temperies habitanda viris*: *Oceanum sinuare vadis*, &c. 122. Hæ carminum sectiones Claudiano adjudicantur, non quia solus, sed quia nimius his utitur sine synalœpha. 123. At tu, ne carmen deprimatur, vel synalœpham insere in quarto pode, ut Virg. *Illyricos penetrare sinus*, *atque intima tutus*. *Miscentur clamore viæ*; *pugna aspera surgit*. 124. Vel saltem quartus pes sit dactylus: *Armatas exegit apes*; *furit aspera nubes*. *Insignem pietate virum tot adire labores*. 125. In quo notamus primam dictionem frequentius esse epithethon, vel genitivum tertiæ: & secundam esse verbum, vel participium, qui regat tertiam. 126. Si carmen in principio, vel in fine secundæ dictionis habeat synalœpham, sublimius assurget, quam sine illa, v. g. *Oceani superare aditus*: *Sævitiæ instrumenta suæ*. 127. Vel duas synalœphas ita junge: *Quanquam animus meminisse horret*. 128. Illud etiam

etiam pulcherrimum: *Accipiunt inimicum imbrem*. 129. Suavissime consistit versus in dissyllabis, præeunte quadrisyllabo: *Præcipites metus acer agit*: *Extulerat super astra caput*: *Imperium sine fine dedi*. 130. Maxime venustabitur poema, si aliqua carmina, raro tamen, in quarto pede dactylo solvantur, & quiescant. 131. Primi tres pedes sint etiam dactyli, vel saltem inseratur synalœphe, quoad fieri poterit. 132. Quintus, & sextus pes pulcherrime amabunt monosyllabum longum, dissyllabum breve, & dissyllabum longum. 133. Et subsequens versus consistat in secundo, vel tertio pede magna siquidem affulget majestas, v. g. *Nec Turnum segnis retinet mora, sed rapit acer Totam aciem in Teucros, & contra in littore sistit. Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum Insontes peperere manu, lucemque perosi Projecere animas, &c.* Idem: *Degeneres animos timor arguit; heu quibus ille. Quis Latio antiquo fuerit status. O nimium in pœnas segnis Deus!* 134. Cum aliquod magnum describimus, quod pavore attonitos legentium animos commoveat, optime versus in quarto pede solvitur. Finge tibi captam in navi puellam post varios animi motus, accensam faculam in nitratum pulverem ejaculantem: *Nec plura his, jaculata facem, stetit*. Jam ad repentinum navis incendium: *Illicet arsit Extemplo fulgur, tonitruque exterrita pinus Evomuit flammarum undas, &c.* Ita P. Strada. 135. In quinto pede apte solvitur hoc modo: *Vocem, animamque rapit trajecto gutture; at ille, &c.* 136. Vel hoc modo: *Emissamque hyemem sensit Neptunus, & imis Stagna refusa vadis: graviter commotus, & alto*. 137. Hoc aptissime adhibetur in repentino casu, cum primis tribus dactylis, hoc modo: *Præcipites per aquosa vadis submergit, &c.*

F A C I E S V.

De Synalœphis.

Claudianus contra omnes pro Synalœphis amandandis declamabit: an ipsi assentiendum?

138. UT epica majestate carmen Heroicum turgescat, synalœphis crebro utendum. 139. Primo loco laudanda syn. inter duplicem *A* initio quinti pedis, ut: *Nemora avia lustrat*: *Capita ardua surgunt*. 140. Affinis est: *Petere astra volatu*: *Maria omnia circum*, & illa: *Validum obstat aquarum Agmen*. *Tum Zephyri posuere; premit placida æquora pontus*. *Rupibus excidunt; scenis decora alta futuris*. *Ibant per noctem, & domino spolia ampla ferebant*. *Ut decet, & manuum poscunt opera alta mearum*. 141. Eandem sublimitatem deprehendes initio tertii pedis, præcipue, si carmen in illo consistat: *Cocyti stagna alta vides*: *Ancipiti nemora alta sono*. 142. Similiter: *Tremere omnia visa repente*, initio quarti pedis. 143. In fine primi pedis pulchra est synalœpha, ut: *Flumina, & inceptis*: *Campum indignantes*: *Vitam exhalantem*. Etiam duplicis *O*, vel *U*: *Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu*. *Mecum una in sylvis imitabere Pana canendo*. 144. Etiam initio secundi, vel tertii pedis: *Magnanimum Æacidem*: *Remigio alarum*: *Queis ante ora Patrum*: *In brevia, &*: *Consilia in melius referet*: *Aspirant auræ in noctem*. 145. Hanc etiam synalœphas inter optimas recensemus: *Decertata odiis, fontesque evolvere Thebas*. *Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam*. *Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque Divæ*. *Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem*. *Ducis in Hetruscos pavitanti, & adire timenti*. 146. In hoc postremo carmine duplex participium elegantius sonat. 147. In 4. vel 5. pede solum, præter assignatas, per conjunctiones admittimus synalœphas: *Maria undique, & undique cælum*. *Victrices aqui-*

las,

las, victriciaque agmina Cæsar. 148. Quid dicendum in fine quinti pedis? Raro, & tantum hoc modo vocales concurrunt: *Ferrum undique, & ignes*. 149. Sextus pes in fine raro admittit synalœpham, & tantum per vocem *Est*: *Casu deinde viri tanto, & sic ore locuta est*. 150. Literæ *A*, *O*, *E*, numerosius illiduntur, durius duplex *I*. 151. Monosyllaba non apte illiduntur, nisi sint conjunctiones, vel præpositiones; idem de conjunctione *Atque*: *Atque iterum in Teucros*: *Hanc primam ad littora classem*: *Superato ex hoste triumpho*: *Quid repetam exustas Erycino in litre classes*: *Aggeribus murorum, & inundant sanguine fossæ*. *Si sine pace tua, atque invito Numine Troes*. 152. Pulchrius turgescit carmen, si duobus, vel pluribus synalœphis ornetur: *Dicitur ante aras, media inter Numina Divum*. *Debuit oppetere, atque animam exhalare sub armis*. *Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas*. *Europamque, Asiamque, & fœdera solvere furto*. 153. Cave tamen iisdem semper uti synalœpsis; *Amant alterna Camœnæ*. 154. Quapropter nec semper eodem modo carmina illidantur, aut consistant in iisdem pedibus. Optime sonat cythara, si omnibus pulsetur chordis; concors enim discordia aures demulcet. At ridetur Cytharœdus, *Chorda qui semper oberrat eadem*.

F A C I E S VI.

De Carminis stylo.

Quid potius in carmine Heroico illucere debet: Ingenium, an Judicium?

155. IN id sæpe incidunt tyrones, quod pedes non apte dissolvant; quod, si in loco non fiat, patienter ferri non potest. 156. Ut tamen verbo dicam: secundum, & tertium pedem nunquam utrinque dissolvas; imo, si secundus, vel tertius pes in fine dictionis terminetur, ipsa dictio, vel sit monosyllabum longum, vel dissyllabum

breve. 157. Carmini non officit, si primus pes, & tres ultimi utrinque solvantur: *Jamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat. Horrendum fremit, & fremitu vacua antra resultant. Est iter in sylvis, ubi cælum condidit umbra Juppiter, & rebus nox abstulit atra colorem. Dardanidæ magni, genus alto a sanguine Divum.* 158. Secundus pes aliquando apud Virg. solvitur. 159. Tertius rarius, ac semper intextis monosyllabis: *Volvitur in caput. Crastina lux, mea si non irrita dicta putatis.* Consule nostrum Emmanuelem de Cæsura. 160. Cave diligenter, ne singuli versus sensum absolvant; sed alius alio sit connexus: claudatur tamen sensus, quoad fieri poterit, intra quintum, aut septimum versum, nec ultra sententia excurrat, quin infigatur punctum. 161. Sententias inserendas, non inficior, ut Virg. *Facilis descensus Averni.* Ovid. *Stat sua cuique dies, &c.* 162. Sed sint rarissimæ; carmen siquidem suo loco venustant, at continuatæ deprimunt. 163. Parentheses longæ obscuritatem pariunt; breves ornant: *Tityre, dum redeo, (brevis est via) pasce capellas. Attolensque oculos (quid enim plus fœmina posset?)* 164. Fugienda est consonantium aspera collisio, ut: *Rex Xerxes.* 165. Quanquam ipsa de industria aliquando quæratur ad rem exprimendam, ut Virg. *Unde prius lætum, siliqua quassante, legumen. Ære ciere viros: Sacraverat aras, &c.* 166. Hæc tamen interim devita. 167. Idem dicimus de literis inutiliter repetitis: *Machina multa minax minitatur maxima muros.* 168. Præcipue, si repetitio aures offendat: *Tu, Tite tute Tati, tibi tanta tyranna tulisti.* 169. Illud etiam Virgilianum minime imitandum est: *Romuleoque recens horrebat regia culmo.* 170. Secus vero videtur aliquando de vocalibus pronunciandum, ut: *Cristaque tegit galea aurea rubra.* 171. Frequentius accusativus, & casus alii, quos post se verba, aut nomina postulant illa præcedunt: nominativus vero subsequitur. 172. Idem de genitivo post substantivum, quod in orationis collocatione antecedit: *Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris. Conticuere omnes, intentique ora*

tene-

tenebant. Artificumque manus inter se, operumque labores. Imminet, adversasque adspectat desuper arces. 173. Adjectiva dissyllaba in fine carminis dure sonant, ut: *Largo: Longo*: *Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis: Velut agmine facto*. 174. Durius participia in *Ans*, & *Ens*, ut: *Oculos ad sydera volvens*. 175. Pulcherrimum tamen erit carmen, si in accusativo ponantur, & maxime, si duo adjunxeris in eodem carmine cum synalœpha: *Attolentem iras, & cærula colla tumentem*. 176. Diminutivæ, & dictiones aliæ Elegiaco metro aptissimæ Epicam majestatem non decent, ut: *Tenellus*, *Puellus*, *Sagittiferus*, *Odoriferus*, & similia, quæ plus nimio versum retardant. 177. Locutiones Græcæ interdum admixtæ carmen venustant, ut: *Oculos dejecta modestos*: *Nuda caput*, *suffusa genas*, &c. 178. Verba etiam longe sonantia, ut: *Regnatorem Asiæ*, pro Rege. 179. Item Patronymica: *Duo fulmina belli Scipiades*: *Magnanimum Æacidem*. 180. Epitheta maximo sunt decori, si ratione ornandi substantiva, non adimplendi carminis, adhibeantur.

Tollimur in Cælum curvato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere.
Ter spumam illisam, & rorantia vidimus astra.

Quæ enim vis, qui splendor in epithetis: *Curvato*, *Subducta*, *Imos*, *Cava*, *Rorantia*? Quid? Siquis manes tristes appellaret, saxa alta, spumam argenteam, aut astra rutilantia, carminum impleret hiatus per merum complementum numerorum. 181. Optima sunt epitheta, quæ verbum quodammodo novum reddunt, ut ait Horatius; in quo non immerito laudantur:

Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras: si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.

Et *Eheu, fugaces Posthume, Posthume,*
Labuntur anni; nec pietas moram

Ru-

Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.

182. Epithetum personæ sæpe accommodatur rei, ut: *Memorem Junonis ob iram*. 183. Continentis Epith. rei contentæ, ut: *Stagna loquacia*: *Roma Bellatrix*: *Insanum forum*. 184. Parti, Epit. totius, ut: *Timido pede*: *dubiis oculis*: *manu medica*. 185. Effectui convenit epithetum causæ; vel e contra, ut: *Obliviosa pocula Massico*; vel si *Blandas mortes*, *hilarem pœnam*, *crudele gaudium* Syrenas appellaveris. 186. Epithetum rei inanimatæ ad animatam, ut: *Viridis senectus*. 187. Vel è contra, ut: *Cinis dolosus*, *emeritum aratrum*, *fluvius minax*, *lux magistra*, *vidua pharetra*. 188. Venuste collocantur epitheta ante substantiva: *Sic avidis fallax indulget piscibus hamus*: *Callida sic stultas decipit esca feras*. *Gracili modulatus avena*: *Lavinaque venit Littora*. 189. Non solum in epithetis, sed in omnibus dictionibus scrutanda est natura, & vis genuina verborum. 190. Præcipue in compositis videndum est, quid significationis adjiciant simplicibus. Ad hæc tamen, & ad alia pernoscenda, quod nobis expendere non vacat, Latinitatis coriphæos adire frequentius juvat, ac abditissimas dictionum medullas eviscerare. 191. Diversa siquidem significant: *Aspicio*, *inspicio*, *respicio*, *despicio*, *conspicio*, *prospicio*, *perspicio*, *præspicio*, *introspicio*, *&c.* Aliud *amo*, aliud *video*, *&c.* significat. Nec *Januæ*, *Portæ*, *Fores*, *Valvæ*, *Limina*, *&c.* synonima sunt. 192. Præcipue notandum est, quod pulchrius per circuitum res exprimitur; sic navigare aptius dicitur: *Cæruleas puppem ire per undas*. *Vada salsa cita decurrere puppi*, *&c.* 193. Idem venuste amplificari potest per synonimum, v.g. si Æneas vivit: *Sed si fata virum servant*, *si vescitur aura Ætherea*, *neque adhuc crudelibus occubat umbris*. 194. Humilis quidem est poesis, si propriis tantum vocabulis in ea utamur, ut si dicamus: *Gemini scopuli alte consurgunt*. Hanc tamen elocutionem clare, & eleganter effert Virg. per Hyperbolen: *Geminique minantur in Cælum scopuli*. 195. Hinc patet quam longe diversis ab Oratoribus lo-

loquendi formis carmini venustatem Poetæ concilient. Sic pro apibus ponitur, v. gr. *Nubes stridula*. *Gens ætheris incola; pennata cohors; Agmina sonora volantum*, pro avibus. *Floræ*, *veris*, *hortorum munera*, *opes*, pro floribus. *Zephyrorum animæ*, pro flatibus. 196. Gentium, & Regnorum stemmata pro gentibus ipsis, & regnis usurpantur, v. g. pro Gallia *Lilia*; *Aquila* pro Germanis; pro Hispanis *Leo*; *Pardus* pro Anglis; *Luna* pro Turcis, &c. 197. Per nobiliores etiam provinciarum fluvios ipsas provincias, & incolas intelligimus: sic *Tamasi* Anglos significat, *Scaldis* Belgas; *Rhenus* Germanos; *Ister*, sive *Danubius* Hungaros; *Tagus* Lusitanos; *Ganges* Indos; *Nilus* Ægyptios; *Tigris* Armenios; *Tibris* Romanos; Parthos *Euphrates*. 198. Numeri cardinales duo, tres, quatuor, redduntur per adverbia: *Bis*, *ter*, *quatuor*: *Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ: Luna quater latuit, tota quater orbe recrevit*. 199. Vel si conjungas cum ordinalibus: *Bini*, *terni*, &c. *Martia ter senos proles adoleverat annos*: hoc est 18 vel aliis vocibus substituitur certum annorum numerum significantibus, ut Lustrum quinque, Trieteris tres;

Jamque unus lustris Geminis accesserat annus. 11.

200. Res apte dicitur per circumstantias actionis, ut si velis dicere: Sæpe illi mactabo agnos: *Illius aram Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus*. 201. Idem per circumstantiam temporis, ut v. g. si dicas: Meridies est: *Jam Sol a medio pronas contraxerat umbras*. Si: Advesperascit: *Majoresque cadunt altis de montibus umbræ*. 202. Sæpe res certa pro incerta, v. gr. *Ter*, *quater* pro *sæpe*, *multoties*, aut *valde*. 203. Distributio rerum ornat eo modo, quo cuique metro solet accommodari: *Pars altera ferro, Altera pars jugulis: Ille neci causam præbuit, ille manum*. 204. Repetitio plurimum ornat carmen, de qua infra de Elegia. 205. In his, & similibus quæres: quisnam veterum Poetarum præstantior? Dabimus in certamine.

FA-

FACIES VII.

Styli perſpicuitas, ac ſublimitas, atque ipſius comparandi ratio.

Utrum imitator par eſſe debeat Authori?

206. OBſcuritatis vitio laborant tyrones; ſemel atque iterum leges eorum carmina, quin intelligas; quod tamen ſua ſe intelligere affirment, difficile adhibetur remedium. 207. Oritur hoc vitium a perturbato cogitandi modo, ab ignotis, ac impropriis verbis, vel inordinate diſpoſitis, ut cui caſus attineat, quidve ſubintelligatur, ignores. 208. Fugiendum eſt quidquid reddit obſcurum poema, vel riſu dignum. 209. Fabulæ abſtruſæ, ſpurcæ, aut ſcurriles ad Cocyti ripas amandentur. 210. Nimia prolixitas cavenda, ne plurimus divageris, quia, ut Tullius: *Magis offendit nimium, quam parum*. Et, ut Quintil. *Indocti dicunt omnia, doctis eſt electio, & modus*. 212. Cavenda tamen brevitas juſto parcior, tunc enim, *Incidis in Scyllam, cupiens vitare Carybdin*. De ſe quippe affirmat Horatius: *Brevis eſſe laboro, Obſcurus fio*. 212. Tumorem, grandia nomina, ampullatas ſententias, ac ſimilia inani diſtenta vento, ubi nihil ſolidum, comprime, quod jure ridet Perſius, neſcio, ex quo Vate: *Torva Mimamoleis implerunt cornua bombis*; *Et coſtam longo ſubduximus Apennino*. 213. At perquam diligenter cave, ne in orationis humilitatem deflectas; decet enim ſublimitas carmen epicum, non tumor. 214. Argutias, & acumina eo impenſius fuge, quo laude tibi digniora videantur; ſi enim nimia, ac per vim adducta ſint, nihil putidius, nihil moleſtius. 215. Non id inficior, ſi fiat in loco; ſed, qui omnia ſtudet acute dicere, pleraque dicit frigide. 216. Aſpergantur orationi acumina, ſed ut ſal cibis, quod, niſi prudenti diſpenſes manu, ſaporem alienum non addit ferculis, ſed inſitum obtundit. 217. Sic Lucanus de Pompejo inſe-

insepulto: *Cœlo tegitur, qui non habet urnam*. Ergo latronum cadavera, quæ sub diu putrescunt, digniora essent laude, quam, quæ splendido monumento parentum, ac amicorum pietas intulit. 218. Damnatur etiam stylus nimis abruptus, in quo singulæ sententiæ singulis orationibus finiantur. 219. In stylo floreat perspicuitas, modus, æquabilitas, dignitas, & splendor. 220. Plurimum valent metaphoræ, quibus vulgares sententiæ sublimes exeant: *Mors nemini parcit*. *Curæ somnos arcent*. Vulgares sunt sententiæ; sed perspicue dices cum Horatio: *Mortem æquali pulsare pede pauperum tabernas*, *Regumque turres*, &c. *Curas laqueata circumvolare tecta*. Inflammari iracundia: Incendere urbem luctu: Ridere prata, & similia, metaphoræ sunt Poetis perquam familiares. 221. Figuras, ac Tropos interserat tam ligatæ, quam solutæ orationi, qui studet ornate dicere. 222. Plurimum afferunt sublimitatis orationi Anthitheses, ut Plinius: *Alii se satis vixisse, te viso, te recepto, alii tum magis esse vivendum prædicabant*. 223. Etiam ubi aliquid præter spem dicitur, ut Cicero: *Nihil oblivisci soles, nisi injurias*. Item Tacitus de Galba: *Major privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu imperii capax, nisi imperasset*. 224. Quid sublimius ea laude, qua Cicero Cæsarem ornat: *Nihil habet nec fortuna majus, quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis servare quamplurimos*. 225. Unde styli sublimitas oritur a magnitudine, ac dignitate rerum, quæ dicuntur; hæc enim sententia: *Præclarum est inimicis ignoscere*; sic efferri poterit: *Divinum ultionis genus est inimicos diligere*. 226. Hæc omnia, quæ de stylo tradidimus, his versibus continentur: *Peccas, si tumidus, durus, puerilis, & audax, Si trivialis erit versus, jejunus, hiulcus*. 227. Plurimum ad styli sublimitatem comparandam juvabit assidue Virgilium legere, adnotare, imitari, nec aliquid componendum suscipere, quin simile ex tanto viro, Poetarum omnium facile Principe in promptu habeas; habes in illo Deorum laudes, belli tumultus, pietatis officia, terræ, marisque labores, tempestates, eclogas, &c.

 228.

228. Orpheum imitatus eſt Homerus, Homerum Virgilius; tu imitare Virgilium. 229. Et quamvis nihil componendum per id temporis tibi fuerit, Virgilium nunquam deſiſtas: *Nocturna verſare manu, verſare diurna*. 230. Elegantiam mirare, ac tecum meditare, quomodo, ſi ea, quæ legis, ſcriberes, expreſſurus eras. 231. Deinde finge tibi ſimilem materiam, ac quæ tibi placent, ipſi accommoda; mens enim his curis imbuta facilius excitabitur, ubi opus fuerit. 232. Cæteros etiam Authores legere, præcipue veterum, ut ſolet apis in viridario, flores colligere, tibi non ægre concedam. 233. A Statio majeſtatem, a Claudiano cultum, ſingulaque a ſingulis, omnia tamen diſces a Virg. 234. Breviora poemata probatiſſimorum Authorum lege, ut modum, ac ſtructuram perſpicias. 235. Si vero recentiorum nimis ſtudioſus, veteres contempſeris Poetas: *Relictis fontibus, rivulos conſectaberis*. 236. Nuſquam facilius deprehendes, in quo ſtylus peccat, quam Poetas inter ſe comparando. Virgilius ad componendam in funere Pallantis pyram, cæſas arbores in vicina ſylva deſcribit: *Itur in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum; Procumbunt piceæ; ſonat icta ſecuribus ilex, Fraxineæque trabes, &c.* Hoc vero Statius in funere Archemori lib. 6. Theb.

Sternitur extemplo veteres incædua ferro
Sylva comas, largæ qua non opulentior umbræ
Argolicos inter, ſaltuſque educta Lyceos
Extulerat ſuper aſtra caput; ſtat ſacra ſenectæ
Numine, nec ſolos hominum tranſgreſſa veterno
Fertur avos, &c.

Quid, *Sylvæ caput ſuper aſtra eductum?* Quid eſt *Numen ſenectæ? Veterno avos tranſgredi?* At quam diſpar ſonat Virgilius, qui nihil molitur inepte. 247. Non negamus tamen in Statio optima, & vere poetica paſſim offendi, quæ ſenſuum ſublimitatem attollant. 238. Nullum diem prætermittat poeticæ laudis candidatus, quin aliquid de optimis Vatibus memoriæ committat, aliquidque componat; aſſidua enim exercitatione facilitas, & elegantia comparantur.

tur. 239. Argumentum, quoad fieri poterit, & sterile, & nimis fœcundum fugiat; non raro inopem facit copia. 240. Cohæreat etiam metrum: blandis siquidem argumentis, & tristibus convenit Elegiacum; superbis, & inflatis Alcaicum; lætis, & magnis Heroicum, &c. 241. A facilioribus ad difficiliora gradum faciat. 242. P. Ricciolius in Prosod. Bon. incipiendum tyronibus ab Adonio metro autumat, tanquam facillimo, & præludio quodam ad Hexametra. 243. Verum experientia constat, primum Hexametro, deinde Elegiaco, postea Sapphico, & Alcaico, deinde aliis tyrones assuefieri, oportere. 244. Juvabit etiam exercitatio legendi, pronunciandi, & audiendi; poeticæ quidem harmoniæ aures, ac mens ipsa assuefacta, & ad dicendum, & ad scribendum promptior evadet. Hircius, ac Pansa in dignitate Consulatus, ac in summo honorum apice intra privatos parietes sæpe soliti declamare; sic qui Eloquentiæ stimulis incitantur, Palladio in pulvere libentissime exercentur. 245. Pro coronide tibi suadeo, ut sæpe locum aliquem boni Poetæ, v. g. ex Virg. in patrium vertas sermonem; inde, interposito spatio, tuis versibus, quam poteris optimis, idem compone, mox quæ scripseris cum Virg. confer, ac ex discrimine intelliges, in quo stylus tuus peccet, ut corrigas. 246. At, si locum aliquem imitaris, singula, & sola verba non attendas, quod nimis puerile est. 247. Personas, tempora, & quæ adnotatione digniora sunt, scrutare. 248. Non, ut Lucius Apulejus, qui ex Luciano integra fere omnia impudenter furatus est. 249. Non tamen aliqua usurpare verba tibi prohibeo; exemplum imitationis habes in Lucano:

Tum, quæ solitis e fontibus exit,
Non habet unda vias tam largas; alveus omnis
A ripis effundit aquas; jam naufraga campo
Cæsaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant, alto restagnant flumina vallo.

Quod Donatus in Tiberis exundatione ita imitatus est:

Jam Tiberina, suæ disjecto margine ripæ,
Mœnibus unda fremit victrix: jam naufraga fluctu

Ro-

Roma natat, lapsaque domus, impulsaque vasto
Gurgite templa labant, implentur flumine valles,
Et septem geminis decrescunt montibus arces.

FACIES VIII.

De variis Poematum generibus.

Quid utilius: uni, aut pluribus Authoribus operam dare?

250. ECloga, quæ & *Bucolicum*, seu *Pastoritium carmen* dicitur, est: *Imitatio rusticarum actionum stylo mediocri, & suavi.* 251. Tractantur in ea vota, gratulationes, altercationes, conquestiones, &c. 252. Unde in natali, vel obitu alicujus, aut simili eventu apposite eclogam elaborabis. 253. Sed omnia agrum redoleant, v. gr. in creatione Episcopi, loquantur pastores de novo Pastore, qui agnos reget, morbos expellet, sana doctrina pascet, &c. 254. In tres partes nonnulli dividunt eclogam. 255. Prima est *Materia*; est nempe, quidquid inter pastores versatur. v. gr. cum greges agunt, vel ad stabula traducunt: cum sedent ad focum, ad umbras, aut fontes, & jocos, aut sales miscent, & cantillenis condiunt. 256. Secunda: *Stylus*; sit humilis, ac suavis, 257. Descriptiones, & comparationes ex agris deductas adhibe, ac Virgilium tibi propone exemplar, qui sublimem Æneidos stylum in bucolicis de industria deprimit. 258. Frequentius amat dactylos; synalœphas respuit, quæ fluentem suavitatem retardant. 259. Versus intercalares venuste admittit. Virg. in Ecl. 8. usque ad medium passim inserit: *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, cantus.* A medio: *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim* 260. Quibus carminibus intercalaribus ferme aliud respondet: *Desine Mænalios, jam desine tibia, cantus. Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.* 261. In ecloga, vel poeta colloquentes personas inducit v. g. *Quo te, Mæri, pedes, aut quo via ducit ad urbem?* 262. Vel aliquid

quid prius enarrat, quod ad colloquium viam parat: *Forte sub arguta consederat illice Daphnis*. 263. Vel tantummodo narrat. 264. Tertia pars est *Ornatus*: hic allegoriis floreat, ita ut in cute rustica, intus vero urbana lateant. 265. *Satyra* a Satyris Diis nomen habet, qui in theatrum comœdiarum inducebantur, ut sermone parum verecundo, aculeato, ac libero, gestu etiam corporis risum moverent. 266. Videtur etiam dici satyra, quasi *Satura*, quod varium complectitur argumenti genus. 267. Satyra est: *Poema jocosum, liberum, & aculeatum ad reprehendendos, corrigendosque mores corruptos*, v.g. avaritiam, inertiam, &c. 268. Amat sententias acutas, acres, ac sermonis puritatam. 269. Numeri suavitatem non admittit, ut videtur in Horatio, qui Lyricis eam impense affectavit, neglexit in Satyris. Dicitur enim numerosus: *Dum ferit Ausonia carmina culta lyra*. 270. *Sylva* dicitur, quæ, accepto argumento, subito calore fusa, ac recitata est, ut inculta sylva. 271. Epithalamia, & alia per sylvam tractari possunt. 272. Non heroico tantum metro conficitur. Idem dicimus de aliis, quæ sequuntur, poematum generibus. 273. *Epithalamium* est poema pro nuptiali pompa conscriptum. 274. Conjugum laudes contineat; faustum augurium capiendum; vota pro connubii felicitate, ac futura prole concipienda. Statium, & Claudianum consule. 275. Vitandæ sunt profanæ Deorum inanium appellationes, nec facilis mentio facienda *Hymenæi*, *Veneris*, *ac Cupidinis*; cum in eorum locum *Pietas*, *Concordia*, *Fides*, *ac Religio* subrogari possint. 276. *Genethliacum*, vel *Genethliacon*, natale carmen, nascentibus accinitur. 277. Parentum celebrantur virtutes. 278. Spes de puero excitatur, ac varie notantur loci, & temporis circumstantiæ. 279. Populos invitabis ad celebrandum natale, ac Deum Opt. Max. precaberis, ut puerum tueatur, &c. Statius lib. 2. Sylvarum, cap. ult. in natali die Lucani, & lib. 4. Sylvarum: *Pande fores Superum*, &c. Martialis lib. 4. Ep.1. *Cæsaris alma dies, &c.* 280. Huc etiam spectat laus nominis puero impositi. 281. *Epicedium*, vel *Nænia* est car-

men funebre: mortuis impenditur. 282. Mortui laudes narrantur; describitur pompa funebris; conditur epithaphium; mortui denique manibus apprecamur æternitatem. 283. In his omnibus poematum generibus, si carmine intercalari, seu regio usus fueris, argumento accommoda, ut Frizonius in Nænia pro Alphonso Mancino hos intercalares doloris plenos inducit: *Ite, & feralem Mancino ducite pompam, O misera, oh pulla mœrentes cyclade Musæ!* 284. Exempla habes in Statio lib. 2. cap. 1. Sylv. in funere Glauciæ. Et sub ejusdem lib. finem in obitu Pileti Ursi. Lib. 3. lacrymas Hetrusci mœsto carmine prosequitur: *Summa Deum pietas*. Lib. 5. sub finem Patri, ac Filio duplici poemate parentat: *Ipse malas vires*, &c. Horat. lib. 1. Od. *Quis desiderio*. Lib. 2. *Non semper imbres*. 285. Huc reducuntur: *Epithaphia*, *Querelæ*, *Consolatio*. 286. *Epinicion* est carmen pro reportata victoria. 287. Hæc a loco, tempore, hostium multitudine, aliisque circumstantiis celebranda est. 288. Regis, aut Ducis laudes; prudentiæ, ac fortitudinis monumenta posteris tradenda. 289. Exponendi fructus ex victoria. 290. Vota, & preces pro patria, ac victoris incolumitate fundendæ. Vide Claudianum de laudibus Stiliconis, de Bello Gettico, & Gildonico. Horatium: *Nunc est bibendum*. *Quando repostum*. *Herculis ritu*. *Qualem ministrum*, *&c.* 291. Non multum differt *Pœan*, quod est hymni genus post victoriam cani solitum in laudem præsertim Apollinis. 292. *Epipompethicon* in pompis tantum accinebatur. 293. *Eucharisticon* est poema, quo gratias agimus ob præstitum beneficium, quod prædicari debet. 294. Dantis humanitas extollitur, in cujus gratiam miscenda vota. 295. Nec accipientis necessitas omittatur; sic Æneas Didoni ad finem primo Æneidos: *O sola infandos Trojæ miserata labores*. Vide Stat lib. 4. Sylv. *Regia Sidoniæ*. Item Horat. *Quem tu Melpomene*: *Montium custos*. 296. *Encomiasticon*, & *Epæneticum* recenset laudes. 297. *Panegyricon* est laudatorium carmen, quod pro rostris dici consuevit. 298. *Pedi-ßerion*, dicitur, quo Præceptoribus nostris institutionis nomine

mine gratias agimus. 299. *Propempticum* carmen est in gratiam aliquo abeuntium. 300. In quorum gratiam vota concipies ad avertendum malum aliquod, vel bonum, præcipue fortunatum iter, apprecandum. Sic Horat. Virgilio Athenas abeunti: *Sic Te Diva potens Cypri, &c. Reddas incolumem, precor, Et serves animæ dimidium meæ.* Horatium egregie imitatus est Statius lib. 3. Sylv. cap. 2. *Di, quibus audaces amor est servare carinas.* 301. Redeuntes pariter amici, itinere feliciter confecto, excipiunt, ut Horatius: *O sæpe mecum tempus in ultimum.* Plurima apud recentiores epico carmine sunt exempla. 302. *Apobaterion* est carmen, quo recedentes utuntur. 303. *Epibaterion* est, quo reditus in patriam post longam expeditionem celebratur. 304. *Apopempticon* de peregrinatione cujuspiam agit. 305. *Hodæporicon*, vel *Itinerarium* describit iter. 306. *Soteritum* est carmen pro recepto duce, salute recepta, vel vitato aliquo periculo. 307. Hujus magnitudo expendatur, in eo subeundo fortitudo, in vitando solertia, vel felicitas, ac bona ex vitato exorta celebrentur. Horat. *Et thure, & fidibus juvat.* Statius lib. 1. Sylv. *Estis io, superi.* 308. *Protrepticum*, vel *Adhortatorium* carmen est, quo aliquem ad aliquod suscipiendum impellimus, v. g. ad bellum. 309. Hostis ferocitas, devastatæ regiones, tyrannica servitus, victoriæ, conjecturæ, ac gloria proponantur. 310. Dividitur in *Neutheticon*, quod cujuscunque modi præceptiones complectitur. 311. *Paramytheticon*, quo aliquem consolamur, & ad animi tranquillitatem v. g. hortamur. 312. *Proseucticon*, quo aliquid fieri, aut esse petimus. 313. *Apeucticon*, quo aliquid non fieri, vel non esse petimus. Hrat. *Æquam memento. Altera jam teritur. Eheu fugaces. Horrida tempestas. Motum ex Metello. Natis in usum. O Navis, referent. O Formosus adhuc.* 314. *Symbaleutico*, solet dici, in quo aliquid deliberamus, v. gr. sitne bellum faciendum? 315. Rationes pro utraque parte afferemus, v. gr. hinc belli labores, & pericula, &c. illinc gloria; hinc pacis tranquillitas, & cætera bona; illinc inertia. 316. *Paræneticon*, seu *Parangelmaticon*, est mo-

monitorium carmen, in quo præcepta Sapientiæ continentur v. gr. si alios moneas, ne se periculis temere objiciant; ne viribus majora suscipiant, aliudve aggrediantur, cujus ipsos postea pœniteat. Horat. *Quid bellicosus. Rectius vives*. 317. *Dithyrambus* a Baccho nomen accepit. Hunc, India perdomita, in Græciam redeuntem Satyri cum Mænalibus comitati sunt, qui vino graves, & mente, ac voce parum constantes, carmina sine modo, ac numero victori Baccho decantabant. 318. Illos imitantur Poetæ Entheo furore correpti, & carmina audaci tumido, varioque stylo scribunt, permixtis in unum versibus omnis generis, & metri. 319. *Diræ* est carmen, in quo quidquid furoris & imprecationum, querelarum, & conviciorum in mentem venit, effundit Poeta. Sic Dido Æneam, Æneidos quarto diris prosequitur. Et Horat. *Ille, &c. nefasto. Quid immerentes? Quo quo scelesti ruitis? Lupis, &c. agnis. Mala soluta, &c.* 320. *Theologicum* carmen vocatur, quod de rebus Divinis agit. 321. *Philosophicum*, quod de naturalibus. 322. *Hymnus* est ode in Dei laudes, virorumque illustrium celebrandas instituta. 323. Lyrico carmine scribi solet. 324. *Idyllium* cum hymno ferme coincidit; Heroico tamen metro plerunque efficitur. 325. Sumitur etiam pro brevi poemate, præcipue in re sacra exarato. 326. Multa sunt Hymnorum genera: *Sacri* appellantur, quibus Deum, Cælitesque colimus, suntque in usu, maxime in templis. 327. *Heroici* in honorem virorum illustrium. 328. *Invocatorii*, cum Dei, Cælitumque auxilium imploramus. 329. *Supplicantes*, si vota præter invocationem adhibeamus. 330. *Emissorios* dicebant veteres, quibus Deos, compositis carminibus, dimittebant; certos enim festos dies celebrabant, quibu interesse Deos suos existimantes, eos censebant non esse sine carmine dimittendos. 331. Vocabant etiam hymnos *Physicos*, quibus Cælum, Terram, Solem, reliquasque naturæ partes nobilissimas celebrabant. 332. *Fabulosos*, quibus fabulas, & commenta sua prosequebantur, ut *Titanum bella, &c.* quod potius ode, quam hymnus vocari debet. 333. *Parodia* est imitatio

tatio verſuum, ubi ſententia tamen in contrarium ſenſum detorquetur, ut: *Beatus ille, qui procul negotiis, Ut priſca gens mortalium, Paterna rura bobus exercet ſuis Solutus omni fœnore, &c.* Ad laudem Religioſi otii, ſic deflectitur, *At ille, Flace, nunc erit beatior, Qui mole curarum procul Paterna linquit rura litigantium Solutus omni jurgio, &c.*

PARERGON POETICUM.

Quaſnam Virgilius comparationes, aut fabulas venuſtiori artificio exaraverit, in certamine demonſtrabo. Texturam Æneidos, & artificium expendam, eamque celebrioribus poematibus tum antiquis, tum recentioribus conferendo præferam. Virgilium quoque, & Homerum Heroicæ Poeſeos facile Principes inter ſe comparando, collatis utriuſque locis, primas Virgilio adjudicabimus. Sunt, qui Camonium Virgilio præcellere arbitrentur; quod adductis ex utroque locis proponere, non tamen ferre ſententiam audemus. Hoc tamen dato: quid alteri glorioſius? Virgilium præponi Homero, an Virgilio Camonium? Hoc vero exemplis, rationibus, ac Doctiſſimorum hominum teſtimonio probaturi ſumus, quod exiguam ſcilicet gloriam Poetæ vernaculo ſermone ſcribentes adepti ſunt, ſi cum Latinis conferantur. Ad calcem inquirenti pollicemur noſtrum aperire judicium de Latinis Vatibus tum antiquis, tum recentioribus, atque adeo, quod in ipſis emineat, in quo præcipue ſint imitandi? In medium proferemus.

SPECTACULUM II.

Elegiæs ſuavitas inculcatur.

Utrum *Elegia inſerviat ad tractanda omnigena argumenta?*

UT ſpectaculum oculos prolectet, in amphitheatrum prodit Elegia: minus, quam Epica morabitur ſpectatores, quibus, ſi apparatu minus placuerit, placebit brevitate. Potuit Epica, quo primam curioſitatis famem expleret, citra faſtidium, eſſe prolixior; atque non modo ſua inculcare præcepta, ſed ad omnium poematum genera ſpectantia: at ſuas tantum dotes, ſuos cultus exhibet Elegiæ ſimplicitas.

EXERCITATIO I.

Elegiæ ſtylus.

Utrum *Elegiæ ſtylum nimis acuminatum eſſe oporteat?*

1. PEntameter Hexametro ſubditus carminis genus quoddam gignit, quod vocatur *Elegiacum*. 2. Ad res funebres, & luctuoſas potiſſimum inventam Elegiam inſinuat Ovidius: *Flebilis, ut noſter ſtatus eſt, ita flebile carmen*. Et in morte Tibulli:

Flebilis indignos Elegeia ſolve capillos.
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen ineſt.

3. Procedente tamen tempore, res etiam lætæ, & ſecundæ ſcribi hoc metro cœperunt, ut amores, vota, preces, gratulationes, convivia, &c. 4. Quæres: *Quis prius exiguos elegos emiſerit Author?* Sub judice litem eſſe aſſerimus. 5. Rogabis quiſnam Princeps habeatur? Ovidium pluris habendum cenſeo. 6. Quæ virtutes, & artificium in Elegiaco metro requiruntur? Curam adhibe, ut poema evadat

vadat tersum, lene, ac perspicuum: urbanum quippe est carmen Elegiacum. 7. Dictio sit lenis, & blande fluens, acuta, affectibus plena, ac delicata quadam suavitate condita. 8. Eleganter induces commiserationes, comparationes, conquestiones, exclamationes, apostrophes, prosopopeias, antithefes, &c. 9. Ad fabulas, ac historias allude, acumina frequenter insere, ac sententias: *Quando ego non timui graviora pericula veris; Res est solliciti plena timoris amor. Usibus edocto si quidquam credis amico, Vive tibi, & longe nomina magna fuge, Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, &c.* Vel plures inserantur hoc modo: *Credidimus lacrymis: an & hæ simul re docentur? Hæ quoque habent artes; quaque jubentur, eunt.* 10. Si non tantum multa eodem disticho dicantur, sed etiam repetantur verba, in pentametro aliquid sententiose concludentia, pulcherrimum erit: *Demophoon ventis, & verba, & vela dedisti: Vela queror reditu, verba carere fide.* Vel: *Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum: Antilochus nostri causa timoris erat.* Vel: *Poscit, ut ora lavet, vel candida brachia tergat; Si tepet, incusat; si calet unda, nocet. Illa meos oculos comprimat, illa meos. Quæ venit indigne pœna, dolenda venit.* 11. Potes distichum initio verbis finire, vel subsequens distichum a præcedentis fini inchoare, vel duo disticha eodem modo ordiri, aut terminare: *Ut mihi sunt toties maxima vota mori; Vota mori mea sunt, &c.* Et in Heroicis: *Sequitur pulcherrimus Astur, Astur equo fidens. Omnia naturæ præpostera legibus ibunt, Parsque suum mundi nulla tenebit iter. Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam, &c. Phœbus adest, sonuere Lyræ, sonuere pharetræ; Signa Deum nosco per sua, Phœbus adest.* 12. Vel incipere, & desinere eadem dictione, ut: *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.* Vel eadem dictio sæpius in carmine repetita sit: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Increpet usque licet, tua sim, tua dicar oportet. Restant bella, aspera restant: Fuit ah, fuit utile tecum Ire mihi!* Vel hoc modo: *Quam cito purpureos amittit terra colores! Quam cito*

formosas populus alba comas. *Expectem: qui me nunquam visurus abisti; Expectem pelago vela negata meo*. 13. Optima tamen repetitio illa est in Virg. *Ad Cælum tendens ardentia lumina frustra, Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas*. 14. Hæc optima sunt: sed nihil injucundius est inepta verborum repetitione, quam tyrones Latinarum vocum supellectile parum instructi, & verborum copia egeni, versibus suis intrudunt; hac de causa hic de industria morati sumus, pluraque ad Poeticum ludum reservamus. Pulchre etiam eadem repetitur syllaba hoc modo: *Me mea paupertas vitæ traducat inerti*. *Ipse seram teneras maturo tempore vites*. 15. Ornant breves parentheses: *Dic age, si ventis (ut opportuit) actus iniquis. Quam, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem. Finge age te rapido (nullum sit in omine pondus) Turbine deprendi: quid tibi mentis erit?* 16. Sensus in quovis disthico absolvendus est: licet rarissime sequenti continuari possit. 17. Dactilis frequentius utere. 18. Verba sono mitissima amat Elegia, quamvis plurium syllabarum, ut *Mæonius*, *Pelasgiadas*, *Pertimuisse*, *Sagittiferus*, *&c.* Item diminutiva inseres, ubi congrua judicaveris argumento, ut *Tenellus*, *Puellus*, *Guttula*, *Crustula*, *&c.* 19. Synalœphas fuge, nisi necessitas urgeat; sunt enim veluti scopuli, in quibus Elegiacum carmen illiditur. 20. Vitandæ sunt crebriores, duriorésque consonantium collisiones, illisionesque vocalium, præcipue in pentametro. 21. Ex dictionibus suaviores sunt, quæ vocalibus frequenter E, I, U, & consonantibus S, M, V, L, asperguntur; reddunt enim suavissimum Elegiæ stylum, ut passim in Ovid. *Diceris infelix scuticæ tremefactus habenis Ante pedes Dominæ pertimuisse minas*. *Cumque cupis, lacrymæ per amantia lumina manant; Morsque minus pœnæ, quam mora mortis habet*. *Ut te non poterat, poterat tua vela videre, Vela diu vultus detinuere meos*. 22. Exclamationes passim insere, sicut alios vehementis animi affectus: *Crudeles somni, quid me tenuistis inermem! Hei mihi quam duro! Ab quoties dixi!* 23. Item comparationes, ac fabulas: *Mitius inveni, quam te, genus*

omne

omne ferarum. Credita nonnulli, quam tibi, pejus eram. Quid fuit, ut tutas agitaret Dædalus alas? Icarus immensas nomine signet aquas? Nempe, quod hic alte, dimissius ille volabat, &c. Aspicis, ut summa cortex levis innatet unda, Cum grave nexa simul retia mergat onus. Qui cadit in plano, vix hoc tamen evenit ipsum, Sic cadit, ut tacta surgere possit humo. At miser Elpenor tecto delapsus ab alto, &c. Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses! Et, nisi duritie robora vincis, eris. 24. Elegia amat paranomasias primo mutato verbi tempore: *Vince animos, iramque tuam, qui cætera vincis.* 25. Secundo mutato nominis usu: *Quo fugis? Obstat hyems, hyemis mihi gratia prosit.* 26. Affinis huic est traductio, quando eadem repetitur dictio mutato casu: *Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes, Posterior nono est, undecimoque prior. Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis, &c.* 28. Fit quoque paranomasia, si aliqua mutetur litera: *Qui sic intrabas, hospes, an hostis eras? Verbera cum verbis mixta fuere meis.* 28. Vel verba similiter cadentia: *Nomen, & omen habes. Sanguis, ut anguis eat.* 29. Vel verbum, & nomen ab eo derivatum: *Et movet, & motas ferus aggerat impetus iras. Hæc ego, si monitor, monitus prius ipse fuissem. Facta fugis, fugienda petis, quærenda per orbem Altera, quæsita est altera terra tibi.* 30. Hæ paranomasiæ non tantum hexametrum, sed pentametrum venustant hoc modo: *Speque timor dubia, spesque timore cadit. Quam sine te cogis vivere, coge mori. Et mihi si non vis parcere, parce tibi.* Vel: *Tu Janum arbitrio claude, reclude suo. Lumina, mi Lodoix, fige, refige Polo.* Fictæ personæ eleganter introducuntur: *Nympha fuit; viridi, placidoque in margine ponti Clara fatigabat questibus antra suis.* 32. Tam in soluta, quam in ligata oratione diligenter adornare debes particulas Latinitatis, ac transitiones, quod maximum quidem præsidium est, & venustate plenam reddit compositionem. 33. In Elegia peculiares habet Ovidius transitiones, ut: *Quisquis es, in superos. Aspicis, ut: Cernis, ut: Scilicet indomitos:*

tos : Adde , quod : Quid fuit , ut tutas : Nempe , quod hic alte : Est aliquid coluisse Deos : Sed tamen in : Vidi ego te puerum , &c. Et mille alia hujusmodi tibi suggeret .

EXERCITATIO II.

Elegiæ numerus .

Efficaciorne sit Elegia ad ingerendos commiserationis affectus, an Heroicum poema ad furorem , & indignationem concitandam ?

De Hexametro .

34. RArissime solvitur in secundo pede , nisi monosyllaba intersint ; & hoc rarissime , ut , *Editus hinc ego sum* . 35. Etiam in quarto raro consistit , nisi sententiæ sint crebræ : *Perlegis , an conjux prohibit nova ? Perlege , non est Ista Mycenaa litera facta manu* . 36. Idem est ad tertium , vel ad quarti initium , quod ægre admittitur , nisi in fine versus sensum absolvat , ac deprimatur : *Nobilitas sub amore jacet , miserere priorum* . 37. Quod sibi quasi peculiare Elegia vendicat in hexametro , est , post primam syllabam tertii pedis frangi ; deinde sequatur dissyllabum longum , & inde dissyllabum breve : *Vade , sed incultus , qualem decet exulis esse . Vivere me dices , salvum tamen esse negabis* . 38. Pulcherrimum est , si loco dissyllabi longi duo monosyllaba longa , vel dissyllabum breve cum monosyllabo longo ponatur : *Quis gradus ulterior , quo se tua porrigat ira ? Parve (nec invideo) sine me liber ibis in urbem* . 39 Nec tantum quintus pes , sed etiam quartus monosyllabo finiri potest : *Quoque loco est arbor , turgescit in arbore ramus*. 40. Etiam pulchre ultimi pedes hoc modo dissolvuntur : *Et tamen est aliquis , qui vulnera cruda retractet . Herbaque , quæ latuit Cerealibus obruta sulcis .* 41. Pulchrius : *Denique dum vixi sine crimine , mortuus essem* . 42. *Barbara me tellus , & inhospita littora Ponti* . 43. Possunt catena-

nari pedes, quin Elegiæ suavitas detrahatur; imo lenissime fluat hoc modo: *Sæpe meas tenuit numerosus Horatius aures. Otia, si tollas, periere Cupidinis arcus.* 44. Ex quibus liquet Elegiam fugere omnia, quæ carmina Heroica ad majestatem extollunt, ut participia in *ans*, & *ens*, in accusativo; frequentes synalœphas, nexus pedum, & alia, quæ de Heroico tradidimus. 45. Aliquando, sed raro, clauditur monosyllabo *que: Lassus in extremis jaceo, populisque, locisque.* 46. Venuste etiam, sed raro, hexametrum clauditur voce *est*, idque cum monosyllabum antecedit, vel cum in dimensione cum præcedenti coalescit, ut: *Exul eram, requiesque mihi, non fama, petita est.* 47. Cave diligenter, ne suavitatis lenocinio ita arripiaris, ut affectata videatur fluere Elegia. Nec omnes versus eodem verborum ordine, ac nexu condiantur, ne gratiam, quam numeroso pedum concentu affectant, defectu varietatis amittant.

De Pentametro.

48. Primus per dissolvi potest. 49. Secundus rarissime, & solum omnino duobus intervenientibus monosyllabis: *Et pereas, dum me per freta longa fugis.* 50. In medio pentametri nunquam fit cæsura, ideo ad Cocyti ripas amandandum carmen illud Catulli: *Troja virum, ac virtutum omnium acerba cinis.* 51. Ante cæsuram, & postea, possunt catenari pedes, ut passim notabis. 52. Longiores dictiones non rejicit, si in fine dissyllabo præeant: *Aut premis arentem pulverulentus humum.* 53. Ovidius pentametrum fere dissyllabo claudit. 54. Sunt, qui antiquitatem redolere arbitrentur, in vocabulum majus dissyllabo desinere versum: *O Tygris! O ferro durior! O chalybe! Et tegitur rubris gemma sub æquoribus. Illis ampla satis forma pudicitiæ.* 55. Hoc tamen fuge, licet Tibullus, Propertius, ac præcipue Catullus, in illis frequentes sint. In omnibus siquidem Ovidii scriptis, quæ tibi tamquam exemplar propones, non sæpius, quam decies in fine pentamentri vo-

cem

cem duabus syllabis longiorem reperies. 56. Licet eleganter poterat poni in re nimio dolore, aut vehementi affectu plena, ut Divus Borgia, cum pulcherrimæ Imperatricis horrendum cadaver aspexit: *Diriguit cernens miserandum Borgia corpus; Ipsam ceu mortis cerneret effigiem*. 57. In fine Epigrammatis tolerabilis est vox dissyllabo major, ut melius exprimatur acumen, ad quod præcipue attenditur. 58. Etiam monosyllaba in fine versus dure sonant, ut Catullus: *Aut facere hæc a te, dictaque, factaque sunt*. Nisi aliud monosyllabum antecedat: *Præmia si studio consequar ista, sat est*. Aut cum synalœpha, quod usitatius est: *Et solum constans in levitate sua est*. 59. Conjunctiones enclyticas non respuit per medium interpositas: *Hypolitique paras, Hypolitique leges*: *Nec steterant in te virque, paterque tuus*. 60. Aliquando sub eodem hexametro plures pentametri subjiciuntur, ut illud celebre Virgilianum: *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores, &c.* Constare etiam poterit poema solis pentametris.

PARERGON RHETORICUM.

Elegiaco præsertim metro lusit Nasonis ingenium: nullumque assignabitur argumentum, quod non petractaverit. Quin etiam artis Oratoriæ libertatem Elegiacis numeris illigavit. Tria dicendi genera poetico stylo attigit. Unde inquires: in quonam aureum illius ingenium aurea ætate vere dignum triumphavit felicius? In Deliberativo, Exornativo, an Judiciali? Elige. Hic lectorem monitum volo, omnes Rhetorices figuras in hæc spectacula sæpissime prodire; siquidem in Epigrammatis, symbolis, & carminibus, quæ referimus, exacta figurarum praxis elucet. Ut tamen de Rhetorica in certamine disputare volentibus plenius morem geramus, non modo ipsas figuras dabimus in conspectum, sed earum artificium; necnon & tropos, & locos Oratorum Poetarum exemplis confirmabimus. Denique Elocutionis, Dispositionis, & præterea totius Rhetoricæ præceptiones, quatenus ad Poetam faciunt, aut faciunt Poetam interroganti aperiemus.

SPE-

SPECTACULUM III.

Lyrici metri variæ species explicantur.

In quo nostri sæculi Poetæ excellant: Heroico metro, an Lyrico?

EN theatro damus spectaculum spectari dignum planeque theatrale: agemus enim de Comœdia, & Tragœdia, quæ sic inserviunt theatro, ut, hoc remoto, gratiam amittant. Claudet spectaculum poesis Lyricæ melos, ut scenici cantus loco aures demulceat.

SPECIES I.

Poema Dramaticum.

Quid aptius pro egregiis factis æternitati commendandis: Heroica Poesis, an Dramatica?

1. POema Dramaticum est illud: *Quod totum fit in actione:* unde Actores vocantur, qui in eo colloquuntur. 2. Definitur: *Imitatio actionis unius, totius, justæ magnitudinis, veræ, vel falsæ, verisimilis, insignis, vel vulgaris, felicis, vel infelicis, quæ metro, & harmonia non narrando, sed agendo, vel quosdam animi affectus excitat, & perpurgat; vel vitæ privatæ exemplum proponit.* 3. Materia poematis Dramatici est: *Actio una, tota, magna, vera, vel falsa, verisimilis, insignis, vel vulgaris, felix, vel infelix.* 4. Erit *verisimilis*, si nihil afferat, præter naturalem rerum ordinem, spectatis circumstantiis, in quibus dicitur illa actio contigisse. 5. In forma, hoc est, in fabula, seu compositione actionis, illucere debet unitas, simplicitas, & magnitudo. 6. Unitas consistit in ea partium omnium, rerumque diversarum inter se connexione, ut in unum

unum aliquid videatur coalescere. 7. Fabula simplex, prout opponitur implexæ, illa dicitur: *Quæ sic est una continua, ut sine manifesta in contrarium mutatione ad finem deducatur*. 8. Multi inserendi sunt diversi rerum successus; eo tamen artificio, ut in ultimum finem dirigantur. 9. Magnitudo in fabula Dramatica minus extendi debet, quam in Epica; ut illam, uno quasi intuitu, complecti possit auditor; ne distracto in plura, aut obruto rerum multitudine animo, remittantur, ac frigeant, qui concitantur affectus. 10. Quantitatem, quæ in numero versuum consistit, limitant plures ad 1200. versus, alii ad 2000. extendunt. 11. Optimum Drama illud arbitror, quod inter ternas, & senas horas exhibetur. 12. Nec brevius sit, ne locus desit concitandis affectibus. 13. Nec longius, nam, ut Plautus inquit: *Lumbi sedendo, & oculi spectando dolent*. 14. Drama, omissis aliis divisionibus, in quinque partes dividimus. 15. Prima *Prologus*, est Oratio, quæ ante fabulam legitimam habetur ad spectatores. 16. Secunda *Protasis* prima pars fabulæ; in ea narratur, ac proponitur summa rei; non tamen finis ostenditur: nempe, ut ex opinato exitu crescat fabulæ jucunditas. 17. Tertia *Epithasis*, quæ rei constitutionem, seu exaggerationem significat. *Protasin* proxime consequitur hæc pars, in eaque turbæ excitantur, totaque rei negotiatio magis, ac magis involvitur; diciturqu a Latinis, Nodus erroris. 18. Quarta *Catastasis*, quæ cum Epithasi a multis confunditur, est ea pars, in qua continuatur, & major cernitur rerum perturbatio; ostenditur tamen quomodo possint illa postea explicari. 29. Qninta *Catastrophe*, quæ subversionem sonat, est pars, in qua totum negotium dissolvitur, cum Actor primarius a felicitate in infelicitatem transit, vel e contra. 20. Rejicitur ad extremum Dramatis, ut auditoris animus magis suspendatur, ac delectetur. 21. Hæ partes per quinque actus dividuntur, ut præscribit Horatius:

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

22. Actus primus argumentum exponit; at non rei exitum.

23. Secundus rem proprie deducit in actum. 24. Tertius turbas ciet. 25. Quartus viam ostendit, qua res implicitæ dissolvantur. 26. Quintus impedita artificiose expedit. 27. Actus alii aliis sunt majores pro ratione rerum, quæ tractantur. 28. Non omnino nigro Theta persigendum est Drama, quod tribus actibus solum constet. 29. Actus dividitur in scenas. 30. Scena *Est pars actus, in qua una, aut plures personæ colloquuntur*. 31. In quolibet actu possunt esse plures scenæ. 32. Aliqui decem ad plurimum, alii tredecim concedunt. 33. Actores mimime plures sint, quam quatuordecim. 43. Tres tantum, aut quatuor ad summum, qui prodeant in scenam, simul loqui permittuntur: *Nec quarta loqui persona laboret;* monet Horat. 35. Quoties ingreditur, aut recedit aliquis, mutatur scena. 36. Scena dicitur ex eo, quod alia, atque alia facies subinde appareat. 37. Poema Dramaticum dividitur in Tragicum, & Comicum.

De Comœdia, & Tragœdia.

38. *Comœdia* dicitur a vicis, & comessationibus; a Rusticanis enim ad Urbanos profluxit. 39. *Tragœdia* vero nomen Græcum traxit ab hirco, quod olim fieret cantando in honorem Bacchi, cui hircus vinearum hostis mactabatur; vel quod hircus in hujusmodi cantillenis præmium esset. 40. Alii deducunt tragœdiam ab asperitate cantus, quod res tristes, atroces, ac miserabiles agit. 41. Tragœdia est: *Poesis virorum illustrium per agentes personas exprimens calamitates*. 42. Finis ejus est, ut misericordiam erga miseros moveat, & quosdam animi affectus concitet. 43. Atrociora spectacula oculis objicere non licet, nam:

Nec pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;
Aut in avem Progne mutetur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

44. Possunt præpuntiari gerenda. 45. Vel narrari, postquam gesta fuerunt; quod Nunciorum munus esse solet.

46. Licet etiam vincula, ipsumque Principis trucidati caput v. g. vel demortui cadaver defferre in medium ad commovendum auditorem. 47. Item verbera, aliaque sævitiæ instrumenta. 48. At non percutere, aut perimere, nisi post scenam id fieri simuletur. 49. Comœdia, & Tragœdia differunt inter se primo in materia; actiones enim in Tragœdia sunt grandes; nec nisi luctus, timores, exilia, cædes: Comœdia vero res humiles, plebeias, a civiles habet. 50. Secundo differt personis; Tragicæ siquidem personæ sunt illustres; Principes, scilicet, Reges, Imperatores: Comicæ vero sunt ignobiles, obscuræ, & civiles tantum. 51. Tertio dictione. In Trag. conficitur oratio verbis selectis, sublimibus, sonantibus, plenis, a communi consuetudine abhorrentibus: in Comœdia autem constat oratio verbis tritis, usitatis, quotidianis, figura infima. 52. Quarto affectibus sedatioribus in Comœdia, in Tragœdia vehementioribus. 53. Quinto exitu; exitus enim Comœdiæ est lætior, cum ejus initium aliquando sit paulo turbulentius, & tristius: exitus vero Tragœdiæ mœstus, ac funestus plane. 54. Sunt, qui asserunt in Comœdia nonunquam infelicem exitum inveniri posse, & felicem in Tragœdia. 55. Quæres: utrum Comœdia, an potius Tragœdia dicenda sit illa, in qua personæ illustres inducuntur in scenam, & fabulam comicam peragunt? Respondemus esse tertium Dramatis genus ex utroque ortum, dictumque *Tragicomœdiam*, cujus finis fere semper est lætus; personæ partim illustres, partim vulgares; res modo ludricæ, modo tristes.

De versu Dramatico.

56. Versus Trimeter Senarius Jambus, vel est perfectissimus, seu purus, qui constat sex pedibus jambis, ut: *Phasellus ille, quem videtis, hospites, Ait fuisse navium celerrimus.* 57. Vel imperfectus, & omnibus locis, præter ultimum, Tribrachym admittit, & in imparibus dactilum, anapæstum, & spondeum, ut: *Fortuna opes auferre, non nimum, potest. Iniqua nunquam regna perpetuo manent.* 58.

Hoc

Hoc utuntur Tragici. 59. Comici vero Jambo imperfectissimo utuntur, ad quem satis est, si in fine sit pes jambus, cæteros vero non tantum jambos, spondeos, dactilos, tribraches, anapæstos; sed etiam amphimacros, & proceleusmaticos, amphibrachos, Bacchios, & pæones 1. In sexto pede etiam tribrachym admittit, ut: *Quare æquum est vos cognoscere, atque ignoscere. Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.* 60. Utuntur etiam Comici versibus Jambicis, dimetris, id est, duas mensuras habentibus. Mensuram vocabant Antiqui duos pedes. 61. Interdum tetrametris utuntur, id est, versibus, qui octo pedes continent. 62. Quæres, qua Jambici versus specie recentiores communiter utantur? Jambo imperfecto. 63. Quæ difficilima species? Jambi puri. Ex ea tamen pluribus versibus odes suas aspersit Horatius; Poemata nonnulla composuit Catullus; & ex recentioribus Stephonius, Comirius, & alii. 64. Sunt versus Jambi duobus pedibus Jambis constantes *Ama Deum: Cave malum: Tene bonum.* 65. Alii admittunt unam insuper syllabam in fine, ac primum pedem spondeum: *Volat fugaci Cursu per umbras.* 66. Cum tribus pedibus constat, primumque, & ultimum spondeum admittit, vocatur Euripidium. 67. Hujus generis sunt aliqui versus in Hymno: *Ave maris stella.* In aliis ad mensuram non attenditur. 68. Jambicum Anacreonticum constat tribus Jambis, & syllaba adjecta: primum spondeum admittit: *O ter, quaterque felix.* 69. Jambicum Boetianum primo loco Anapæstum habet. 70. Jambicum dimetrum Horatio familiare, ac in sacris Hymnis usitatissimum, habet quatuor pedes, qui cum ultimis quatuor Jambi imperfecti mixti coincidunt. 91. Usus est etiam frequenter Horatius hoc versu, addita in fine syllaba, ut: *Sylvæ laborantes, geluque.* Quo in Anapæsto, Asclepiadeo, & aliis utuntur plurimi. 72. Usi sunt etiam alii Jambico septem pedum, addita syllaba, aut octo pedum: *Amandus est tibi Deus, tuus deinde frater. Amandus est tibi Deus, tuus deinde proximus.* 73. Scazon, sive Claudus est dimeter Jambus mixtus, addito pede Jambo, & postea Spondeo: *Ad sacra Va-*

Vatum carmen affero nostrum. Ob hujus metri varietatem innumeris numeris Jambum conflari Bauhusius jocatur. 74. Rogabis, an alio metro præter Jambum uti soleant Tragici, aut Comici in Dramate? Rarissime quidem, si choros excipias, in quibus Jambo, Anapæsto, Sapphico, Adonio, & aliis utuntur.

FACIES II.

Poema Lyricum.

Quidnam jucundius personet: Sapphus, an Alcæi Lyra?

75. POema Lyricum dictum est a Lyra, ad quam olim hujusmodi carmen pronunciari solebat. 76. Dicitur etiam ode, & melos, id est, cantus. 77. Lyricum Poema vulgo dicitur quidquid breviter metro ab Heroico, & Elegia diverso conficitur. 78. Materia Poematis Lyrici longe, lateque patet. 79. Continet Deorum, & hominum laudes, vota, preces, exhortationes ad virtutem amplectendam, ad vitia fugienda, deplorationes calamitatum, desideria, conquestiones. 80. Fontium, montium, villarum, aliorumque locorum amœniorum laudes, & descriptiones, deliberationes; item & invitationes, aliaque innumera, quæ brevi poemate concludi possunt. 81. Ut in Heroico carmine gravitas, ac majestas illucere debet, in Elegia mollities, in Tragœdia vehementior affectus, in Comœdia jocus, in Satyra acerbitas, in Epigrammate acumen, ita in Lyrico suavitas eniteat. 82. Unde adhibenda sunt verba florida, & polita. Non sine majestate sententiæ inserantur. 83. Longiora verba inducantur, ut: *Deliberata morte ferocior. Ab insolenti temperatum lætitia, moriture Deli*. 84. Quæres: utrum quælibet Strophe in Odis debeat sensum terminare, ita ut infligatur punctum? Minime quidem; si Sapphicum excipias, in quo rarissime ultra progredimur. 85. Divisiones dictionum in fine versus, cæteræque Poetarum licentiæ Ly-

Lyrico carmini perquam familiares sunt. 86. Cui ex Lyricis Vatibus primas adjudicabimus? *Sæpe tuas teneat numerosus Horatius aures.* Quod metrum ex Lyricis cætera excellit? 87. Illud optimum judicamus, quod ad amussim elaboratius fuerit. 88. Alcaicum tamen carmen arrogantia, ac majestate. 89. Sapphicum dulcedine, ac suavitate præstat. 90. Rogabis: inter Odas Horatianas, quænam præ cæteris palmam mereantur? *Rapuit sibi quæque coronam.* 91. Josephus Scaliger tanti fecit duas illas: *Donec gratus*, & *Quem tu, Melpomene, semel, &c.* ut mallet illarum Author esse, quam totius Hispaniæ Tarraconensis Rex. 92. Si tamen quoque nostrum fas est interponere judicium, plures alias similem meruisse laureolam nihil hæsitantes asserimus. 93. Hic curiose inquires: utrum dari possit carmen, cui nulla sit syllaba brevis, vel cui nulla longa? Heroicum spondaicum brevibus omnino carere potest, ut: *Nullum est jam dictum, quod non dictum esset quondam.* Versus Perrichii perfecti longis carent, vel quatuor pedes perrichios contineant, ut: *Age nigra, quate cohors.* Vel 7. ut: *Latet ubi lapide gelida mea rosa.* 94. Inquireres iterum: an in omni metro reperiatur harmonia? Ita quidem videtur asserendum. 95. Sed mirum sane est, repertas fuisse aures, quibus aliqua placuerit carmina ut Choriambicum, quod Callimacho placcuit: *Tu ne quæsieris, (scire nefas) quem mihi, quem tibi.* 96. Illud etiam numero videtur carere: *Lydia dic, per omnes, Te, Deos oro, Sybarim cur properes amando.* 97. *Jonicum minus* eodem laborat vitio, tam quod tribus, quam quod quatuor pedibus jonicis a minore constat, ut:

Ratus idem per apertum fugientes
Agitato grege cervos jaculari, &
Celer alta latitantem fruticeto accipere aprum.

98. Nec minus Archiloco placuit illud carmen: *Solvitur acris hyems grata vice veris, & Favoni.* 99. Ut brevitati consulamus, carminum leges, & species, quæ sexaginta, & ultra numerantur, Odarum quoque genera, quibus tum veteres, tum recentiores Lyrici uti solent; necnon Hymnorum, quos Deo Opti. Max. Cælitibusque accinit Ecclesia,

 da-

dabimus in certamine. 100. Pro coronide inquires: unde tanta nominum varietas in Odis, & carminibus? Brevi dicam, longioribus explicationibus ad certamen reservatis. Carmina ab *Authoribus* non raro nomina usurpant, ut Alcaicum, Anacreonticum, Aristophanicum, Asclepiadeum, Glyconicum, Hypponacteum, Phalæcium, vel Phaleucium, Pharecratium, Sapphicum, Alemanium, Euripidium, Stesichorum, Callimachium, Archirochium. 101. *A pedibus* prædominantibus, ut Dactilicum, Anapæsticum, Jambicum, Choriambicum, Trochaicum. 102. *A numero syllabarum*, ut Pentasyllabum, quinque syllabarum. Hendecasyllabum, id est, undecim. 103. *A materia*, ut Heroicum, Comicum, Tragicum, Elegiacum, & Adonium ab Adonis laudibus. 104. *A numero pedum*, ut Hexametrum ex sex pedibus. Pentametrum ex quinque Dimetrum ex duobus. Aliquando hi pedes non sunt simplices, ideo Dimeter est versus constans quatuor pedibus. Trimeter constans sex, & Tetrametrum octo. 105. *Ab excessu, vel deffectu syllabarum*, Sic Carmen Acatalecticum dicitur, cui nihil abundat. Hypercatalecticum, seu Hypermetrum, quod una syllaba abundat. Catalectum, cui una deest. Si desit pes integer, dicitur Brachicatalectum. 106. Carmina, quæ unico versu sensum absolvunt, dicuntur Monosticha; Disticha, quæ duobus; Tetrastica, quæ quatuor; Hexastica, quæ sex; Octastica, quæ octo; Decastica, quæ decem; Dodecastica, quæ duodecim. 107. Vocatur etiam Ode Monocolos, quæ unius generis tantum habet carmina, ut: *Mæcenas atavis edite Regibus*. Dicolos, quæ Strophas habet, quarum carmina sunt duplicis generis, ut: *Jam satis terræ, nivis, atque diræ*. Tricolos, cujus Strophæ continent carmina triplicis generis, nempe: *Vides, ut alta stet nive candidum*. Tetracolos, quæ habet versus ex quatuor generibus. 108. Item dicitur Monostrophos Ode, in qua omnes versus sunt ejusdem speciei. Distrophos, quæ plures habet strophas, seu clausulas, quarum quælibet continet duo carmina diversi generis, ut: *Sic te Diva potens*, *&c.* Tristrophos est illa, cujus strophæ habent tria carmina, licet

duo

duo ex tribus sint diversæ speciei. Tetrastrophos, cujus strophæ quatuor versus includunt, ut: *Jam satis terræ*, *&c. Vides, ut alta*, *&c.* Si adhibentur strophæ diversæ speciei ordine inverso, diceretur illa Ode: Antistrophos.

PARERGON HISTORICUM.

SCimus olim fuisse de Literatorum vulgo non paucos, qui Poeticam, ut ludricam, aut certe minus gravem, & juvenilem irridebant. Alii Poetas inopiæ, alii malæ fortunæ perdamnantes ipsis minimum tribuebant ingenii, multum vero furoris, ac stultitiæ; nec defuere insana quædam capita, quæ cum Democrito penitus excluderent sanos Helicone Poetas. Verum ab iniquissima Democriti sententia, quam non sani esse hominis non sanus juret Orestes, provocamus ad Historiam, e cujus fide demonstrabimus 1. paucos tantum de imperitorum grege obtrectasse Poeticæ, quam sapientiæ proceres fere omnes meritis laudibus cælo tenus extollunt: unde sive ponderentur, sive numerentur suffragia, præstantissimæ artis constabit authoritas, & veneratio. 2. potentissimos Reges, & quod est præstantius, Sanctissimos Ecclesiæ Patres, ac Pontifices sua in Poeticis studiis ingenia exercuisse. 3. magnis honoribus, & præmiis Poetas affecisse. 5. horum patrias, operibus, & immunitatibus ornatas fuisse probabimus. 5. civiles quondam leges, Regum edicta, Sapientum monita ad posteritatis memoriam, & venerationem versibus mandari. 6. falso quæri de fortunæ suæ iniquitate nonnullos Poetarum; quippe quos morum, non artis vitium, non Apollo, sed Venus plerunque reddit infelices. 7. eam sibi venerationem apud antiquos conciliasse Poetarum præstantissimos, ut in Deorum numero relatos constet. In Lusitania quidem, citra fabulam, & superstitiosæ consecrationis commentum sacris Vatibus hic honor accessit in D. Damaso P. Ter Maximo, & SS. Hic Lusitanorum primus fuit, qui per Latinam poesin Vatis nomen compararit. Secundus ab illo Rex Dionysius, qui primus in tota Hispania vernaculo idiomate acuratos versus panxit, majestatem Authoris referentes. Liceat igi-

E 3 tur

tur Lusitanis, citra superbiam, gloriari poesin nullibi terrarum, quam apud ipsos habuisse tam felix, faustumque principium. Liceat etiam ad patriæ gloriam pauca adhuc delibare. 1. primam totius Orbis Academiam in Lusitania antiquissimis temporibus institutam Historicorum authoritate enixi opinamur. 2. nullibi Gentium prius carmina pangi. 3. liberales disciplinas a Lusitanis ingeniis magnopere illustratas fuisse asserimus. 4. hanc sibi laudem præcipue vendicare Eborensis Academiæ alumnos, quorum sane quamplurimi virtute præstantissimi, omnigenæ literaturæ scientissimi extiterunt, quod benignæ soli, ac cæli naturæ tribuendum non sine Authore defendimus.

SPECTACULUM IV.

Argutiarum Fontes in Epigrammate scaturiunt.

Quibusdam Epigrammatariis primas deferemus: Antiquis, an Recentioribus?

INducebantur olim in Amphitheatrum fontes, ut jocoso susurrantis undæ occursu, variosque per mæandros circumductu, oculos pariter, atque aures allicerent: mirifice enim oblectat illud aquarum murmur suavissimum, pugnaque, qua in subjectum alveum recidentes, fervent ipso labendi tumultu. Igitur hactenus pro metri varietate, nunc pro brevioris compositionis artificio spectacula exhibituri, argutiarum fontes inquatuor dividimus, & in Amphitheatrum inducimus, quorum præcipuum artificem P. Massenium agnoscimus. Expletis deinde videndi oblectatione ingeniis, quatuor fontium aquæ, veluti per occultos canales, ad medium Amphitheatri corrivatæ per XXX. syphunculos, seu fistulas circumquaque expressas emicabunt.

§. I.

§. I.

Inducuntur in Amphitheatrum fontes.

Quodnam in Epigrammate præcipuum: ſal, an acumen?

1. EPigramma generatim ſumptum eſt: *Brevis quædam inſcriptio, vel junctum cum pictura, vel ſine illa.* 2. Aut ſimplex, hiſtorice tantum rem exponens, ut tituli ſtatuarum, ac ſepulchrorum. 3. Aut compoſitum, quod cum argutia aliqua, nervoque concludit. 4. Igitur compoſitum eſt: *Breve poema, quod ad alicujus rei propoſitionem ſcripto factam aliud quiddam, aut oppoſitum, aut alienum, aut comparatum, aut alludens conjungit.* 5. Unum illud jam hic moneo tam ab hoc, quam a cæteris poematibus, res minus pudicas arcendas; utile enim dulci miſceri debet in carmine:

Quare tolle jocos, non eſt jocus eſſe malignum;
Nunquam ſunt grati, qui nocuere ſales.

6. Unde nomen eorum, quos acrius impetis, ſubticebis; non ut Martialis in Poetam, cujus domum incendium abſumpſerat:

Pierios Vatis Theodori flamma Penates
Abſtulit; hoc Muſis, hoc tibi, Phœbe, placet:
O ſcelus! o magnum facinus, crimenque Deorum!
Non arſit pariter quod domus, & dominus?

7. Epigramma tres debet habere dotes: *Argutiam, Perſpicuitatem*, quæ ex varietate, venuſtate, ac numero oritur; & *Brevitatem*; ideo Api aſſimilatur:

Omne Epigramma ſit inſtar apis: I. *ſit aculeus illi,*
II. *Sint ſua mella.* III. *Sit & corporis exigui.*

8. Brevitas nulla poteſt certa lege perſcribi. 9. Si verſu jambico, aliove ab Elegia diverſo fiat epig. (ut fieri poteſt, præcipue Phaleucio) fuſius divagari poteſt. 10. Quæ uno, duplicive clauduntur diſticho, optima judicantur, dum-

modo obſcuritatem brevitas non pariat . Apud Martialem unico verſu clauditur illud :

Omnia Caſtor emis , ſic fiet , ut omnia vendas .

11. Dulcedo , ſeu perſpicuitas conſiſtit in numero carminis , venuſtate , ac elegantia . Dictio ſit pura , ac vulgaris , ſed Latina . 12. Martialis obſcuritatis vitio laborat , ſæpius inde Satyricus , quam epigrammicus videtur ; ſales tamen aliquando mire epigrammatibus ſuis inſpergit : Ovvenus , ſi aliqua minus pudica excipias , lepore plenus : Auſonius eleganter etiam epigrammata concinnavit ; recentioribus tamen cedunt forſan veteres , & pietate , & artificio : Sautel cultus , Bidermanus pie ingenioſus , Maſſenius argutus , Bahuſius feſtivus , nec ſine ſale Pimenta . 13. In omnibus epigrammata illa imitare , in quibus primo intuitu argutiam miraris . (*a*) 14. Argutia eſt : *Dictum aliquod con-* ira

(a) *Ut ingenue fatear , non omnes argutias , quas propoſui in Theſibus , commendandas nunc judico ; quamvis argutiarum fontes plurimum juvare poſſunt . Ne ergo quis æſtimet me omnes reprobare , tanquam corrupti guſtus monumenta , ut aliqui jactant ; aliquid ſupra attingimus ſpectaculo* 1. *Facie* 7. *n.* 214. *ubi illarum uſum in poemate reprobamus . Contra argutias ſcripſit Peregrini ; ſed tamen quales cum laude ſeligere oporteat , erudite diſſerit , nec dubitat aſſerere parum intereſſe ſi Catulli Epigrammata non extarent , nec Quadrius de magno Petrarcha* : Se qualche Sonetto egli ha di finimento pur debiletto , egli eſſer de' compatito , ma non imitato . *In hujuſmodi argutiis Martialis ſæpius peccavit , ſed plurimas adhibuit ingenioſas , ita ut jure merito Epigrammaticæ artis Princeps haberi debeat , ut erudite probat Cl. Thomas Serrano in ejus defenſione . Has ingenii , ut ita dicam , ſcintillas ſæpe legimus in operibus magni Metaſtaſii , & in aliis optimi guſtus auctoribus ; imo parvæ compoſitiones ſi argutiis (opportunis tamen) careant , plerunque ſunt frigidæ , niſi ille defectus alia laude compenſetur ,*

tra, aut præter expectationem allatum, sed quod rationis nitatur adminiculo, aut recepto aliquo loquendi usu.
V. g. *Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane,*
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

Ad Zoilum.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus.
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

15. Argutia non semper est conclusio; aliquando ex conclusione oritur, ut:

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille Patrem.

16. Quod

---

tur. Diceret aliquis nomen stellæ in Juvene pulcherrimo, qui mortuus est, insipidam suggerere argutiæ materiam, & tamen placuit divino Platoni.

Qual leggiadro Lucifero Già splendesti fra noi.
Splendi oramai qual Vespero Fra l'alme degli Eroi.

Celebre Virgilii Epigramma, quod argutiam ad impietatem evehit, ætati aureæ placuit.

Tutta la notte piove, Le feste a di fanno;
Diviso l'Impero hanno Fra lor Cesare e Giove.

Mnratorius summopere laudat Distichon Suzeni Poetæ Persæ, tanquam nobile, ingeniosum, & novum.

Quattro cose gran Dio,
Che non son nel tuo erario, ti presento,
Il nulla, ed il bisogno,
La colpa, e il pentimento.

Laudatur argutia Corneille. Dolet Cimenes de morte Pastoris ab amante suo occisi.

Piangete, occhi, piangete,
E in pianto vi struggete.
La metà di mia vita
Ahi! da l'altra metà mi fu rapita,
E debbo vendicar (sorte funesta!)
Quella che persi, in quella che mi resta.

Mihi

16. Quod optime imitatus eſt bonus Poeta de Sereniſſimo Rege noſtro Henriquo Collegiorum, & Academiæ noſtræ Fundatore ampliſſimo Crucifixum a flammis vindicante:

Suſtulit Æneas flamma ex ardente Parentem,
Illiacas flammæ dum populantur opes.
Suſtulit Henriquus pietate ipſignis JESUM,
Corripit Auguſtam dum vaga flamma domum.
Hujus, & illius magnum eſt diſcrimen; ab igne
Suſtulit hic hominem, ſuſtulit ille Deum.

17. Aliquando epigramma conſiſtit in ſimplici narratione, ſed argute condita:

Juppiter aſtra, fretum Neptunus, tartara Pluto,
Regna paterna tenent, tres tria, quiſque ſuam.

18. Quæres opportune, quodnam idioma commodius ſit, ut epigrammatis argutia eniteat? Quodlibet, ſive Latinum ſit, ſive Barbarum. D. Emman. de Salinas, y Lypſana, & D. Franciſcus de la Torre Epigrammata Martialis, ac Ovvenii, & plura alia in Hiſpanum idioma tranſtulerunt, quin

---

Mihi optimum videtur Epigramma ad Principem Hiſpanum qui Sponſam ſuam occiſo feroci tauro, qui ipſam inſequebatur, a morte liberavit.

Queſt' azion sì glorioſa
Queſt', o Prence, t' animava
Sol mezz' alma, poichè ſtava
L' altra mezza nella Spoſa.
Se fu tanto valoroſa
Contro il furor d' una fiera
La mezz' anima guerriera,
Che ſarà, ſe armato Spagna
Ti vedrà all' oſtil Campagna
Gir con l' alma tutt' intiera.

Hæc ex Cl. Jo: Fr. Maſdeu tranſcripſimus, Tom. I. Hiſtoriæ Criticæ Hiſpaniæ, pag. 442. Qui Muratorium citat, & alios emunctæ naris auctores.

quin aliquid, ut fieri solet, de elegantia, vel argutia detraxerint. 19. Non inficior, esse nonnulla unius adeo linguæ propria, ut in alia satis exprimi nequeant. Unde ludet operam, siquis Latine reddere laboret illud Camonii ad amicum, qui promissum indusium dare multum distulerat.

Quen no mundo quizer ser	*E, ja que vossa merce*
Havido por singular,	*Largueza tem por diviza,*
Para mais se engrandecer,	*Como o mundo todo ve,*
Ha de trazer sempre o dar	*Ha mister, que tanto de,*
Nas ancas do prometter:	*Que venha a dar a camiza.*

Illud non omittam festive dictum:

A Adella, com que fallais,
Tantas historias ha della,
Que o mal de fallar com ella
Com mil coraes nao corais.

Audi etiam Poetam Hispanum in Rabulam strabonem:

Tuerto de un ojo, y Jurista	*Tu fatiga es sin provecho,*
Eres, y tan mal letrado,	*Dexa, Lesbio, de avogar,*
Que siempre te han condenado,	*Pues no pudiste estudiar*
Lesbio, la vista, y revista.	*Sola una ley al derecho.*

Illud etiam ad lignum vitæ:

Crux remedio de mys males, El gran Pontifice Dios,
Ancha sois, pues cupo en vos Con cinco mil Cardenales.

Cardenales Hispanice flagri plagas significat. 20. Quanvis argutia naturæ, non artis dono comparetur, ut illis tamen, in quorum palato hi sales eruditam excitant sitim, morem geram, argutiarum fontes aperiam.

§. II.

§. II.

Aperiuntur quatuor argutiarum fontes.

Quisnam e quatuor fontibus uberior?

FONS I.

23. Repugnantia de eadem re simul affirmata, aut negata, v. gr. Lazarus pauper, & dives, & similia, quorum exempla selectiora damus.

I. De sue, quæ jaculo confossa peperit.

Ista gravi telo, confossaque vulnere mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.

II. Ad Fident.

Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus,
Sed male dum recitas, incipit esse tuus.

III. Ad Post.

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:
Non bene sempar olet, qui bene semper olet.

IV. Ad Faust.

Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare libros, una litura potest.

V. Ad D. Xaverium in India mortuum.

Tunc occidit in Oriente Sol,
In India quando mortuus
Franciscus est Xaverius.

VI. De Adamo.

Indignus Patris est venerando nomine, quando
Nos prius occidit, quam generavit Adam.

VII. De Dæmone lucernam D. Gudulæ extinguente.

Ne pateat tua fraus, extinguis lampada, sed jam
Clarius extincta fraus tua luce patet.

VIII. Niceta in os mulieris impudentis permorsam linguam expuit.

Eloquio clarum cecinit te docta vetustas,
Et fluxisse labris Attica mella tuis;

At

At tua te tandem vicit facundia, quando
Elingui laudas ore pudicitiam.

IX. Ad Chriſtum D.

O mitem JESUM! qui pro lictoribus orat;
Fel bibit, & tamen hæc felle columba caret.

X. Ad Senes.

Ad mortem citius properat, cum tardius ire
Senecta tarda nixa ſub baculo ſolet.

XI. In Hypocritam.

Dum ficte gravis es mediam, Polydore, per horam,
Eſſe tua levius nil gravitate poteſt.
Dum vere levis es totas, Polydore, per horas,
Eſſe tua gravius nil levitate poteſt.

XII. Ad Bibonem.

Vita tibi ſit longa, cupis, Line? Pocula vita;
Si bibere eſt animus plurima, pauca bibe.

XIII. In Pudentem ſua ſomnia narrantem.

Volvit mente Pudens, dum ſomniat acta diei:
Deinde ſequente refert ſomnia vana die.
Hinc, quando vigilat, credas dormire Pudentem;
Et quando dormit, tunc vigilare putes.

XIV. In Tullium munera Judici dantem.

Plurima judicibus cum munera mittis amicis,
Sordidus es, Tulli, magnificuſque ſimul.
Munifici ſignum eſt animi, dare munus amicis;
Munera Judicibus mittere, avaritia eſt.

XV. De Munifico.

Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

XVI. De Deo.

Omnia cum videat, nulli Deus ipſe videtur.
Solus ubique patet, ſolus ubique latet.

XVII. In ſecum loquentem.

Cum loquere tecum ſolus, ipſe ſis quamvis
Sapiens locutus, collocutor es ſtultus.

XVIII. In quendam ſolis obtutu excæcatum.

Heu miſer in medio perdo mea lumina Sole!

Qui-

Quique diem generat, ſubripit ille diem.

XIX. In molliter comptum.

Natura mas es, ſed fœmina redditus arte;
Communis generis denique factus homo es.

XX. In Helluonem prolapſum in flumen.

Exhauſit vino locupletis viſcera burſæ,
Et qui par Craſſo vixerat, Irus obit.
Irus obit, patrio ſed merſum turpiter amne,
Quamque dabant vitam vina, Moſella rapit.
Mirantur plures; ego nil mirabile cerno,
Quando bibit vinum Craſſus, & Irus aquam.

XXI. De Amore.

Alma Venus prægnans, cum jam prope partus adeſſet,
Conſuluit Parcas, quid paritura foret?
Tigrin ait Cloto; Lacheſis ſilicem; Atropos ignem;
Ne reſponſa forent irrita, natus Amor.

RIVULUS II. FONTIS I.

24. Repugnantia de diverſis ſubjectis oppoſite affirmata, aut negata, v. gr. Lazarus in inopia dives, Epulo in divitiis pauper. Favent etiam, quæ ſequuntur, epigrammata:

I. Non omnibus fidendum.

Qui cuivis quidvis credit, male creditur illi;
Quo mihi plus credis, hoc tibi credo minus.

II. Aliis Argi, ſibi Talpæ.

Crimina qui cernunt aliorum, nec ſua cernunt;
Hi ſapiunt aliis, diſipiuntque ſibi.

III. Monachus ægram ſororem videre noluit.

Ne ſis ægra, meos vis (inquis) cernere vultus;
Æger ego ne ſim, nolo videre tuos.

IV. Gunebaldus malus Poeta, Brenus malus Hiſtoricus.

Jure Gunebaldum non cenſet, Brene, Poëtam.
Jure Gunebaldus te negat hiſtoricum.
Nam licet hiſtoriam tu pangas, ille poeſin,
Omnia tu fingis, fingit at ille nihil.

V. Viri divitiarum.

Divitias vir rarus habet, ſed habetur ab illis
Plu-

Plurimus; inde viri sunt multi divitiarum;
Divitiæ e contra sunt nullæ pene virorum.

VI. Pauper Diviti.

Divitias metire tuas, cum perdere possis.
Omnia: quod possim perdere, nil habeo.

VII. In Pictorem nudorum corporum.

Ars tua naturam haud sequitur, contrarius illi es;
Tu manifesta facis, quod jubet illa tegi.

VIII. In Imbellem jactabundum.

Cur te belligerum, cur te mentiris Achillem?
Nil, nisi magnificum nomen Achillis, habes.
Laus tamen una tibi est: celeri pede vincis Achillem.
In pede mors illi est; in pede vita tibi.

IX. Pictor umbrarum.

Depictas caro pictor cum venderet umbras,
De nihilo docuit posse aliquid fieri.

X. Laudator antiqui temporis.

Nil nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent;
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui.

X. In malum Poetam.

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

RIVULUS III. FONTIS I.

25.* Repugnantium mutuo inter se conversio, v. gr.

I. *Diligeris populo non propter præmia, Cæsar;*
Propter te populus præmia, Cæsar, amat,

II. David oblatas aquas non bibit.

Cum David spectaret aquas, sic asserit: omnes
Si bibero, sitient; si sitiam, biberint.

III. Urbs alitur, Rus alit.

Urbs sterilis fructus agrorum in stercora vertit;
Fertilis in fruges stercora vertit ager.

IV. Sculptor improbus.

O Methamorphosis! tibi saxa simillima fiunt;
Tu saxis similem te facis ipse tuis.

V. Virg. Sacratiss. ante Crucem.

Martyrium MARIÆ dependens in cruce Christus:
Mar-

Martyrium Christi sub cruce Mater erat.

VI. Amor.

Plurimus in cælis amor est, connubia nulla;
Conjugia in terris plurima, nullus amor.

VII. Meritum.

Quod bene fit puero, perit; etsi permanet ille:
Decrepito quod fit, non perit; ille perit.

VIII. Avarus moriens.

Omnia das, quia nil potes hinc auferre; dedisses,
Si tecum posses omnia ferre, nihil.

IX. Felix, & Miser.

Dupliciter miser es, qui felix ante fuisti;
Dupliciter felix, qui fuit ante miser.

X. Prudens.

Natura es timidus; fortem Prudentia reddet;
Nemo cavenda timet, qui metuenda cavet.

XI. Vita longa.

Si tarde cupis esse senex, utaris oportet
Vel modico Medice, vel Medico modice.

XII. Christus nascens.

Ex stabulo Christus Paradisum fecit, ab Adam
In stabulum versus cum Paradisus erat.

XIII. De Juda.

Non voluit Judas, potuit servare Magistrum:
Non potuit, voluit Judam servare Magister.

RIVULUS IV. FONTIS I.

26. Repugnantia de se invicem affirmata v. gr. Lazari paupertas dives, qua cælum emit, &c. vel, si malis:

I. De Christo patiente.

Pharmaca sunt potius, quam vulnera, vulnera Christi;
Curat enim plagis vulnera nostra suis.

II. Medici, Jurisconsulti.

Visceribus, Galene, sapis tantummodo nostris:
Stultitia nostra, Justiniane, sapis.

III. Epigramma Satyricum.

Res, ais, est Epigramma levis, cum scribitur in te.
Cur fers ergo levem rem, Line, tam graviter?

IV.

IV. Malus Poeta.

Quid nobis placeat recitato in carmine, quæris?
Mil mage, quam finis, crede, placere solet.
Item: *Quo minus attuleris, plus tibi laudis erit.*

X. Ad Cæcil.

In cervis Hyrcos (veterum commenta Sophorum)
Et barba, & pedibus, Cæciliane, probas.
Hircum barba facit, nuperrima te fuga cervum;
Ergo merum nobis ens rationis eris.

VI. Ad Clitum.

Qui faciem minio pingit, plumboque capillos,
Non est hic verus, sed, Clyte, pictus homo.

VII. De Solis Eclypsi in morte Christi.

Te moriente, suum nisi Sol jubar abscondisset,
Clara minus nobis mors tua, Christe foret.

VIII. S. Franciscus Borgia.

Hausisti e tumulo vitam, res mira! sepulchrum,
Quod locus est mortis, Borgia, vita tibi est.

IX. Ad Assertorem nostrum in præsepio natum.

Tu mala nostra luis, te nostra superbia vilem,
Infelix inopem copia nostra facit.

X. Ad Eundem.

Omnia condideras; deerat tamen omnibus unum,
Ni te fecisses, omnia nulla forent.

XI. Ad Judam.

Prodiga avarities semel est comperta fuisse,
Omnia pro laqueo cum dedit illa levi.

RIVULUS V. FONTIS I.

27. Idem de ipso negatum, aut opposite aliqua ratione affirmatum v. g. Lazarus, pauper sine paupertate, &c. apposite etiam.

I. Christus nascens, & patiens.

O nati Christi bona nox! o lux mala passi!
Lux mala luce carens, nox bona nocte carens.

II. Christi facies in Sudario.

Forma caret forma, color illi est absque colore.
Qua fuit arte, rogas, picta tabellas? Tua.

III. Beatiss. Virgo.

Quisquis es, absque meo qui vis me pingere nato;
Me sine me potius pinge, dolebo minus.

IV. Judas *Anagramma*. Ad *jus*.

Ad jus, crede mihi, tu jure citaris, Juda;
Nomen habes tantum; jus sine jure tuum est.

RIVULUS VI. FONTIS. I.

28. Idem de subjectis diversis affirmatum, aut negatum, &c.

Qui modo venisti nostram mendicus in urbem,
Paulum mutato nomine, sis Medicus.
Pharmaca das ægroto, æger tibi porrigit aurum;
Tu morbum curas illius, ille tuum.

II. Dives, & Pauper solicitus.

Semper sollicitus fuit Irus, cur? Quia pauper;
Nec tu, Crasse, minus, cur? Quia dives eras.

III. Ad Dind.

Tempore tempus edax edit omnia; sed tu,
Dum negando teris tempora, tempus edis.

IV. Ad calvum.

Calve, meos nunquam potui numerare capillos;
Nec tu (nam nulli sunt) numerare tuos.

RIVULUS VII. FONTIS I.

29. Potest etiam repugnantium unum alteri præferti, aut substitui per correctionem, aliove modo, v. g.

I. In sobrium.

Nec paupertatem, nec opes desidero magnas;
Nolo parum, nimium non volo; sat mihi sat.

II. In confessiones D. Augustini.

Virtutes alii proprias per compita vulgent:
Tu mihi, vulgato crimine, major eris.
Nam tibi mutato surgit de crimine virtus,
His, quod erat virtus, incipit esse scelus.

III. In Christum natum.

Nato caula fuit; pastoribus illa patebat;
Sed tamen & patuit Regibus, aula fuit.

IV. In Avarum.

Solus habet, quod avarus habet: nil donat amico,

Nil

Nil sibi, nec quod habet solus, avarus habet.

FONS II.

3. Alienarum a re, statu, aut etiam a significatione propria: ut si de Domitiano muscas captare solito, diceres hostem muscis, hostibus muscam esse.

I. *Cæsar, qui muscis fuit infensissimus hostis;*
Hostibus ille suis non nisi musca fuit.

II. In Musicum ineptum.

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Et quævis vocum bellua quidquid habet.
Omnia cum similes ita vere, ut ficta negentur,
Non potes humanæ vocis habere sonum.

III. Christus Crucem ferens.

Heu! simile obsequium tua crux tibi, Christe, reponet,
Nam modo fers illam, te ferret illa brevi.

IV. In fœminam inconstantem.

Mobilitas cæli laus est; constantia terræ;
In se terrenum nil tua Phyllis habet.

V. In calvum scelestum.

Omnibus amissis a tergo; & fronte capillis,
Quid tibi jam restat perdere, calve? Caput.

VI. In Aulum degenerem.

Degener, Aule, tui majoribus omnia debes;
Debebit, credo, nil tibi posteritas.

VII. S. Catharina Martyr.

Dum vidit pugnas in Virgine terra viriles,
Lac nisi vidisset, crederet esse virum.

VIII. Ad Canonicum parum canonice viventem.

Ad noctis horas per Vicarium surgis;
Horas diurnas per Vicarium cantas;
Animas tuorum per Vicarium pascis;
Animasque vinclis per Vicarium solvis;
Canonice, pergis ire si viam cœptam,
Convexa Cæli per Vicarium vises.
Contra: sodales lætus inter ad feram
Noctem usque per te, non Vicarium potas;
Lectique plumis involutus, in multam

Lucem usque per te, non Vicarium stertis.
Canombe, pergis ire si viam cœptam,
Acheronta per te, non Vicarium vises.

RIVULUS II. FONTIS II.

31. Non tantum argute fit alienatio in persona, sed etiam in re, v. gr. Medicina morbum contraxit. Item,

I. S. Benedictus inter spinas revolutus, libidinem extinxit.

Quas tibi spina dedit ferventi in corpore plagas,
Non puto vulnus erat, sed medicina tibi.

II. Christus flagellatus.

Sævitiem voluit refugum damnare flagellum,
Immitemque inter mitius esse manum;
Sed parere manus dum noluit impia; flagrum
In Domini manibus protinus erubuit.

III. Ad Idem.

Erubuit flagrum Domini cum terga cecidit;
Ad scelus hoc lictor non tamen erubuit.

IV. Ad D. Adrianum manibus truncum.

Cum tua te truncis vidit natalia palmis;
Euge, ait, o conjux optime, Martyr eris,
Non procul est, tibi quam festinant sydera palmam.
Palma est in manibus nunc, Adriane, tibi.

V. Ad scholasticum potorem.

Vendidit, ut biberet, libros: studiosus erat; nunc
Helluo librorum jure vocandus erit.

VI. Medicus jactabundus.

Re Medicus non es, sed lingua, Dactile; nonne
Sanandi genus hoc te docuere canes?

VII. Anachoreta passus numerari sensit ab Angelo.

Sæpe fatigatus lymphis procul æde ferendis,
Dum censet, vidit præmia ferre gradus,
Longius inde duplo cellam removebat ab undis,
Et visus duplo est jam labor iste minor.

VIII. D. Magdalena.

Dum tangit Medici corpus, sua vulnera discit;
Ungit, ut unguento sana sit ipsa suo.

IX. D. Catharina.

Cin-

Cingite, ait Catharis, duræ meæ tempora vepres;
Non mea serta mihi, sed tua Christe dolent.

X. Judas.

Aurum Judæis, animam quoque debuit Orco:
Restituit Judas omnia, justus erat.

XI. Amor.

Gignitur ex oculis, non ergo, Firmice, cæcus
Nascitur, ex oculis cum generatur amor.

XII. Ad JESUM natum.

Ignis amor; veteres quondam sensere Poetæ;
In te, crediderim, non fuit ignis amor.
In terram Te traxit amor, petit ignis Olympum;
Aut amor hic non est, aut gravis ignis amor.

RIVULUS III. FONTIS II.

32. Cum rei proposita causa, vel effectus alienantur, ut

I. De Prosa, & Versu.

Cur magis est velox vinctus, quam sermo solutus?
Scilicet iste pedes non habet, alter habet.

II. Flumina mare haurit.

Salsa sitim pariunt; nil æquore salsius: ergo
Quid mirum, dulces quod bibat æquor aquas.

III. Corpus animam dominatur.

Imperio parere animæ quid inertia nolunt
Corpora? Sunt animæ quod seniora suæ.

IV. Pisces affabre sculpti.

Artis Phidiacæ toreuma clarum
Pisces aspicis; adde aquam, natabunt.

V. Imago D. Brunonis.

Sic oculos, sic Bruno manus, sic ora ferebat,
Dissimile in vultu nil sinit esse color.
Rumperet ore sonos etiam, sed sancta silendi
Regula composito non sinit ore loqui.

VI. Clavius Mathematicus.

Clavius e terris cum jam vix sydera nosset,
Da, Deus, hæc propius cernere, dixit, obit.

VII. De Christo nato.

Plaudite, Pastores, vestra est modo gloria, Christus
In stabulo nasci maluit, agnus erat.

RIVULUS IV. FONTIS II.

33. Cum aliquid a moribus, legibus, consuetudine, modo, vel ordine alienatur, ut: I. De Attalo.

Innumeros coemis libros, legis, Attale, nullos:
Doctior est Domino bibliotheca suo.

II. De Matre Machabæorum.

Magna parens! Veram quis te neget esse Parentem?
Quæ natis ipso in funere das animum.

III. De Fœmina laudem aspernante.

Non quæris, sis laude licet dignissima, laudem:
Est inter laudes hæc prope summa tuas.

RIVULUS V. FONTIS II.

34. Cum aliquid a tempore, vel loco alienatur, v. g. Cæcilianus ad cœnam vocatus, illius partem domesticis sequenti die pransurus parum civiliter submittebat.

Quidquid ponitur hinc, & inde, verris;
Nos accumbimus otiosa turba,
Ullus si pudor est, repone cœnam,
Cras te, Cæciliane, non vocavi.

III. Scorpi epitaphium.

Ille ego sum Scorpus famosi gloria circi;
Plausus, Roma, tui, deliciæque breves.
Invida, quem Lachesis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

III. D. Joannes Chrisost.

Expulsus patria, patriamque reductus, habebat
Exilium in patria, patriam in exilio.

IV. Amans.

Uror amore miser, tantoque potentius uror,
Quanto, qui me urit, longius ignis abest.

V. Flavius Comitianus metu in Capitolium fugit.

Imbellem ne crede ducem; Capitolia scandit;
Sed vincendo nequit, quod fugiendo facit.

IV. Christus natus.

Nescio, quæ toto cerni lux possit in orbe,

In

In stabulo postquam Cynthia, solque latent.

VIII. In Judam.

Si cor, thesaurusque una junguntur avari,
In loculis tantum cor tibi, stulte, fuit.
Nullum te memorant cordis sensisse dolorem;
Nam tibi cor nullum, cum morerere, fuit.

RIVULUS VI. FONTIS II.

35. Cum res a sensu, & significatione usitata alienatur; quod si fiat per Metaphoras, Allegorias, Hyperbolen, &c. optimum erit:

I. Homerus.

Si vera est, de te quæ fertur fabula, nunquam
Vidisti lucem, sed tua scripta vident.

II. Ad Beatiss. Virg.

Sopiti, bona claude Parens, duo sydera Nati:
Orbis habet soles, te vigilante, duos.

III. Piscatoris Filius.

Mater erat nectrix, Pater in mare retia misit:
Hinc tua condecorat linea longa genus.

IV. Ad Podagricum.

Difficile est Podagra obluctari; namque dolosa
Luctatrix primum corripit, Aule, pedes.

V. Amator desperans se suspendit.

Jam dudum laqueo sævi irretitus amoris,
Rumperet ut laqueos, incidit in laqueum.

RIVULUS VII. FONTIS II.

36. Aliquando reticeri licet alienationis causa, v. g.

Nubere Paula cupit nobis, ego ducere Paulam
Nolo, anus est: vellem, si magis esset anus.

Nimirum ut illius hæreditate illico fruerer; Item: *Nihil est securius malo Poeta*; quia nemo ejus carmina suffurabitur.

F O N S III.

37. Comparationum, vel per se, vel ratione proprietatis, affectus, aut conclusionis deductæ, expectationem fallentium. Quod fit primo cum res specie diversæ, similitudine aliqua minus expectata, inter se comparantur, ut:

I. *Claudicat, & semper titubat pede Pontius uno;*
Hexametrum ingressu, Pentametrumque refert.

II. Fiscus opes, viscus aves captat.

Ut Visco capiuntur aves (Fiscus quasi Viscus
Dicitur) a Fisco sic capiuntur opes.

III. Lis, lex.

Lis genuit leges, legum lis filia; vivi
Non sine lite solet, non sine lege potest.

IV. Sol, & Amor.

Sol fugitur præsens, idemque requiritur absens:
Quam similis Soli est, Nævole, noster amor.

V. Vita.

Ad mortem sic vita fluit, velut ad mare flumen,
Vivere nam res est dulcis, amara mori.

VI. Herodias.

Dimidio regni caput emit adultera, quanti
Sit pretii vates integer; ergo patet.

VII. D. MARIA Magd.

Ex oculis amor elicuit tibi, Magdala, fletus;
Et genuit (quisnam crederet) ignis aquas.

VIII. Ad Lutherum salis modios cum Dæmone absumentem, ut ipse fassus est.

Si salis absumit modios cum Dæmone Luther,
Causa patet, quare nocte, dieque bibat.

IX. Ad Eundem.

Si tua cerdones pice tincti biblia versant;
Cur infecta locis pluribus esse negas?

X. Rex, Lex, Grex.

Rex pastor, populique greges, sunt pabula leges.

XI. Æger, & curiosus.

Plurima degustat stomachus, nil concoquit ægri:
Sic tu: scis igitur multa, nihilque sapis.

XII. Angli.

Anglorum portæ sunt portus, mœnia cassels,
Castra æquor, valli corpora, Corda Duces.

XIII. Navis, & Avis.

Puppis cauda, carinaque venter, proraque rostrum;

Ve-

Velaque sunt alæ; totaque navis avis.

XIV. Tellus, Animal.

Telluris lapides sunt ossa, metallaque nervi;
Pellis crusta, pili gramina, sanguis aqua.

XV. Homo, Humus.

Est homo sicut humus, supra se tollitur ipsum;
Mente superbit homo; monte superbit humus.

XVI. Quod propius, majus videtur.

Maxima, quod nobis sit proxima Luna, videtur:
Sic minimus videor maximus esse mihi!

XVII. Sol, & fides una.

Una fides, velut una dies, illuminat orbem;
Unus ut in cælo Sol, & in orbe Deus.

XVIII. Facundus, Fœcundus.

Facundus non est, qui multa, at qui bona dixit:
Ut nec fœcundus, qui mala gignit ager.

XIX. Ad Philom.

Emptis tot libris, tibi bibliotheca referta est;
Doctum, & Grammaticum te, Philomuse, putas.
Hoc genere, & chordas, & plectra, & barbita conde;
Omnia mercatus, cras citharædus eris.

XX. Vita, Lingua.

Vita quoque ornatur variis, ut lingua, figuris;
Vita figurata est, vivimus, ut loquimur.

XXI. Medici, & Jurisconsulti.

Jurisconsultorum idem status, & Medicorum,
Damna quibus licito sunt aliena lucro.
Hi morbis ægrorum, agrorum litibus illi,
Dant patienter opem, dum potiuntur opes.

XXII. In Poetam impudenter argutum.

Quo mage salsa caro est, fœtet minus; at tua tanto
Plus fœtent, quo sunt carmina salsa magis.

XXIII. Ad Lentillum.

Est virtus, est forma tuæ, Lentille, Camillæ;
Tu stipes dici, vitis & illa potest.

XXIV. Virgo gravida Elysabetham invisit.

Virgo Deum portans, cum trans montana volaret,
Tunc

Tunc cum Sole unum Luna peregit iter.

XXV. De Christo patiente.

Quando Dei facies sævis fuit obruta sputis,
Tunc maculas primum in Sole videre fuit.

XXVI. De eodem.

Non miror tenebras, Christo moriente, fuisse:
Semper magnæ umbræ, Sole cadente, cadunt.

XXVII. Christus dicet hœdis: nescio vos.

Quid mirum est hædos non nosci a Judice Christo?
Solas agnoscit, qui fuit agnus, oves.

XXVII. De vita.

Vita quid est hominis? Folium, Flos, Fabula, Fœnum,
Umbra, Sagitta, Vitrum, Scena, Pruina, Cinis,
Fumus, Arundo, Vapor, Filum, Rota, Pluma, Vorago,
Nix, Pila, Testa, Trochus, Bulla, Favilla, Nihil.

RIVULUS II. FONTIS III.

38. Cum inter illa, quæ præ se ferunt, vel ferre similitudinum paritatem creduntur, præfertur id, aut postponitur, quod præferendum vulgo, aut postponendum non videtur, ut,

I. De Cæsaris aula.

Hæc augusta tamen, quæ vertice sydera pulsat,
Par domus est cælo, sed minor est domino.

II. Ad Cæsarem.

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, & æqui,
Quanta Numæ fuerat, sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores;
Et cum tot Cræsos viceris, esse Numam.

III. Lusitanus in hostem dente pro glande usus.

Lethiferi postquam defecit copia teli,
Impatiens miles, telum ego, dixit, ero.
Extrahit inde oris genuinum e carcere dentem,
Fartaque dentatis glandibus æra gravat.
Prælia ne præfer nostris Sansonia; Sanson
Maxilla, nostri prælia dente gerunt.

IV. Dives, & Pauper.

Auro Dives eget, Cereali munere Pauper;

Sed

Sed cum egeant ambo, pauper egens minus est.

V. Dux optimus.

Castra locare fuit Pyrrhi, Fabiique morari;
Marcelli proprium est conseruisse manus.
Tu castrisque, moraque hostem, ac certamine frangis,
Atque trium quod erat, tu tibi solus habes.

VI. Sol cætera sydera vincit.

Sit nox centoculo quanvis oculatior Argo,
Plus uno cernit lumine lusca dies.

VII. Fœminæ mobilitas.

Eclipsin raro patitur Sol, Luna frequenter;
Est magis ad lapsum fœmina prona viro.

RIVULUS III. FONTIS III.

39. Cum inter res similes dissimilis effectus, aut proprietas ostenditur; vel inter dissimiles similis, v. g.

I. Ad Conjuges.

Cum sitis similes, paresque vita,
Uxor pessima, pessimus Maritus,
Miror, non bene convenire vobis.

II. In medio consistit virtus.

In medio constat tellus, tamen infima res est;
In medio virtus, res ea summa tamen.

III. De Christo nato.

In stabulo cum nascatur, bene creditur Agnus;
Cumque lupos terret, creditur esse Leo.

IV. De eodem.

Noctua cæcus homo fuerat; dum nocte venires,
Mox hæc incepit noctua ferre diem.

V. De eodem.

Labitur, ut Phaeton, sed grato errore viarum:
Tu noctem hinc aufers, abstulit ille diem.

VI. De eodem.

Labentem misere Deus olim quærit Adamum:
Nemo hominum quærit, dum cadit ipse Deus;
Ille cadens culpam fecit; luit iste cadendo,
Et reparat lapsum lapsus, Adame, tuum.

VII.

VII. De eodem.

Editus in lucem passim modo dicitur Infans;
Editus in noctem sed puer iste fuit.
Quid mirum? haud aliter potuit lux nascier ipsa:
Invenit hæc tenebras, sed facit esse diem.

VIII. In Judam.

Oscula dat Christo, Joannes fixit eidem:
Ex quo flore legit mella, venena legis.

IX. In eundem.

Quam diversa extant Judæ, & commercia Christi!
Hic hominem redimit, venditat ille Deum.

RIVULUS IV. FONTIS III.

40. Cum idem secum ipso comparatur, ut: Nunc Roma est, olim magna taberna fuit. Vel etiam:

I. De lingua.

Humano membrum non est in corpore lingua.
Nobiliusve bona, Mobiliusve mala.

II. Poeta se Ovidio assimilans.

Sis Naso, modo de Ponto quoque carmina scribas.

III. Ad Lutherum.

Hæretico dandam esse fidem, Luthere, negasti;
Vis igitur nos hæc credere, stulte, tibi?

IV. In justa aspernantem.

Cum quidquid mando, facias contraria semper,
Mando tibi facias nil, Capitose, boni.

V. Domitius Nero se occidit.

Majorem patriæ ferro non sustulit hostem,
Quam cum se e vivis sustulit ipse Nero.

VI. Aula.

Nemo, gradus nisi per plures, ascendit in aulam:
Ad descendendum plus satis unus erit.

VII. Venus.

Armatam Pallas Venerem Lacedemone visens,
Vis, ut judicium sic ineamus, ait.
Cui Venus arridens, quid me Galatea lacessis?
Vincere si possum nuda, quid arma gerens?

RI-

RIVULUS V. FONTIS III.

41. Huic etiam fonti reduci potest causa ad effectus adhibita, vel vice versa.

I. In Garrulum.

Non opus est, cordi faciat Natura fenestram.
Hanc supplet linguæ plurima rima tuæ.

II. Brasilia.

Non edit in sudore suo Brasilia panem:
Vis causam forsan discere? Pane caret.

III. Puer interrogatus, quid calatho inclusum ferret.

Si mea Mater, ait, voluisset, ut ista videres,
Velassent calathos tegmina nulla meos.

F O N S IV.

42. Ludus verborum, & allusio ad rerum, sententiarumque usum. Hoc argutiarum fonte caute utendum, sua enim copia non raro plurimos decipit. Parcus in his Martialis, profusi recentiores. Luditur inflexa vocis, ac sententiæ significatione, voce tamen, aut sententia immutata, ut:

I. De Uxore.

Apta duci non est uxor, non aptaque regi:
Quæ duci non est apta, nec apta regi.

II. Ad Cræticum.

Mortuus est Achmas, hæres sum, ais, ergo quid hæres!
Hæ res vix possunt, Cratice, ferre moram.

III. S. Genovefa Matri cæcæ visum restituit.

A Matre in lucem Genovefa est edita; Matri
Grata iterum lucem dat Genovfa suæ.

IV. In P. Fabrum Soc. JESU.

Sæcula sunt ferri; toto furit hæresis orbe:
Dat Deus hunc, contra ferrea sæcla, Fabrum.

V. Judas abiit in locum suum. Actor. 1.

Qui vixit instar sordidæ Judas suis,
Recte abiit in locum suum.

VI. Ad Cæcil.

Si modo virtutum primo sis cultor in ævo,
Vir tu tum fies, Cæciliane, bonus.

VII.

VII. In Fortem, & timidum.

Tu vir es, atque vires, & sunt tibi, Corbule vires,
Et pateris vi res abripi ab hoste tuas.

VIII. Demosthenes convitiis à quodam insequutus.

Hoc scio pro certo, quoties cum stercore certo;
Vincor, seu vinco, semper ego maculor.

IX. De fortuna indeclinabili.

Actum est: fortunam non declinabimus unam,
Casus mille in ea sint licet, Otto, Dea.

X. Ubique Crux. (*Stix, Strix.*

Pix, Pax, Fex, Fax, Lex, Lux, Nex, Nix, Nox quoque
Et Rex, & Grex, & Crux habet ipsa Crucem.

XI. D. Margarita.

Vellet inops fieri, sed dum se possidet ipsa
Margaris, incassum (credo) feretur inops.

XII. D. Barbara.

Ut Parcæ parcunt, ut lucus lumine lucet,
Ut bellum est bellum, sic ego Barbara sum.

XIII. Christus patiens.

Es verbum Patris, pateris sed verbera, Christe,
Verbum passivum jam scio quod sit amor.

XIV. Christus nascens.

En infinitum finito in tempore Verbum;
O quantum Vox hæc abbreviata fuit!

XV. Ad Idem.

Quæ dedit hunc nobis brumali in tempore fructum,
Fertilior quavis arbore Virga fuit.

XVI. Ad Judam.

Pœnituit, scelerisque notas agnovit Judas;
Absolvit laqueo mox scelus ipse suo.

XVII. Malus medicus.

Non sinit in lungo miseros putrescere morbo,
Absolvitque brevi morte; benignus homo est. (ciavit.

XVIII. Ad quendam, qui Euphratem penultima brevi pronun-

Venit ad Euphratem, subitoque exterritus hæsit;
Ut cito transiret, corripuit fluvium.

XIX. Pilatus Christum flagellatum sistit.

Cor-

Correptum paulo ante flagris producis JESUM,
Prætor? Communis sibi tibi Christus erat.

XX. Judas.

Calcatur pede Judas impiorum;
Judas arbore pendet in prælta:
Hic est discipulus supra Magistrum.

XXI. Christo spinis coronato.

De Christi spinis quoties epigrammata scribo,
Illa suum in promptu semper acumen habent.

XXII. Ad idem.

Infixam capiti gestas, bone Christe, coronam:
Hoc stabile imperium denotat esse tuum.

XXIII. In scriptorem epigrammatum parum acutum.

Cum nuper alveare lustraret Maro,
Et conderet epigrammata,
Ictus repente clamat, ô mordax genus!
Et apes aculeum ferunt.
Ignosce, vates, carmini hoc deerat tuo,
Quod apes aculeum ferunt.

XXIV. S. Petrus inversus crucifixus.

Quanvis sit verso crucifixus corpore Petrus;
Non tamen ex capite est lapsa corona suo.

XXV. Puer in nivibus mortuus.

Aspera nuper hyems puerum de nocte peremit.
Hæc vere dici frigida mors potuit.

XXVI. Ad idem.

Mors decepta rapit puerum, vetulum esse putabat;
Cum fuerint illi tempora tunc nivea.

XXVII. In Labienem promissa non dantem.

Quod promisisti, non das mihi, sed tibi servas:
Promissum servas sic, Labiene, tuum.

XXVIII. S. Lupus Episcopus.

O custos præclare ovium, Lupe magne Sacerdos,
Grex Domini per te quam bene pastus erit!

XXIX. Fidicen mendax.

Dum promissa negas, dum veris falsa remisces,
Tot tibi cum fidibus, Faustule, nulla fides.

XXX.

XXX. Prisci uxor parca.

Errant in numero Parcarum, Prisce, Poetæ;
Accessit conjux nam tua Parca tribus.

XXXI. Cantor maledicus.

Voce canis, mordesque simul, sic duplice sensu,
Verbum unum de te dicitur, Alde, canis.

XXXII. De Gallo cantore absurdo.

Ad Galli cantum plorabat Apostolus olim,
Dum noster cantat, quid faciemus? Idem.

XXXIII. Pomo Adamo interdictum.

Grande malum fuit id, quod totum perdidit Orbem,
Parvum etsi malum forte comedit Adam.

XXXIV. Brutus Cæsarem confodit.

Brutus erat, tu Cæsar eras, sed nunc vice versa,
Cæsar, Brutus eris, Bruteque, Cæsar eris.

XXXV. In Paupertatem.

Plena tibi domus est, quas texit arania, telis;
Illud Aranchnææ quis neget artis opus?
Est tibi vermiculis toga plena albentibus; istam
Vermiculati operis quis neget esse togam?

XXXVI. Ad Plancum.

Res mira: est gravius vacuam portare crumenam,
Quam si tota auro divite plena foret.
Et quamvis soleat præsens gravis esse moneta;
Absens, crede mihi, Plance, moneta gravat.

XXXVII. Uxor levis.

Dædale, quis credat? Vox o mirabilis Uxor;
Quo levior cuique est uxor, eo gravior.

RIVULUS II. FONTIS IV.

43. Ludimus inflexione vocis simul, & significationis; quod vocis derivatione, inclinatione casuum, literarum permutatione, detractione, aut adjectione fieri potest, ut Consul est qui consulit, &c. aut: *A senibus nomen mite Senatus habet. Ut decuit docuit. Plus male facta nocent, quam bene dicta movent.* Aut: *Non consulit tuæ famæ, nec ejus fami.* Item: *Nonnunquam pariat, semper tibi pareat uxor.* Et: *Fundum, varro vocat, quem pos-*

possum mittere funda. *Quis amicus? Cernitur ille*: *Amore*, *more*, *ore*, *& re*. In Lupum nullius pretii prædium dantem:

Errasti, *Lupe*, *litera*, *sed una*;
Nam, *quo tempore prædium dedisti*,
Mallem, *tu mihi prandium dedisses*.

II. Mors.

Ducit ad æternam te mors brevis, *ut via*, *vitam*;
Ut mors interitus non sit, *at introitus*.

III. Verecunde ludendum.

Ludimus, *ingenui tamen intra claustra pudoris*:
Excèdere hæc non ludere est, *sed lædere*.

IV. In Plancum hospitem.

Infirmor, *quoties mala das mihi fercula*, *Plance*;
Mox habeor melius, *quando habeo melius*.

V. Novissima serio cogitanda.

De purgante rogo, *stygiaque palude jocamur*;
Sed vereor, *fiat ne jocus iste focus*.

VI. Christus sub vini specie in Sacramento.

A vita vitem quidam deduxit; *ut alter*
Vitem a vitando: *nec male uterque docet*.
A vita est vitis, *quam Christi mensa propinat*,
Vitis vitanda est, *improbe Bacche*, *tua*.

VII. Calvinus.

Calvinus, *quia mane cales*, *& vespere vino*,
Hinc tibi de vini nomine nomen inest.

VIII. Pecuniæ obediunt omnia.

Qui caret argento, *frustra utitur argumento*:
Qui dare scit, *non qui dicere*, *Rhetor erit*.

IX. Divitiæ.

Solus Dis Deus est, *Dites Di*, *Numina Nummi*;
Cum plausu loquitur Pluto, *tacetque Plato*.

X. Mens ignorantis Noctua est,

Inscia mens Numen non cernit, *Noctua lumen*:
Non videt ista diem, *non videt illa Deum*.

XI. Patria.

Illa mihi patria est, *ubi pascor*, *non ubi nascor*:
Illa ubi sum notus, *non ubi natus eram*.

XII. Ad Lælium.

Non valeo, Læli, dare dicis: cur? Quia non vis.
Esto volens dare, quod postulo, erisque valens.

XIII. Tentatio.

Afficit in primis quævis tentatio mentem;
Efficit assensum postea, ni caveas.
Inficit inde scelus conceptum pectore; tandem
Officit, æterno dum cremat igne reum.

XIV. De Asello Nestoris.

Dilectum strigili Nestor dum radit asellum,
A solito postquam forte labore redit;
Dentibus ostensis pigra bestia ridet; avenam
Mox rodit: pleno ventre deinde rudit.

XV. In Mendicum maledicum.

Impia qui nuper maledicto effuderat ore,
Pro stipe Mendicus, stipite dignus erat

XVI. Hercules amore, non timore victus.

Lænam non potuit, potuit superare leænam;
Quem fera non potuit vincere, vincit hera.

XVII. In Astrologum potatorem.

Non tu polorum regeris influentiis;
Sed poculorum, Dindime.

XVIII. In Criticos.

Frustra estis critici; nam dum vetera emendatis,
Vos nova pro paucis plurima menda datis.

XIX. In barba rasum.

De mento tota est tibi, Bombine, barba resecta,
Quis dementatum te neget esse modo?

XX. De Barba.

Barba ornamentum bene dicitur esse virile;
Ornat enim mentum barba cuique viro.

XXI. In Bartholomæum Juris Peritum, statura brevem.

Bartholus es potius, quam Bartholomæus, amice;
Nam brevis es, simul in Jure peritus homo es.

XXII. Juvenis probus.

Tam rarus, quam carus erit (mihi crede) venustus
Is Juvenis, qui non a Venere ustus erit.

XXIII.

XXIII. De Ovveno impuro scriptore.

O Venus, o si te non dilexisset Ovenus,
Dilectus Vates quam foret ille mihi!

XXIV. Ebriosus in dolio sepultus.

Hic jacet intra urnam, extra urnam qui sæpe jacebat,
Tunc temulentus homo, nunc tumulatus homo.
Quam vivens toties vino vacuare solebat,
Implet tandem urnam mortuus ille suam.

XXV. Munera.

Qui dedit ingratis, dedit hic sua munera gratis;
Qui gratis, gratis munera nulla dedit.

XXVI. Choreæ.

Quorum cor totum est in saltibus, atque choreis;
Nonne etiam totum est in pedibus cor eis?

XXVII. Successus variantur.

Post tempus sudum, tempus succedit & udum,
Post fletum, lætum denuo tempus erit.

XXVIII. Bellum.

Conferitur cum pugna frequens, caput ense secatur:
Martio enim in campo cum seritur, metitur.

XXIX. David.

Regius egregius David Psalmista vocandus;
E grege nam sumptus Regia sceptra tulit.

XXX. D. Antonius Magnus.

Sub porci specie, Antoni, te terruit Orcus:
Vix aliquid distans porcus, & Orcus habent.

XXXI. Ad Wbaldum lurconem.

Quidnam es lucratus, quando es lurcatus, Ubalde,
Nil de divitiis, plurima de vitiis.

XXXII. Studium scholasticum.

Est studium stadium; frustra hic se nemo fatigat;
Ad celsos apices proxima scala schola est.

XXXIII. Dives.

Multa tibi densas constipant horrea fruges;
Quis te frugi hominem, Bave, negare potest?

XXXIV. Laudator.

Non volo te totum, partem mihi suggere tantum;

Sæpe es laudator, sis aliquando dator.

XXXV. Duplex clavis Pontificis, & duplex aquila Cæsaris.

Pontificis duplex Romani tessera, clavis,
Duplex Romani tessera Regis, avis.

XXXVI. S. Catharina.

Æternam, & ternam retulit Catharina coronam;
Martyr enim, & Virgo denique docta fuit.

XXXVII. D. Anna Senex B. V. edit in lucem.

Quo nata est Virgo, fuit etsi fertilis annus;
Fertilis ast longe plus anus Anna fuit.

XXXVIII. Ad B. V. Deo gravidam.

Maria, Virga, & Virgo recte diceris;
Quia Alpha, & Omega in te habes.

XXXIX. Ad Ser. Scot. Reginam Mariam Stuardam.

Juno, Venus, Pallas, nemorosæ in vallibus Idæ
Certamen formæ consubiere suæ.
Inter certantes, si tu Dea quarta fuisses;
Vicisses reliquas, Tu Dea quarta, Deas.
Quam jejuna foret Juno, quam pallida Pallas,
Quam Dea Vana Venus! Tu Dea sola fores.

XL. In Obitu Reverendissimi Patris Claudii Aqua Viva Soc. JESU, Præp. Gener.

Jam nullos posthac fluvios rear esse perennes,
Cum tu etiam possis, O Aqua Viva, mori.

Successor ejus P. Mutius Witallesc.

A viva defunctus aqua dum Claudius esset,
Escam vitalem subdidit ipse Deus, &c.

Alludit ad Paulum V. P. M. qui in P. Mutii electione dixit: *Amisistis Aquam Vivam, habetis nunc vitalem escam.*

RIVULUS III. FONTIS IV.

44. Etiam fit Lusus per anagramma, da quo in ludo poetico: interim tamen ad rem aliqua delibabimus. P. Antonius Maurisperg. Zodiacum Marianum invenit per 12. Anagrammata, sex Græca, totidem Latina. Hæc ultima accipe:

MA-

MARIA anagr. 1. Amari,

Mater, amare volo, gaudes quoque, Mater, amari;
Utraque vox medium ne patiatur, age.

2. Mi ara.

Mi *placet*, ara, *Deæ, quæ placat Numinis iram.*
Ara aliæ reliquis, Ara MARIA mihi.

3. A Rima.

Dicitur a Rima, *veteris quæ texit hiatum*
Rimæ, sed Rimis libera sola fuit.

4. A Mira.

A Mira *nova cerno lubens miracula Divæ;*
Quidquid agat mirum est, nil agit ergo novi.

5. I Arma, & Aram.

I *prius*, arma *sacra depone ad Virginis* Aram;
Taliter amatos sacra Minerva beat.

6. A Mari.

A *salso* (*mihi crede*) mari *nil traxit* amari;
Hinc ego te dulcem, Virgo MARIA, cano.

II. Interroganti Pilato: *Quid est veritas?* Respondetur per optimum anagramma: *Est vir, qui adest.*

Pilate, cessa quærere: Quid est veritas?
Vis scire, quid sit veritas? Est vir, qui adest.

III. Hostia Sacra; Anagr. Ah cor satias.

Unus Alexandri cor non satiaverat orbis;
At mihi sufficiens unus hic orbis erit.
Ah JESU! ah niveo, quem panis adoro sub orbe!
Ah *tu* cor satias, *Hostia sacra, meum!*

IV. Panis Angelorum, Anagr. Non paries gulam.

Quantumvis caro sit; quantumvis Panis, & Esca;
Non paries *ideo tu mihi, Christe*, gulam.
Panis es Angelicus, caro Numinis, Esca salutis;
Non Gula, non scelus hic invenit ergo locum.

V. Sacramentum; Anagr. Mare Sanctum,

O Sacramentum! Mare Sanctum: *mergar in isto*
O utinam, & peream totus amore, Mari.

VI. Sacramentum Eucharistiæ, *Anagr.* Chara Ceres in JESUM mutata.

Ne dubites vivum pani ſuccedere corpus ;
Mutari cererem nominat ipſa Ceres ,

VII. Verbum caro factum eſt. *Anagr. primum* :
Fert Voces , Arcum , Tubam *:*

Parvulus ecce Puer voces , arcumque , tubamque
Fert ; exercituum quis neget eſſe Deum ?

Anag. 2. Ecce , ut fumat urbs Roma ;

Ecce Dei caſto Roma urbs , ut fumat amore
Ex Bethlem in diſtans tam procul ignis agit !

Anagr. 3. O beatum creas Fructum !

O Fructum , bone Chriſte , creas fructumque beatum ;
In mundum Fructus cum , Benedicte , venis .

VIII. Maria Magdalena.

Anagr. Grandia mala mea , *ſeu* : A me mala grandia .

Grandia , quæ patior , mea ſunt mala ; vulnera monſtrant ,
E Crucis infami ſtipite Chriſtus ait ,
Magdala ſub cruce flens , a me mala grandia , clamat :
Hæc meus ah ! turpis vulnera fixit amor .

IX. Sic ad Judam per Anagramma.

Vi das Chriſtum ? Quo vadis ? Audis Jus da , &c.

X. Terra , *Anagr.* Terar.

Errantum pedibus calcabor humillima tellus ;
Vomere proſcindar , dumque ero terra , terar .

XI. Munera , Numera .

Munera ne numera , miſeris quæcunque dediſti .
In terris numerat munerat illa Deus .

XII. Damaſus , *Anagr.* Ad Muſas .

Ad Muſas Damaſus fictus , factuſque , ſupremo
Has ſecum dignas fecerat eſſe loco .

XIII. Vis *Anagr.* Jus .

Vi Jus adverſum , vis adverſaria Juri :
Inverſum , adverſum nomen utrumque ſibi .

XIV. Verbis *Anagr.* Brevis .

Perſpicua brevitate nihil magis afficit aures :
In verbis , ubi res poſtulat , eſto brevis .

XV. Saulus , *Anagr.* Salvus .

Qui modo Saulus eras , inverſo nomine , Salvus .

XVI.

XVI. Illud etiam de Roma.

Roma *vocor*, *gratam exhibeo venientibus* oram
Sic de se ipsa loquitur per Anagr. Maro, Amor, Ramo,
Mora *prima brevi*, *&* Mora *prima longa*, *&c.*

RIVULUS IV. FONTIS IV.

45. Cum alluditur ad antiquitatis usum, fabulam, aut historiam artis, aut legis alicujus præcepta, comparando, alludendo, &c. ut illud:

Dædale, Lucano cum sic laceraris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas.

II. In Dict.

Convenit urticæ mordacibus herba Poetis:
Hac tu pro lauro, Dictice, dignus eras.

III. De Innocentium cæde.

Prisca fides taceat flores e sanguine nasci,
Nunc ipsis cruor e floribus exoritur.

IV. Omnes volunt accipere, nemo dare.

Heu nimium crebro nunc ablativus in usu est!
In pretio rursum quando dativus erit?

V. Medicus, & Jurista.

Furtum non facies; Juristæ scribitur hæc lex;
Hæc: non occides, pertinet ad Medicum.

VI. Uxor Marito imperans.

Ducit, agit miserum, quo vult, Quintina, maritum;
Grammatici fugite hinc, hæc vir, & hic mulier.

VII. Cupiditas.

Est infinito prope par modus optativus;
Optandi finem nam sibi nemo facit.

VIII. In Oratorem fastidiosum.

Omnia cum dixti, superest tibi dicere, dixi:
Hæc mihi sermonis vox placet una tui.

IX. Christus dicitur Emmanuel.

Verbum Amo, *perfecte cupias si discere, nostro*
Discere verbum hoc ex Emmanuele potes.

X. Male promissa solvens.

Est nummus nomen, verbum promittere; Quintus,
A quo sperabam nomina, verba dedit.

XI. Promiſſa ſine re.

Pollicitus nonnulla, nihil mihi, Pontice, praſtas;
Ut Medicus quamvis non det, ait: Recipe.

XII. Iratus baculo ollam frangit melle plenam.

Elicuit Moyſes duplici ſibi verbere lymphas:
Elicit hic uno verbere mella ſibi.

XIII. Ad Peccatores.

Lætatus ſum, cantaſti ſatis, impie; tandem
Cantare incipias, & miſerere ſemel.

XIV. S. Barbaram fruſtra Dioſcorus Pater ferit.

Proficit a flagris mea nata, Dioſcorus inquit,
Et plus evincit Barbara, quam ferio.

XV. Mors in Marte imminens.

O'mega nunc noſtrum mors eſt, Mars Alpha malorum,
In bello diſtans O'mega, & Alpha parum.

XVI. Poſterior ætas priore deterior.

Pejor avo ſoboles: ex nequam nequior exit;
Regula Grammatices eſt ea certa nimis,

XVII. Ad JESUM natum.

O tropus inſignis! major translatio nulla eſt,
Qua Verbum in carnem tranſtulit ipſe Deus.

XVIII. Ad Idem.

Aſpera cælorum eſt via; ſed cum Virgo Tonantem
Lactat, ab uberibus lactea tota via eſt.

XIX. Idem.

Quæritis, Aſtrologi, quo ſydere naſcitur Infans?
Mars non eſt; Martis nil habet iſte Puer.
Non Jovis eſt ſydus; nec enim Puer iſte ſuperbit;
Sed nec Mercurio eſt: fraude, doloque caret.
Non hunc Luna dedit; vincit tua lumina, Phœbe;
Nec Venus: eſt toto pulchrior ore Puer.
Fallimur, Aſtrologi; nam vertitur ordo, ſed uno
Hoc puero ſydus naſcitur omne Poli.

RIVULUS ULTIMUS.

Alludimus etiam ad ſententiam proverbialem, aut ad vulgi ſenſum, v. g.

I. *In faciem palmis Chiſtum gens improba cædit:*

Hanc

Hanc quis palmarem nequitiam esse neget?

II. Christus spinis coronatur.

Ecce Dei Verbum pungit spina horrida; Verbum
Quis neget in spinas jam cecidisse Dei?

III. C. D. Alligatur ad columnam.

Paule; alligatum nunquid est Verbum Dei,
Christum ad columnam cum vides?

IV. S. Simon Stylita.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis;
Supra Pyramides quando Stylita stetit.

V. Jocosum illud de Tito Bibulo.

Postquam tres cyathos fundum Titus hausit ad imum,
O quam fluxa, inquit, gaudia mundus habet.

VI. Item.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
Legerat hoc caupo Fabius; bone Juppiter, inquit,
Jam dulci miscere mero licet utile flumen.

VII. Ad Somnolentum, & tardum.

Segnior Arcadio cum sis, Luperce, caballo;
Semper honos, nomenque tuum, laudesque menebunt.

VIII. Ex agris decimæ.

Qui venit, hic fructus, fructus supereminet omnes:
Posterior nono est, undecimoque prior.

IX. In stertentem ad lucernam.

Accensa de nocte soles dormire lucerna;
An vis, Marce, oleum perdere, non operam?

X. Discipulis in via Emaus supervenit Christus.

Dum fabulantur invicem; en tibi non lupus,
Sed Agnus est in Fabula.

XI. Gratitudo.

Ex nihilo nil fit; da, dabiturque tibi.

XII. Dulce pro Patria mori.

Pro Patria sit dulce mori licet, atque decorum;
Vivere pro Patria dulcius esse puto.

XIII. Uxor est molesta.

O mihi præteritos referat si Juppiter annos,
Petre, rogas? Opus est non tibi, Petre, Jovis.

Nupta tibi est uxor, quæ ut primum rixa coborta est,
Præteritos annos, & tua facta refert.

XIV. Latro.

Cuique suam; nobis placeant aliena, sodales,
Ait latro ad latronem.

XV. Avarus.

Quisquis penuriam patitur hæredem ut beet;
Plusquam se ipsum diligit, Aule, Proximum.

XVI. Avari.

Accipere humanum est: inopi donare, Deorum;
Nunquam tam paucos credo fuisse Deos.

XVII. Judas.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Excipitur Judas pensilis ex laqueo.

§. III.

Coactæ in Amphitheatrum aquæ per dissitos a medio syphunculos dispertiuntur.

An in quovis metro, & ex iisdem fontibus prognata, qualibet apte deriventur acumina?

UT cum Prothæo formas convertar in omnes, operæ pretium duxi, aliter acuminum fontes aperire, ut qua facilius haurire detur, amicorum commodo magis inserviam. Scimus hanc methodum plurimis sæpe ingeniis profuisse; nec eam juvat cum primis quatuor fontibus confundere, licet non alios de novo fontes delibandos, sed eosdem, alia tamen ratione expressos, ac refectos, inducam.

SYPHUNCULUS I.

Ab inexpectato.

Siqua videbuntur chartis tibi, Lector, in istis,
Sive obscura nimis, sive Latina parum, &c.
Jure tibi sordent hæc carmina nostra, fatemur:

Hæc

Hæc mala sunt; sed tu non meliora facis.

II. A facetis.

Nuper erat Medicus, nunc est Vespillo, Diaulus;
Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.

Ad Æliam.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes:
Expuit una duos tussis; & una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus,
Nil isthinc, quod agat tertia tussis, habet.

Ad Posthumum.

Occurris quocumque loco mihi, Posthume, semper,
Protinus & prima est hæc tua vox, quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dices: habes (puto) tu Posthume, nil, quod agas.

Medicus celeri extinctus febri.

Tam præceps febris! melius Quartana fuisset:
Servari Medico debuit illa suo.

III. A mordacibus.

Versiculos in me narratur scribere Cinna:
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

Poeta emptor.

Carmina Paulus emit, recitat sua carmina Paulus;
Nam quod emis, possis dicere jure tuum.

Ad Philonem.

Nunquam se cœnasse domi, Philo jurat; & hoc est,
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum.

IV. Ab argutiis.

Sæpe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens.
Quemque posse putas mores narrare futuros,
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

In Syrmachum Medicum.

Languebam, sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Syrmache, discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ:
Non habui febrem, Syrmache, nunc habeo.

V. Ab argumentatione.

Sexte nihil debes, nil debes, Sexte, fatemur;
Debet enim, ſiquis ſolvere, Sexte, poteſt.

In Amphit.

Quos docet eſſe hominum tali ſub Principe mores,
Qui docet ingenium mitius eſſe feris.

Lector faſtidioſus.

I nunc, edere me jube libellos.
Lectis vix tibi paginis duabus,
Ingratas trahis oſcitationes, &c.
I nunc, edere me jube libellos.

VI. A cauſa.

Das nunquam, ſemper promittis, Galle, roganti:
Si ſemper fallis, jam rogo, Galle, nega.

Verſus extemporales.

Da veniam ſubitis: non deſplicuiſſe merentur,
Feſtinant, (lector) qui placuiſſe tibi.

VII. A translatione cauſæ.

Quod leo tam tenui patitur ſub arundine lethum;
Non vires ferri, ſed ferientis agunt.

VIII. A repugnantibus.

Hoſtem cum fugeret, ſe Fanius ipſe peremit:
Hinc rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

De Damis cum cane ludentibus.

Vis, Cæſar, Damis parcere? mitte canes.

In Judices.

Miraris cur ſint clauſæ tibi Judicis aures?
Cum tua Judicibus non ſit aperta manus.

IX. Ab adjunctis.

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli;
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.

De catella picta.

Aut utramque putabis eſſe veram;
Aut utramque putabis eſſe pictam.

X. A comparatione.

Tanto peſſimus omnium Poeta,
Quanto tu optimus omnium Patronus.

De

De Leone Cæsaris.

Æthereas aquila puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus.
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula? Summus utrique,
Author adest; hæc sunt Cæsaris; illa Jovis.

XI. A similibus.

D. Aloysius Gonzaga juxta Angelum depictus.

Angele, Gonzaga es, si pictas exuis alas;
Si, Gonzaga, alas induis, Angelus es.

Urbis, & orbis initium.

Incœpto fratrem Caim orbe occidit Abellem:
Incœpta fratrem Romulus urbe Remum.
Roma Remi polluta recens, & mundus Abellis
Sanguine; Principium est urbis, & orbis idem.

XII. A dissimilibus, seu contrariis.

Ita Martialis: *Sed tu sub Principe duro,*
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

In D. Xaverium.

Nasceris occiduis, Eois occidis oris;
Dessimile hoc unum, cætera Solis habes.

Ad D. Agnetem.

Agna es, Virgo; lupos sed diro Marte lacessis;
Non feritas Agnas hæc decet, imo Leas.
Et Lea, & Agna simul; servas velut Agna pudorem;
Vincis carnificum, ceu Lea torva, minas.
Innocuo, velut Agna, Dei sociaberis Agno;
Ut Lea, Vincentis sponsa Leonis eris.

Cliens Beatæ V.

Sunt pulchræ sylvæ, sunt pulchra, & littora, pulchrum
Et pratum, in viridi gramina pulchra solo.
Sunt pulchræ gemmæ, sunt astra, & sydera pulchra.
Sunt pulchri flores, est quoque pulchra dies.
Pulchrior es sylvis, Pia Virgo, littore, prato,
Gramine, gemma, astris, sydere, sole, die.

XIII. A correctione.

An-

Antoni, &c. Concludit Martialis de morte Cic.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

In Zoilum.

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit;
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

XIV. Ab Exclamatione.

Ut illud. *O quantum est subitis casibus ingenium!* In malum Poetam, ut in maledicentiæ suæ pœnam pergat maledicere; peccati enim maxima pœna ipsum est peccatum.

Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor ausis,
Ut facias illud, quod mala lingua facis.

XV. Ab ambiguitate vocis.

Semper agis causas, & res agis, Attale, semper.
Est, non est, quod agas, Attale, semper agis.
Si res, & causæ desunt, agis, Attale, mullas:
Attale, ne, quid agas, desit, agas animam.

XVI. A lusu, & commutatione vocis.

Infelix Dido nulli bene nupta marito:
Hoc fugiente peris, hoc pereunte fugis.

Nempe Æneas, & Sichæus. Item hoc modo:

Plebs, dum pro populo Presbyter orat, arat.

In Chymicum.

Rem male decoxit Chymicus, dum decoquit aurum,
Et bona dilapidat omnia pro lapide.

XVII. A sententia, ut:

Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Vel.

Cras vives: hodie jam vivere, Posthume, serum est:
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Vel. *Aurum, & opes, & dona frequens donabit amicus;*
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

De Viro fortiter miseriam ferente.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille sapit, qui miser esse potest.

In Maximum.

Dic ubi conveniam, dic qua te parte requiram?
Quis-

Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam habitat.

In quo consistat Dei cultus.

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos, qui colit, ille facit.

Descriptio Horologii Schioterici.

Nuntius horarum cælo se dirigit Index:
Quæ regitur cælo, quam bene vita fluit.

XVIII. A numero aucto, vel minuto.

Tres habuit furias quondam; sed Lesbia manes
Ut petiit, furias quatuor Orcus habet.

In Quandam Gratiam.

Tres fuerant Charites; sed dum mea Gratia vixit,
Quatuor, ut periit, tres numerantur item.

XIX. Ad enumeratione.

Pietate fratres Curios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rufones,
Probitate Macros, æquitate Mauricios,
Oratione Regulos, jocis Paulos; &c.
Ego te miserum credo, cui placet nemo.

In Gaurum.

Quod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco; vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quod scribis Musis, & Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quod vomis Antoni; quod luxuriaris Acipi,
Quod fur es, vitium, dic mihi, cujus habes?

XX. Ab interrogatione.

Discipulos dimitte tuos: vis, Garrule, quantum
Accipis, ut clames, accipere, ut taceas?

Nec parum suavitatis, ac ornamenti afferet Dialogos cum vera, vel ficta persona inducere: sic Themis in tabula picta describitur.

Dic age, Sancta Themis, facies cur aspera? Flecti,
Nescia sum lacrymis, aut pretio, aut precibus.
Cur gladium tua dextra gerit? Cur læva bilancem?
Ponderat hæc causas, percutit illa reos, &c.

Fontis inscriptio.

Quo,

Quo, fons blande, fugis? Quæro mare natus ab illo;
Quærere sic cælum nos decet, unde sumus.

XXI. A distributione.

Dicit se vetulam, cum sit Carelia puppa.
Puppam se dicit Galia, cum sit anus.
Ferre nec hanc possis; possis, Coline, nec illam:
Altera ridicula est, altera putidula.

Candido Lectori.

Indulge erratis, parcam simul adjice laudem,
Si tenuere oculos carmina nostra tuos.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis;
Hæc nobis fuerint præmia, si placui.

Ad Idem.

Qui legis ista; tuam reprehendo, si mea laudas
Omnia, stultitiam, si nihil, invidiam.

XXII. A voto.

Di tibi dent, quidquid, Cæsar Trajane, mereris:
Di mihi dent, & tu, quæ volo, si merui.

Pro Nerva ad Deos.

Hunc omnes servate Ducem, servate Senatum,
Moribus hic vivat Principis, ille suis.

Ad Zoilum.

Omnibus invideas, Zoile, nemo tibi.

Sic uxori mortem argute optat Martialis.

Omnes, quas habuit, Famiane, Lycoris amicas
Extulit: uxori fiat amica meæ.

In Effigiem viri probi.

Ars utinam mores, animumque effingere posset!
Pulchrior in terris nulla tabella foret.

XXIII. A repetitione.

Non amo te, Sabidi, non possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Petitor improbus.

Ecce nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna;
Si nil, Cinna, petis, nil tibi, Cinna nego.

De Charino.

Pulchre valet Charinus, & tamen pallet.

Parce bibit Charinus, & tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, & tamen pallet.
Sole uritur Charinus, & tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, & tamen pallet.

Idem Martialis de Hermete.

Hermes Martia sæculi voluptas,
Hermes omnibus etuditus armis,
Hermes, &c. lib. 5. Ep. 24.

Christus Deus, & Homo.

Nec sentire Deus, nec mortem homo vincere solus
Posset; utrumque facit Christus, utrumque facit.

XXIV. A Notatione nominis.

Clemens Octavus, Hypolitus ante vocatus.

Sancta pudicitiæ virtus redit exul ad Urbem:
Quid mirum est? Ubi præsidet Hypolitus.

In filium coqui, qui reprehenderat vocem *dapes* in carmine penultima producta.

Condideram male forte dapes, *sed doctior alter*
Corrigit, atque ista se probat arte coquum.

Ad Publium Virg. Maronem.

Quæ non te, Publi, famæ tuba publicat Orbi?
Publica nonne tuus bibliotheca liber?
Sunt & Virgiliæ: tu sydere pulchrior omni,
Virgili, & eloquii tu mare dulce, Maro.

XXV. Ab Adjunctis.

In eximiæ formæ Fratrem, ac Sororem.

Lumine Acon dextro caret, & Leonila sinistro;
Et potis est superos vincere uterque Deos.
Lusce Puer, lumen, quod habes, concede Sorori:
Sic tu verus Amor, sic erit illa Venus.

Ad Christum Dominum.

Marmorea est, qua tu religaris, Christe, columna;
Marmoreus, qui te lictor uterque ligat.
Marmorei funes, solido de marmore flagra
Horrida, marmoreum te quoque fecit amor.
Ipse ego nil lachrymans, isthæc spectacula cernens
Durius heu! duro marmore marmor ero.

XXVI. A Relatis.

Pro servo Dominus moritur, pro fontibus insons;
Pro ægroto Medicus, pro grege pastor obit.
Pro populo Rex mactatur; pro milite Ductor;
Proque opere ipse opifex; proque homine ipse Deus.
Quid servus, fons, ægrotus, quid grex, populusque,
Quid miles, quid opus, quidve homo præstet? Amet.

XXVII. A retorquendis dictis.

Scribere me dicis velox epigrammata longa;
Ipse nihil scribis; tu breviora facis.

XXVIII. Ab exaggeratione.

Sic illud Martialis de fera concluditur.

Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis;
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

XXIX. Ab oppositione.

Cum similia similibus, diversa diversis opponuntur, ut de JESU nomine insignibus Sanctorum circumdato.

Nomen Sanctum ornat Sanctos, ornatur ab illis;
In Christum a Christo gloria summa redit.

Moriendum in vita.

Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet:
Ergo prius discas, quam moriare, mori.

Mors e vita pendet, & e contra.

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce:
Ut felix possis vivere, disce mori.

XXX. A cæteris Rhetorices figuris.

Pro Colophone advertimus plurimum ad epigramma inservire figuras illas, ac Tropos, quibus elocutio ornatur. Plurimum epigramma venustat *Allegoria*, *Hyperbole*, *Emphasis*, *Ironia*, *Metaphora*, *Ethymologia nominis*, *Amphibologia vocis*, ut de servo furaci: *Nihil tibi domi est obsignatum:* quod de fideli videtur dici; *Paranomasia*, ut: *Non nobilior, sed mobilior cæteris; Parodia*, hoc est: alicujus Poetæ adhibiti versus: *Eversio verborum*, cum ad verba tantum, non sensum attendimus: *Jusjurandum*, ut: *Dispeream, si non hic Datianus erit;* Interjectione etiam,

etiam, ut: *Hei mihi! quam multis si quoque longus eris; &c.*

PARERGON ENCOMIASTICUM.

EPigrammatum fontes e longinquo petere nobis pene opus non erat, qui intra Lusitaniam nostram jure optimo celebramus, ac præ oculis habemus tot argutiarum fontes, quotquot vel delicatissimo Eruditorum palato liberaliter propinant amœnissimæ epigrammatum Centuriæ, quas communem in lucem protulere Excell. & Illustr. D. D. Marchio Alegretensis, & Comes Vimiosensis. Ex alterutro effluere purissimum argutiæ flumen indigitabo; ostendamque inquirentibus, simillima adeo vena utriusque Vatis ingenia concurrere, ut ambiguum fecerint, quænam ipsis plus debeat, aut invideat; Antiquitas, an Posteritas? Non minor item acumine gravitas, ac digna Principe majestas, metri suavitas, ac pura Latinitas derivatur ex Centuria R. P. D. Ludovici Caietano de Lima; ut facile in certamine demonstrabo. Cætera, quanvis avidissime expetita, per summam temporis avaritiem nobis non licuit hactenus degustare.

SPECTACULUM V.

Prolusiones aliquot Poeticæ.

Utrum *Primæ ingeniorum Prolusiones meditatis interdum carminibus præferendæ?*

CUm multa genere diversa hoc Spectaculum exhibeat, non parum blandietur oculis, qui maxime capiuntur varietatis illecebra. Symbola, Emblemata, Inscriptiones, Epitaphia, & Elogia sunt, dignæ quidem Palladiis alumnis Prolusiones. Horum optimas præceptiones a multis seligi-

 mus,

mus, & exempla. Sunt qui negotium putent otiosum harum rerum artem tradere, eo quod magis ab ingenio pendeant. His nostra non desudat industria; agant, si libet, sine arte; videant tamen, an illi sint, qui magna possint suo Marte.

PROLUSIO I.

Symbolum, & Emblema.

Utrum *Sit Emblematis Emblema: Proteus in varias figuras transmutatus unus, & alter?*

1. SYmbolum, vulgo *Impresa*, versatur circa cujuspiam viri laudes. 2. *Emblema* vero circa mores, ac pietatem. 3. Symbolum igitur est: *Picta metaphora, seu imago, qua aliquid significatur*. 4. Debet addi sententia, quæ vocatur *Lemma*, sive *Epigraphe*. 5. Hæc sit brevis; ac potius ab alio Poeta ex veteribus mutuata, quam proprio labore composita. 6. Res significata non exprimatur, sed quidquid in symbolo leges, simile sit. 7. Joannem Casimirum post abdicatum Poloniæ regnum sic laudat P. Ruæus: pingit malum Granatum sine corona cum Epigraphe: *Positum est, quod vilius*. Deinde heroico metro picturæ partes eviscerat, accommodatque. 8. Vis laudare Imperatorem: Solem pinge cum epigraphe: *Sufficit Orbi*. Ut enim Sol orbem illuminat, ita Augustus per orbem potentiæ suæ radios effundit. 9. Milites Regis præsentia commotos, ac stimulatos laudaturus, pinge pullos Aquilæ Solem adversum intuentes, cum Lemmate: *Crescunt vires, animique videndo*. 10. Fœminæ ad solium evectæ Symbolum erit: Luna plena cum epigraphe: *In publica commoda crevit*. 11. Figuræ sumuntur a rebus naturalibus, iisque vulgo notis. 12 Aliqui humanum corpus pingi vetant. 13. Poteris vero statuam humanum corpus repræsentantem pingere, quam scultor crebris ictibus format, politque, & adde: *Perficitur, dum caditur*. Ita virum probum exprimes, qui rebus ad-

ver-

versis ad virtutem proficit. 14. Omnia hæc expendi, & accommodari heroico metro plerunque solent, quanvis reliqua metri genera non respuant. P. Ruæum consule. 15. Etiam poterit epigraphe a Sacra Pagina desumi; ut enim fiduciam in Deum laudes, apte acum pyxidis nauticæ pinges, Solem constanter spectantem, cum epigraphe: *Non commovebitur*.. Psalm. 112.

16. Emblema late sumptum, est: *Quod operi cuipiam ad ornamentum adjectum, atque insertum est*. Elegiaco metro plerunque expendi solet; nec Symboli leges adeo stricte servat. 17. Exempla dabit: Imago primi sæculi Societ. JESU, ubi multa, & optima leguntur emblemata. Emblemata Ethico-Politica P. Joannis Kreihing, Caroli Bovii, Labbe, Em. Thes. Mundum etiam symbolicum, & Alciatum consule. 18. Ut ambitiosum arguas, hominem poteris adducere hydropi laborantem, & ad puetei ora urceum labris admoventem; cui adde: *Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*.

19. Nota picturam non ita exprimendam esse, ut non aliquid claritatis addant verba. 20. Est enim Epigraphe anima picturæ. 21. In invidiam vis insurgere? Pinge nubem Solis radios offuscantem cum lemmate:

Nec radiat nubes, nec radiare sinit.

22. Non restauratur pudicitia semel amissa. Hoc indicabit ampulla vitrea floribus ornata, cum Epig. *Frangitur illa semel*. 23. Silentium commenda pisce ex hamo pendente, & adde: *Os aperire nocet*. 24. Vanitatem irridebis picta navi, cujus inflata vento turgescant vela, cum lemmate: *Omnia ventus*. 25. In pueri morte, florem intempestivo pollice decerptum pingas, hac inscriptione: *Nocet ipsa venustas*. 26. Sic D. Joannem Bapt. in carcere detentum exprimit flos tenuissimis vinculis ad ornatum contextis religatus, cum lemmate: *Dant vincla decorem*. 27. Sitne emblema, an symbolum, non cures. 28. Sunt, qui symbolum vocant, si Heroicum poema subjunxeris; si Elegiacum,

Emblema. 29. Nota, aliquando nullum ſubjungi carmen, v. g. ad Emblemata pro exornandis templis, &c. 30. Aliquando unicum verſum, ſeu diſtichum leges, v. g. ut familiaritatem cum Rege diſſuadeas, caminum ardentem pinge cum epigraphe: *Lucet longe, ſed proximus ardet;* Subjunge:

Parcius ad magnos accede, & cautus amicos;
Si longe, lucem, ſi prope, damna ferent.

31. Sunt, qui in ultimo diſticho poni Epigraphem jubent. 32. In primo, vel ſecundo ſæpe vidi, ideo elige. 33. Si epigraphe ſit ſoluta oratione, eo modo, quo carmen admiſerit, accommodetur. 34. Pro coronide, emblema ſubjicio, quo temporis fugacitas oſtenditur, ut diſcant ſcholares tempore uti, non terere; fugit enim irreparabile tempus; quo, ſi dum tenes, non uteris, effluet. Pinge cribrum aqua plenum cum Epigraphe: *Effluit, dum tenes.*

Cernis, ut hæc vacuos levis effluat unda per orbes?
Et gremium pluvio more caduca fugit?
Haud aliter fluido vaga tempore labitur ætas;
Præcipitique brevis non datur orbe quies.
Scortea multiplices interſerit area rimas,
Parvulaque inciſa dividit ora cute.
Nec tenet; at nuper, quas hauſerat, evomit undas;
Et rurſus, quas nunc excipit, ire ſinit.
Scilicet hæc vitæ ſatis explicat orbita lapſus,
Linea dum ſenſim linquit aquoſa cribrum.
Sic fluit, & refluit, nova projicit hora fugacem;
Et nova præteritas occupat hora vices.
Jam, quod erat, pepulit: quod abit, rota temporis affert;
Motibus admittens otia nulla ſuis.
Tempora temporibus renovata, ſed altera ſemper
Succedunt, reprimit concita nullus obex.
Sic tua, cum teneas, domino ſimul effluit ætas;
Vitaque, dum credis te tenuiſſe, fugit.

PRO-

PROLUSIO II.

Inſcriptio.

Utrum *Pro Inſcriptione ſubſtitui poſſit Ænigma?*

35. INſcriptio, *Epigraphe*, *Lemma*, *ac Laconiſmum* idem ſæpe ſonant. 36. Alii cum *Epigrammate*, *Epitaphium*, & *Inſcriptionem* confundunt. 37. Unde juxta epigrammatis regulas argutiam ſectari poteris. 38. Illam modo ſumimus pro ſententia, quæ tam ligata, quam ſoluta oratione ædificiis, aliisve artefactis inſcribi ſolet. 39. In domo, qua in Gallia tormenta bellica ſervantur, hæc eſt inſcriptio: *Ratio ultima Regum*. 40. Debent inſcriptiones accommodari loco, v. g. fonti ad Regiam extructo hanc inſcribe:

Munera diſtribuit fons hic ſine limite; donis
Uberior fonte eſt Regia dextra ſuis.

At Fonti in area cœnobii poſito:

Corporis unda lavat maculas: ſi ſordida mens eſt,
Purgari lachrymis poſtulat illa tuis.

41. In Horologiis propemodum infinitas inſcriptiones offendes, ut:

Quam legis hic, cenſes te vivere credulus horam?
Falleris: hac ipſa pergis, ut ante, mori.

Vel: *Cernis, ut abſque mora tibi temporis effluat hora, &c.*
42. Aliquando in verbis ludit Inſcriptio, ut ſi ligatæ avi adjungas: *Non volo, cum volo.*
43. Brixiæ in palatio hæc legitur Inſcriptio:

Hic locus, odit, amat, punit, conſervat, honorat,
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.

44. Ulyſſipone in æde S. Chriſtophori:

Chriſtophorum tenet hac ſedes, tenet ille Tonantem:
Eſt domino ſedes utraque parva ſuo.

45. Fonti Romæ in via Flamminea inſcriptum eſt:

Si Humano ingenio

Perpetuo parari viatoribus vina potuissent,
Non amœnum, quem cernis, fontem,
C. Lepidus,
Magna impensa adduxisset. Pota felix.

46. Parisiis Ponti Sequanæ:
Jucundus geminos fecit tibi, Sequana, pontes:
Hunc tu jure potes dicere Pontificem.

47. Antuerpiæ suburbano loco:
Modestæ voluptati, non vanitati,
Quieti, non torpori.

48. In templo S. Ludovici Domus Professæ Soc. JESU hanc inscriptionem marmore sculptam reperies:

D. O. M.
Sancto Ludovico,
Qui totum orbem in templum Dei
Armis, animisque destinavit,
Ludovicus XIII.
Hoc templum erexit,
Ut, quem Gallia coluit, ut Regem,
Amavit, ut Patrem,
Hic veneretur, ut Cælitem,
Anno MDCXXVII.

PROLUSIO III.

Epitaphium.

Præstetne Attico, an Asiatico stylo Epitaphium adumbrare?

49. E*Pitaphium* genus est inscriptionis, quæ mortuorum memoriæ ponitur. (*a*) 50. Illo utuntur Autho-

(a) *Placuit Auditoribus inexpectato quæsito, an omnibus Epitaphia apponi possent? me negativam sententiam tenuisse, quam post alia jocosa tandem his versiculis comprobavi.*

Naô se vos pode fazer
Epitafio, pois se fas
A quem morre em santa pas;
Vos nunca hareis de morrer.
A fama se jacta ter
Em vas hum ebieto tal:
E como sois sem igual;
Naô sò immortal sereis,
Mas sendo immortal, fareis
A mesma Fama immortal.

Non tumulo incisas servant cum corpore laudes
Naufragus, & rabidæ qui perit esca feræ,
Fulmineo in cineres siquis dissolvitur igne,
Qui procul & nulli cognitus emoritur. &c.

thores etiam in absolvendo poemate Elegiaco, ut Phyllis, quæ apud Ovidium hoc, aut simile epitaphium sibi scribit:

Phillida Demophoon letho dedit, hospes amantem:
Ille neci causam præbuit; illa manum.

Item de se Ovidius.

Hic ego, qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Naso poeta meo.

51. *Epitaphium*, vel laudes recenset mortui, vel tantum nomen ipsius, ac mortis tempus designat, quod vulgare est. 52. Sæpe omnia nuda narratione exponuntur: 53. Aliqando, Patria, Parentes, res gestæ, anni, cæteraque eo spectantia laudantur. 54. Modo loquitur Poeta, modo cadaver, cum Musa, mortuo, viatore, Genio defuncti, &c. 55. Nec desunt in vituperationem epitaphia. 56. Omnia exemplis perspicua fient:

Qui jacet hic? Nemo: vacuum sine nomine corpus
Hic jacet: ex solo corpore non fit homo.

D. Franciscus de la Torre sic illud exponit:

Que es, lo que aqui se encierra?
Tierra, que fue el edeficio, y solo est tierra.
Que es, loque aqui a la vista dexa herida?
El polvo del camino de la vida.
Que es, loque aqui al espanto haze ruido?
El echo del hombre en marmol escondido.
Que es, loque aqui entre horrores reverencio?
La voz, que avissa mas con el silencio.
Que es, loque de la luz aqui se alexa?
La sombra, que en el cuerpo el alma dexa.
Que es, loque aqui arrebata el pensamento?
El ayre, soplo del postrer aliento.
Que es, loque aqui me eleva deste modo?
La nada del que es mucho con ser lodo.
Porque todo es al fin de la jornada
Tierra, polvo, echo, voz, sombra, ayre, nada.

Ad Sebastiani Regis tumulum immatura morte in cælum translati; *No conociendo segundo Fui en tiernos annos al cielo, My espada en su santo zelo, Por queno cupe en el mundo.*

Epi-

Epitaphium Reginæ.

Caminante, esta urna breve	*A ser de su ser agenos;*
Guarda un sol resuelto en yelo;	*De llanto los ojos llenos*
Convertido en tierra un cielo,	*Lleva, y tu Reyna veras;*
Una estrella en polvo leve:	*Viva no pudo ser mas,*
No el sceptro en los Reys mueve	*Muerta no pudo ser menos.*

Illud celebre Epitaphium juvat non omittere:

Aqui yaze un javali	*Caçador, que al bosque vas;*
A manos de una Deidad,	*Pues en el no hallaras*
Moriera de vanidad,	*Fiera, que quede con vida;*
Se bolviera a estar en sy:	*Que esta morio de la herida,*
Myra, no passes de aqui,	*Y de embidia las demas.* (a)

In tumulum Philippi Secundi Regis Hisp. Per primas quasque dictiones legitur sursum, deorsum idem versus.

Philippus	*hic*	*Monarcha*	*stat?*
Hic	*ille*	*summus*	*omnium*
Monarcha?	*Summus*	*hoc*	*modo?*
Stat	*omnium*	*modo*	*inopum.*

Ad idem ab eodem Jac. Falc. *Echo*:

O quanta mundo contigit clades! Ades.
Adsum, nec ista voce terreor. Reor.
Loquarque tecum, si tibi est gratum. Ratum:
Facis profecto digna Principe. Incipe.

Quæ

(a) *Hanc inscriptionem Latine vertimus:*
Venatrice Dea moriendi jactat honorem
Ictus Aper; si vita iterum donetur, adepta
Gloria ad Elysias tumefactum impeleret umbras;
Ne perge ulterius, siquis nemora avia quæris,
Hic omnes periere feræ, nam sustulit unam
Vulnus, & invidia reliquas tabescere nosces.
Ita vertit Italice Cl. Jo: Franc. Masdeu.

Un Cinghiale giace quì	Cacciator che vieni avanti:
Uccifo da una Deità,	Già nel bosco tutti quanti
Morrebbe di Vanità	Gli animali uscir di vita.
Se tornasse a vita un dì.	Morì questo di ferita,
La speranza ti tradì	E d'invidia gli restanti.

Quæ te, Philippe, sors tulit severa? Hera.
Quæ tam potentes Diva habet manus? Anus.
Ubi umbra degit? Credo apud Deos: Eos.
Gestas coronam, credo lauream: Auream.
O summe Regum, ad ultimum quid sumus? Humus.
Spes, regna, honores nonne somnia? Omnia.
Sursum deorsum tota fertur vita; Ita.
Mori ne præstat? Vera dicito: Cito.
Quid? Id. *Sinamus, si tibi est gratum.* Ratum.
Os claudo. Laudo. *Sentio me labi.* Abi.
Sit sempiternum tale gestamen: Amen.

Ad idem.

Sum pius Augusta Caroli de stirpe Philippus,
Austria nostra domus, regni caput orbis Iberus;
Hæc duo servavi semper: sumpsi arma coactus,
Invitus pœnas. Mandavi cætera Divis.

Uxoris mortuæ ad maritum.

Immatura peri, sed tu feliciter annos
Vive tuos, conjux optime, vive meos.

Jocosum Epitaphium a marito uxori positum.

Hic uxor jacet: o factum bene! Uterque quiescit:
Illa quiescit humi, dum requiesco domi.
Uxor io jacet hic. Utrique est meta malorum:
Illi non major, quam mihi parta quies.

Bembus Accio Syncero Poeta laureato.

Da Sacro cineri flores; hic ille Maroni
Syncerus musa proximus, ut tumulo.

Causidici epitaph.

Eripui multos inimica morte clientes:
Mors in me causam vicit acerba suam.
Vel: *Intendit mors lege sua mihi denique litem:*
Heu mihi! Cur causam hanc solvere non didici?

Henrici Magni epit.

Henrici brevis hæc urna est; quem magna fatentur
Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.

Scitæ Poetæ tumulus.

Scita oculos clausit Phœbus, doluere sorores,

Fle-

Fleverunt Charites, funera duxit Amor.

Bembi.

Hic situs est Bembus, nam cætera dicere tantum
Tot bene scripta viri, tot bene facta valent.

Desiderii Erasmi.

Annorum series nobis invidit Erasmum;
Sed desiderium tollere non potuit.

Joannis Despauterii.

Grammaticam scivit, multos docuitque per annos;
Declinare tamen non potuit tumulum.

In quodam tumulo.

Ut vivis, vixi; verum morieris, & omnes,
Quod sum, vos eritis; pulvis, & umbra, solum.
Qui sapit, & qui non; qui servit, & imperat; æqua
Et miser, & felix conditione cadunt.

Improbi tumulus.

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

In tum. Balt. a Joan. Bap. Gyrald.

Balthasar hic jaceo, primoque quem flore juventæ
Decerpit rapida mors inimica manu.
Si spectes annos, juvenem me fata tulerunt;
Si ingenium, dices me perisse senem.

In Renatam Sten. ab eodem.

Dives opum Juno, prudens Tritonia Pallas,
Delia casta, nitet pulchra decore Venus.
Dives at hic, prudens, & casta, & pulchra Renata est,
Qua minor est Phœbe, Juno, Minerva, Venus.

Epit. Benhardi versibus correlativis, ac tantummodo nominibus conflatum.

Instructus, velox, sublimis, pauper, abundans,
Artibus, ingenio, sanguine, veste, bonis.
Insignis, pollens, largus, devotus, abundans,
Moribus, ingenio, munere, corde, bonis.

Francisci Sfortiæ epit. a Marullo.

Si genus audieris, spernes; mirabere gesta:
Illud fortunæ est, hoc opus ingenii.

Ca-

Caroli V.

Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine cælum,
Sydera pro facibus, pro lachrymis maria.

Alexandri Magni.

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis;
Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis.

In Narcisum.

Se Narcisus amat captus lenonibus undis;
Cui si tollis aquas, non est ubi sæviat ignis.

Porcii Catonis.

Cerne hic ossa sacri semper veneranda Catonis,
Libertate potens, animoque instructus, & armis.
Avius incerto peragravit tramite Syrtes;
Libertatis enim dulcedine captus avitæ,
Ne sua servitio premerentur colla tyranni,
Fortia crudeli penetravit pectora ferro.

57. Celebre est illud, quod malo Dæmoni quidam adjudicant. Duo pueri una cum vervece ludebant, hic unum graviter cornu læsit; puer male ferens ictum gladiolo suo vervecis pectus transfixit, alter ob vervecis mortem iratus socii pectus transfodit. Ad extrema suspiria accurrit mater, filium, qui restabat, in cunis relinquens, & rata horrendam necem a puero superstite patratam, illum cultello ex mortui pectore educto trucidavit. Domum redit, ac in lebetem aqua plenum casu cecidisse infantulum videns, se laqueo tabe suspendit. Maritus domun reversus, hæc videns, peracri dolore percussus, diem clausit extremum. Omnia uno disticho:

Vervex cum pueris, puer alter, sponsa, Maritus,
Cultello, lympha, fune, dolore cadunt.

58. Nec raro epitaphia, barbaro licet, lepido tamen stylo invenies. Ut de Romano coquo.

Hic jacet Jacobus, qui fuit Romæ coquus,
Doctor in partibus, Magister in artibus;
De gratia speciali mortuus in hospitali.

Joannes Fossa ex nimio poesos studio ad insaniam redactus

Hac

Hac sunt in fossa Fossæ mirabilis ossa,
Qui sibi condendo versus cere comminuit brum.

In hominis impii sepulchro.

Hic jacet Hilbrandus, stygia fornace cremandus,
Cujus in hac fossa fœtent enormiter ossa.

In Joannis Vituli.

O Pater Omnipotens, Vituli miserere Joannis,
Quem mors præveniens non sinit esse bovem.

In cujusdam Sacerdotis.

Gaudent anguillæ, quoniam jam mortuus ille
Presbyter Andreas, qui capiebas eas.

In S. Othonem Abbatem cœnobii Metensis.

Abbas hic primus Otho, nec laudibus imus,
Hic jacet, ut limus, cælo requiescit opimus.

Epitaph. Antonii Perez Eborensis a se ipso sculpi jussum.

Hic jacet Antonius Perez
Vassallus Domini Regis;
Contra Castellanos misso
Occidit quantos quizo,
Quantos achavit,
Omnes esbarrigavit.
Per istas ledeiras
Tulit tres bandeiras,
Et frebre correptus
Hic jacet sepultus.
Faciant Castellani feste;
Quia mortua est sua peste.

59. Florentinus quidem operosus artifex in sepulchro incudi curavit vocem, *fumus*, quæ utrinque legitur, cum duobus horariis, altero arenario, solari altero; ut ex horum pulvere, & umbra viator imbecillitatis humanæ admoneretur. Hic venit Epigramma illud in horologia Thrasii gemina:

Pulvis, & umbra tuæ metitur tempora vitæ:
Quid sum ergo, Trasi? Pulvis, & umbra sumus.

60. Plerunque solent Epitaphia soluta oratione confici. Illud elogium celebre omitto: *Ælia, Lelia, Crispis*, quod P. Drexelius in Prod. Ætern. cap. 3. explicat. P. Coronelli t. 1. Bibliot. nugatorium arbitratur. In ejus imitationem P. Massenius de Luthero aliud expromit. Suo etiam sale inspergitur jocosum illud Echo sepulchralis Buchanani.

Hic jacet Veneris procus,
Anagrammate Porcus.

Te-

Tenebrio noctu , diuque ebrio similis ,
Cui in vita virtus invita ,
Volupia sola pia ,
Quæ in amoribus , & moribus fuit ,
Huic cœlum , libidinum obscœnum cœnum .
Et polutum lutum :
Sed quæ misero sors evenit ?
Mors venit .
Quæ igitur mens hunc insequuta Porcum ?
Secuta orcum .
Inquietis quietis ,
Non locum illius focum , insignem ignem .
Non in pace , sed in pice
Creditis esse Ditis .
Hæc sors mors ei debita est .
Ita est .

De quodam Infante .

Hic jacet Infans trium annorum , si ætatem spectes ;
Major infante , si merita numeres .
Formaverat illum elegantia , ut omnibus placeret ;
Nihil in eo puerile , nisi ætas , &c.

In Virum probum .

Siste , viator , & lege :
Fui , non sum ,
Es , non eris ,
Es non eris Sylvius Paladius .
Qui , ut moriens viveret ,
Vixit , ut moriturus .
Abi ,
Disce mori , & vivere .

61. Aliquando ex nominis circumstantia , ut ad D. Bonav.

Hoc demum , viator ,
Omnis spei extremum ,
Et commune solatium est :
Bona sua
Semper ventura credidit
Benaventura , cum vixit .

Præ-

Præsentia cum vidit,
Mutavit nomen cum vita.
Vale.

P R O L U S I O IV.

Elogium.

An delicatior Elogii structura magis differat a soluta, quam a ligata oratione?

62. ELogium, quo nostra maxime delectatur ætas, quamvis nulla arctatur lege, ac numerorum mensura, quandam tamen affinitatem habet cum Poesi, eo quod certo verborum ordine non caret. 63. Ad quod plus natura, quam doctrina, plus indoles, quam artificium confert. 64. Vocatur idcirco a P. Juglar. libera Poesis, quæ sola suis legibus utitur. 65. Acumina frequenter amat, ita ut potius solutum epigramma, quam soluta videatur oratio. 66. Acumen sit natum ex re ipsa, non aliunde quæsitum. 67. Sententiæ frequentes sint, & breves, sed acuto vibratas stylo. 68. Crebras admittit Anthitheses, allusiones ad historias, fabulas, Apologos, &c. 69. Acumina suggeret aquilina mens, ac natura: doctrina, & exercitatio perficit, disponitque. 70. Inquires tamen: utrum Elogiorum acumina comparentur arte? Affirmamus; nam per argutiarum fontes, de quibus in epigrammate, elogiorum exempla exhibet, ac propriis imitatur P. Massenius. 71. Toleratur in elogio minus pura Latinitas, eo quod acutus videri, qui vult, sæpe Latinus esse non potest. 72. Unde, ut ait P. Aloysius Juglaris, in hoc scribendi genere facile primus, Elogium vel cum Grammaticorum injuria tolerat plerunque barbariem.

73. Stylus sit Laconismis refertus, ac ad singulos quosque sensus concidat ritu carminum. 74. In hoc omnes, qui de Elogio scripserunt mire consentiunt; quanvis cæteroquin sint valde dissimiles. 75. Styli diversitatem ex collatione

Au-

Authorum facile deprehends. P. Jug. in Elogio Verbi Æterni.

Amicus silentii Deus est,
Semel in tota æternitate locutus,
Uno omnia dixit in verbo.
Prima sui fœcunditate fœcundus,
Ipsa sui conceptione fit Parens:
Usque adeo in Dei filio
Nativitatem conceptio non precedit,
Cui ipsum concipi nasci est.
Ita Patris fœcunditatem exhauriens,
Ut illi fratrem dare non possit.
Unus cum sit,
Numeri damnum compensat, &c.

76. Idem argumentum sic tractavit P. Labbe.

Hic fœtus mentis Paternæ, & verbum oris,
Videntis speculum, Echo loquentis;
Alius est a Patre, non aliud;
Eloquens Pater verbo uno dicit, & uni;
Nec alius esse potest, qui dicat;
Nec alius esse, qui audiat;
Nec præter illud, quod dixit, est aliud:
Exhausit magnum Oratorem sermo unicus.
Nihil habet ultra, quod dicat, qui dixit omnia.
Non intermittit tamen dicere, qui semel dixit:
Singulis momentis idem dicit, & repetit.
Semper genitus est filius, & semper gignitur.
Cessaret Pater esse, si cessaret dicere.
Cessaret filius esse, si cessaret audire.
Et si esse posset in Deo silentium,
Nec Pater esset, nec verbum.

77. Roges: quis Author in elogiis excellat? P. Aloysius Jug. omnium suffragio primas tulit. 78. Præter hunc laudantur: P. Joannes Andreas, Labbe, Emmanuel Thesaurus, & illi. 79. In antiquorum monumentis nihil extat, quod elogium, prout nunc accipimus, sapiat. 80. An vero

in usu fuerit apud antiquos? Incertum est. Siquidem ipse P. Jug. non immerito dubitat, an hoc scribendi genus suo fuerit natum, an renatum sæculo.

PARERGON ASCETICUM.

TEnuit olim, hodieque tenet nonnullos Poetarum superstitiosa hæc, & (ut minimum dicam) falsa persuasio, nequaquam splendescere poeseos venustatem, nisi vel circa fabulosam versetur materiam, vel saltem fabulis, & inanium Deorum nominibus poemata frequenter aspergantur. Nos, & paganica hæc progymnasmata longe ablegamus; & e regione contendimus ab historiis Ecclesiastici^s^ petenda potius argumenta, ad carminis majestatem fabulis aptiora: siquidem Christianorum hominum virtus, & sanctimonia sublimiora patravit facinora, quam, quæ suis heroibus affinxit antiquitas. Illi vero minus ferendi, qui, ut carmen molle, ac tenerum prosequantur, stylum ad profanos amores, & veneres deflectunt. Hominum sane perniciosissimi, atque a Parnasso, quem virginibus incolendum vel Ethnici attribuerunt, ad Scythicas usque solitudines cum Ovidio relegandi. Nec ideo, quia remissiore stylo se ludere dictitant, sunt excusandi; imo bis accusandi, quod per ludum tam serio nocent. Ut præsentaneo huic veneno aliquam præparemus anthidotum, aperte demonstrabimus hujusmodi blanditiarum architectos non modo juventutis moribus, quos depravant, perniciosos esse, sed etiam contra poeticæ artis leges facere, cum, ut par erat, juxta salubre Horatii effatum: *Utile dulci non misceant*. Sed quoniam in poeticæ leges peccatur impune, scire est de profanis amorum conscribitatoribus Deum, hominesque non semel graves sumpsisse pœnas. Horum vero infamiam, & pœnam declinarunt viri non minus eruditione, quam pietate insignes, qui res, non modo serias, sed & sacras pertractantes, docuerunt, æque fieri posse poesin simul castam, & elegantem. Horum de numero nonnulli coluntur in aris; alii vero eximio famæ præconio celebrantur.

Quan-

Quantum vero piis laboribus cælo placuerint, ex eo dignoſcitur, quod aliqui, exercente vena, & ſtylo non procedente, Angelorum ope, & opera adjuvari promeruerint. Liceat hic Societatis JESU Vatibus gratulari, qui ſeverioris Muſæ cultores rebus plerunque ſacris laborem, & ingenium conſecrant. Omitto hic poematum numerum pene infinitum, qui in ſingulis Collegiis ſolemni inſtituto quotannis in Chriſti D. Deiparæ, ac Sanctorum, præcipue Divi Aloyſii laudem cuduntur: loquor de tot Authorum millibus, quorum vix aliquis reperitur, qui omnes, vel aliquam poetici ſtudii partem B. V. obſequio non devoveat.

SPECTACULUM VI.

Ludi Poetici ſales inculcantur.

Utrum *Severiores Muſarum cultores Poetici luſus deceant?*

AD ludum ſpectatores invitat Poeſis: ſcio plane hujuſmodi ſales a Poetarum laboribus ablegandos eſſe, arbitrari nonnullos, utpote ingeniorum laqueum, ineptum temporis diſpendium, & irritum vigilantiæ laborem. Doctiſſimorum tamen hominum exemplis pro comperto eſt, ad ingeniorum remiſſionem licere ad ludos poeticos animum intendere, ne ſevero Muſarum cultu non intermiſſo faſtidiant: quippe non ſolum ad exercenda ingenia, ſed etiam, ut luſus aucupio pietas aliquando ſuavius animis inſtillari poſſit, inſerviunt. Igitur nihil hi luſus nocebunt per illos euntibus, ſed diu circa illos hærentibus.

LUDUS I.

In Literis. Anagramma.

Utrum *Rerum veritas latens ex nuda literarum inversione eruatur?*

1. OPus laboris potius, quam ingenii, perpulchum tamen. 2. Thesaurus est, qui sæpe non inventus reperitur. 3. *Consistit in elementorum transmutatione*, ita ut ex aliquo nomine, vel oratione laus aliqua, aut sententia colligatur. 4. Quod invertendum proponitur, dicitur *Programma*; quod mutatis literis evadit, *Anagramma*. 5. *Anagramma purum* dicitur, quod omnes, easdemque literas Programmatis continet. 6. *Non purum*, si loco alicujus literæ alia ponitur, additur, vel detrahitur. 7. Duas aliqui admittunt; ego tamen vel unicam ægre fero. 8. Si per aliquot versus expendatur Anagramma, exponetur in fine, ut in poemate quod in hac aula recitavimus in laudem Servi Dei, quem Sinenses pro fide catholica occiderunt; Ex hoc programmate-Pater Bartholommæus Alvres omnia temnens Deo litat; inversis literis hoc carmen conficitur, quod ultimum erat poematis: *Læto animo adstantem in bello superaverat hostem*. 9. Possunt inseri aliquot verba, ut epigramma accommodetur metro; at ita fluant in epigrammate, ut judicare non possis, nisi præmonitus, quodnam sit epigramma. Aliquot exempla damus.

Anagramma unius dictionis.

JESUS. *Jus es.*

Jus primum & summum es, Sanctum cui nomen JESUS;
Omnia Jure tibi debeo, corque meum.

Eucharistia. *Vis theriaca* vel: *Cithara JESU.* vel: *hic se variat.*

Vinum & panis erat, nunc est ibi Numen, ut omnes
Ut cibus & potus seu medicina juvet.
Hæc lyra cælestis (non hæc, ut Græcia fingo)

Cri-

Criminibus mersos, saxea corda, trahit.

Prædicator. *Corda aperit.*

Corda aperit, alto cælum solio qui prædicat alto,
Jam spe, jam sancto corda timore ferit.

Laurentius. *In te Laurus.*

In te Laurus adest; dextramque exornat orantem,
Laurenti, & capiti Laurea serta parat.

Patior. *Potiar.*

Nunc patior; misero nunc est labor utilis orbe,
Tunc potiar summis & sine fine bonis.

Capitulum. *Caput muli.*

Non bene conveniunt rebus sua nomina, muli
Concilii sedes dicitur esse caput.

Minister. *Mentiris.*

Calvinus. *Lucianus.*

Laudator. *Adulator.*

Vanus adulatur, nimium qui laudat, at omnis
Post mortem laudes suspicione carent.

Silentium. *Ne lis, muti.*

Ut litem effugias, servare silentia cures,
Nulla quidem muti, certa loquentis erit.

Morti. *Timor.*

Si cupias tristem vitare in morte timorem,
Sit tibi, dum misero vivis in orbe, timor.

Logica. *Caligo.*

Dum logicæ incumbis, solvis caligine mentem,
Quamvis caligo visa tibi Logica est.

Panis. *Spina.*

Terra dabit spinas, ut ait Deus ore minaci.
Quam pius est! panem dat tibi terra ferax.

Ursula. *Laurus.*

Viola. *Oliva.*

Cicero: *o Circe.*

Aristoteles. *Sol erat iste.*

Fertur Aristotelem pelago ocubuisse sepultum;
Sol erat iste: mari debuit ergo mori.

Ga-

Judas Iscariotes. *Ah sic tradit JESUM?*

Voces Italicæ.

Stefano Protomartire. *Santo morto fra pietre.*

Anagrammata trium dictionum.

Quid est Veritas? *Est vir qui adest.*

Divus Marcus Evangelista. *Sum vigil ad Venetas curas.*

Divus Stephanus Levita. *Heu! en justus lapidatus.*

Sanctus Laurentius Levita. *Leni vultu in crate assatus.*

Sancta Lucia Virgo. *Unica grata oculis.*

S. Ignatius de Loyola. *O ignis a Deo illatus.*

D. Ignatius a Loyola. *O Atlas vigil in Deo.*

B. Ignatius e Lojola. *Ave, o ignita orbis stella.*

Ignis ades, mundum, dum cuncta incendere curas,
Sustineas Atlas, lucida stella regas.

Christina Regina Sveciæ. *Charites in Virgine satæ.*

Vel. *I, regnas in Charitate JESUS.*

Voces Italicæ.

Sacramento dell' Eucharistia. *Rara mensa, salute dè Cactolici.*

Pietro di Cortona. *Corona de' Pittori.*

In supradictis aliquot non sunt pura, siquidem mutatur aliqua litera. Meliora sunt quæ ex nomine historice aliquid deducunt.

Sic Petrus Joan. Botorg. ex Musarum nominibus ipsarum Parentes, ac status exprimit ..... Clio, Melpomene, Thalia, Euterpe, Terpsicore, Erato, Calliope, Urania, Polymnia, hoc Anagramma conficit: *In Pieria, & Jove, & Memoria partæ, Pollet Helicone has chare amplectitur Apollo.* 10. Diphthongus dissolvi potest, ut Æ in A, E; ut: Conceptio Sanctissima MARIÆ: Anagr. purum: *Mira satis, ac sine omni peccato* .... 11. Item I, & U vocales pro consonantibus, & Y, pro I, 12. Eo tamen perfectius evadat, quo minus utaris licentia, præsertim in mutanda litera. Ut: Omnes in Adam peccaverunt: *Peccamus: Una Dei mater non*: In aliis aliqua mutantur, ut: *Divam una cum Nato secerne.* Mutatur P in U vel: *Sed num Maria peccavit? Non.* Mutatur E in I, Etiam U, & S mutatur in A, & N in hoc: Serenissimus Do-

I 4 mi-

minus D. Joannes Quintus Lusitanorum Rex Augustissimus: *Missus ex Deo Lusis, qui regnum suum administrans Nestoris vivat in annos*. 13. Perpulchrum est, si metro conficitur, ut: Rodulphus de Austria Imperator secundus:

Ardoris vacuus tu de splendore triumphas.

Item: Atque sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. 1. Corinth. 15.

Anagramma, & Epig. simul:

Innato Maria immunis tu crimine rides;
En Natus facit hoc ortu, obituque tuus.

14. Celebre est illud de P. Granieto ab Hæreticis in odium fidei occiso, cujus sanguis imaginem ipsius Patris in spica expressit: Pater Enricus Granietus, *Pingere cruentus arista*.

15. Item de *Fide* Anagramma quintuplex.

Recta *Fides* certa *est*; arcet *mala schismata*, *non est*
Sicut Creta *Fides fictilis; arte* caret.

16. Ut infra dicemus, quinque literæ admittunt 120. transpositiones, quator admittunt 24. Unde Roma potest 24 vicibus variari, sed non omnes variationes dictionem significantem efficiunt. Si aliquas velis, has in his Versibus invenies.

Culte Maro *te* Roma *audit prope Tibridis* oram,
Omnes vatis amor (*nec* mora) *solicitat;*
Insidet hic ramo, *bovis incidet alter in* armo,
Qua locus est, properant, ut melos aure bibant.

Potest autem ex anagrammate enigma confici, si adjungas:

Si bene perpendas, tantum pars quarta notatur;
Tu nodum solvas Ædipe, victor eris.

Quia in Voce *Maro* inveniuntur 24 anagrammata, & in districis tantum quarta pars, nempe sex notantur. De his ineptiis in ultimo spectaculo.

17. Huc spectant nominum divisiones; ut Dominus: *Do minus*. Item Tertullianus: *Ter Tullianus*. Policarpe: *Poli carpe*; unde hemistichium: *Carpe poli, Policarpe, viam*. Erasmus: *Eras mus*. Unde Epigr.

Quæritur unde tibi sit nomen Erasmus? Eras mus?

Si

Si sum mus ego, te judice, summus ero.
Etiam cuidam Leonardo accommodatis Leonis, & Nardi proprietatibus finitur Epigr. *Tu leo, tu Nardus, Tu Leonardus eris.* Optimum est illud de Aristotele: *Sol erat iste, mari debuit ergo mori.* 18. Non Latino tantum sermone Anagramma conficitur. Hæc habes: Todos peccaron, y necessitan de la gloria de Dios: *Sin peccado esta escogida la Reyna trono de Dios.* Yo Maria, siempre Virgen, y Madre de Dios: *Redimida, y preservada en mi origen soy.*

Verdad es averiguada,
Que de la cõmun cayda
Por muger fuy redimida,
Y por Madre perservada,
Prevenida, y resgatada
Por el amor, y poder,
Dos glorias vengo a tener
Que una, y otra es biẽ me quadre;
Pues la gloria de ser Madre
Se la devo al ser muger.

Santo Thomas de Aquino Maestro, y Doctor Angelico: *Maria no te tocò mancha original, sabed esto, Doctos.* Mudase V. Q. en B. A.

Firmada por Thomas se halla
La Concepcion de Maria;
Pues el mismo dà este dia
Su nombre para jurarla:
Sy me dizen porque calla?
Digo, q. es mas fina accion
Dissimular su afficion,
Y hazer, porque mas assombre,
Le desentran.en el nombre,
Para leerle el coraçon.

9. Si transpositio in anagrammate sit retrograda, tum nobilissimum erit, v. g. Amor: *Roma.* Huc spectant versus retrogradi:

Si bene te tua laus taxat, sua laute tenebis;
Ore feris animos, omina si refero.

Item: *O ut ares animo nomina fera tuo.*
Tu pacata vale; rore lavata caput.
Sole medere pedes, ede, perede melos.

20. Joannes de Lasco Elegiam 58. versibus conflat in laudem Caroli Ducis Surdemaniæ, quam invenies in Encyclopedia Alstedii. Ita incipit:

Aspice nam raro mittit timor arma, nec ipsa,
Si se mente reget, non tegeret Nemesis, &c.

In Palatio Reginæ Eloquentiæ aliqua leguntur in laudem B. Virginis: *Ave, o Diva Maria, iram avido Eva.*

Ore

Ore tu, & recte, & certe utero
Solem refers. I, bona, nobis refer melos, &c.

21. Adeo difficile est hoc compositionis genus, ut Authorem Dæmonem tradant horum distichorum:

Sedula petrosas irrisa sorte paludes,
Sepositi donis non sine Ditis opes.
Signa te signa, temere me tangis, & angis
Roma tibi subito motibus ibit amor.

22. Celebre etiam illud est, in quo ex quolibet latere idem legitur: *Sator arepo tenet opera rotas.*

23. Rogabis, utrum longior sententia per anagramma converti soleat? *Labor omnia vincit.* Imo (quod ingeniosius) P. Bohuslaus Baldinus Soc. JESU ex salutatione Angelica confecit hæc carmina per purum anagramma, in quo B. Virg. sic loquentem inducit:

Chare sodalis, ama: ut non te peccata morentur,
Ingrediare sinum; tuus est: clauderis in isto.
Tutus ibi Matrem bibe; sæpius ubera prensa;
Nam tibi nectar erunt, cordi favus: omnia vincet,
Vincet amor.

24. Par labor, & laus P. Joannis de Landres Soc. JESU, qui ex Programmate: *Salve Regina, &c.* usque ad: *O dulcis Virgo Maria*, hoc anagramma, & veluti synonimum composuit:

Salve, o Virgo Parens, miserorum juge levamen;
Spes ter fida, salus constans, dulcedo tuorum;
En te sollicita Evæ turba reclamat, & ad te
Exul ab hac lacrimis immersa valle gemiscit.
Eja ergo, o miseris Tutamen dulce relictis,
Ad nos de cælis oculos converte faventes,
Dum post exilii, nostra hæc fastidia, mundi,
Dono, o vita, tuo possimus cernere JESUM.

Aliud anagramma, & responsio V. Mariæ, Authore P. Bohuslao, ut videre est in Atlante Mariano.

Me salvere cupis; venio tua Virgo sodalis,
Sic te claudo sinu Mater; lac accipe nostrum:
Ubere cælestes distillo mellis honores,

Et

Et tergo lacrymas, & vultum amplector amantum,
Arbor ero vitæ; spes. si in me fixa reclinet,
Fide Deo: juvat ingenuos mea cura sodales:
Dein vult ostenso, mea maxima gloria, Christi
Te fessum (o jucunda dies!) in sydera condet.

In additionibus ad Tom. 12. P. Causini, quem D. Franciscus de la Torre in Hispanum vertit, legitur aliud anagramma sub eodem Programmate in laudem B. Virg. a Luce Congreg. S. Philippi Nerii:

Ne timeas, mortalis homo, licet horrida ventis
Exeat ira maris, medio & de gurgite fluctus.
Cur male fles, oculos timidos feriente procella?
Ecce benigna Parens ad te mea sydera volvo;
Adspice tendentem (o) cælestia brachia Natum;
Sol Deus ipse suis, sol est, lux ore sereno.
Huc madide jacta veni o navicula mundi,
Sum portus, sum vera salus, sum lucis origo.

25. Circa anagramma ex carmine deductum exemplum habes in oratione Ecclesiæ: *Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cæli, &c.* Ad quod canticum sex versibus constans in eodem tom. P. Causini. pag. mihi 306. Symbo. 20. lib. 2. legitur anagramma mirabile sex pariter versibus conflatum, quo Lauretanæ Virg. templum adornatur. Author est R. P. Everardus Hochio Soc. JESU, ut de Atlante Mariano satis constat. Anagramma, & Responsio B. V. MARIÆ:

Ne metuas, quamvis cursu pernice procellæ
Nutat, & irrugit spumosa navis in unda.
Teque, tuamque ratem placato sydere ducam.
Clarum lucis iter curres, cita prora volabit,
Errores pelagi retegam, miserebor egeni;
Euge, meos portus intra, sum ripa salutis.

26. Ut de Anagrammate concludam, rem in hoc genere mirandam propono. P. Theophilus Tom. 8. pag. mihi 270. recenset Psalterium Immaculatæ Conceptionis constans 160. anagrammati spuris sub hoc Programmate: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Pag. 599. aliud Psalterium in-

inferit. Horum author eft fapientiffimus pariter, ac piiffimus vir Joannes Baptifta Agnenfis, qui inter doctos in pretio habitus tandem orbus oculis ad anagrammata refpexit; & non tantum illa, fed 1200. puriffima ex eodem Programmate defumpfit, Authore confilii R. P. Guiliermo Gumppenberg Soc. JESU, qui omnia in gratitudinis officium intulit in fuo Atlante Mariano. Idem Raynaud. Tom. 7. pag. 33?. fub eodem Programmate: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum*, annectit elogium anagrammaticum a R. P. Fr. Joanne Francifco a Luca ex familia Turria Ordinis Capucinorum. Conftat 226. anagrammatis, quæ ex ejus prope infinitis decerpere afferit. Necnon fub hoc Programmate: *Conceptio fanctæ MARIÆ Virginis*, fubjungit 48. anagrammata. Item carmen fpondaicum, feu poema conftans 103. verfibus fpondaicis fub toties inverfo Programmate: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum*. Sub eodem Programmate in his tantum Authoribus 1529. anagrammata reperio. Felix labor, dulce ftudium Beatif. Virginis obfequio confecratum! Mirum tamen, vixque fine Dei Matris auxilio fieri poffe ingeniofiffimi viri arbitrantur. Aliqua de multis feligam. Programma: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum*.

Ex T.7. *Aliger nunciat puram, JESU Deo amatam.*
O miraculum! nam pura, etfi Adam genita,
Genita pura omni macula veteris Adam.
Tu unica pura es, o magni Dei Mater alma.
Age Diva immaculata, inter omnes pura.
Una eft aula Regia, nemo dicat impuram.
Agna micat pura mali; venite adoremus.
Emicat, Adami lapfum vere una ignorat.

Ex T.8. *Reginam videtis a nota maculæ puram.*
Regia munda, & palatium emicans auro.
Ego aurum nitens, immaculata Deipara.
O munda a macula per merita JESU gnati!
Virgo an deturpata eft a macula? Minime.
Ignoravit Adæ culpam, nam Mater JESU.
Virgo mea, en dulcis, pura, animata meat.

27.

27. Quamplurima passim apud Authores invenies sub eodem programmate anagrammata. 28. Si aliquod in alicujus laudem confeceris, epigramma subjunge, quod usitatissimum est. Aliqua in 4. argutiarum fonte apposuimus, sed breviora. 29. Tu tamen in laudando, seu gratias habendo immorari aliquantulum ne timeas. 30. Hic solent aliqui magnam artem combinatoriam Patris Athanasii Kircheri Soc. JESU inculcare, Lib. 4. Fol. mihi 157. Ubi apponit tabulam generalem ad omnes commutandarum literarum transpositiones, v. g.

Numerus literarum nominis commutandi.	*Numerus commutationum, Sive Anagrammatum.*
2	2
3	6
4	24
5	120
6	720
7	5040
8	40320
9	362880
10	3628800
11	39916800
12	479001600

31. Hoc tamen uti schemate nullatenus in mentem tibi subeat, cum ad conficiendum anagramma animum appuleris; combinatio enim 25. literarum longissima est; combinatio vero 50. prope infinita; quippe quam nec centum annorum spatio absolveres. 32. Itaque in conficiendo anagrammate, assumpto programmate, ad literas attende, dictiones attentus cogita iisdem literis constantes, stylo verso nunc dele, iterum scribe, traspone, iterum tenta, meditare, &c. donec evadat anagramma. 33. *Anagrammata chronologica* vocantur illa, in quibus Romanis caracteribus includitur certus annorum numerus, quod tam soluta, quam ligata oratione conficitur.

AVe

AVe CaLI porta pIa,
LUCIs aULa, paCIs VIa:
aVe sponsa æternI patris
soror parens JesU fratrIs,
rosarII saCra regIna,
gratIa protege nos trIna,
faVe LargItate MatrIs.

Per literam M his versibus contentam intellige 1000. per 4. C. 400. per 4. L. 200. per 7. U. 35. per sexdecim I. 16. quæ signant annum 1655. quo Hymnus in lucem prodiit. 34. Habes etiam Apollinis vaticinium Chronologicum–PrInCIpIs BrasILIæ IosephI, & MarIæ Annæ VICtorIæ soLemnes nVptIæ CeLebrantUr, InCIpIente JanUarIo hUIUs præsentIs annI, Ioanne V. In LUsItanIa, & PhILIppo V. In HIspanIa regnantIbUs.

Ad Serenissimos Principes.

Vestrum conjugium celebrari hoc debuit anno;
Hic etenim in vestro Nomine clausus erat.

Illud etiam extat de Petro 2. Lusitaniæ Rege anno 1696. PetrUs ReX LUsItanIæ, ac InDIæ VIVat In æVUM. Celeberrimum est illud cuidam Ludovico ab æmulis condatum, quo probatur ipsum esse bestiam Apocalypseos, in cujus nomine ait D. Joannes inveniendum esse numerum 666. quem invenies, si literas computes hujus nominis.–LUDoVICUs. 35. ut perfectum sit hoc anagrammatismum, duæ solent assignari leges 1. nullum sit verbum, quod aliquam literam numeralem non habeat: exipe *est*, *&*, quia voces sunt in oratione frequentissimæ. 2. nulla litera numeralis demittatur. 36. Aliqui hoc genus vocant anagramma numerale; & Arithmeticum vocant pure numericum. 37. Alii pure numericum dicunt anagramma, quod eundem literarum numerum habeat, ut *Virgo*, *MARIA*, *Mater*, *Magna*, *JESUS*. Quælibet harum vox est anagramma alterius, quod quinque literis constat: hoc tamen nimis jejunum est. 38. Proprius tamen Anagrammata Arithmetica dicuntur, quæ eundem literarum valorem continent. Literarum schema subjicio.

A. B.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.
P. Q. R. S. T. U. X. Y. Z.
15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

Juxta propofitum fchema: *Ambrofius lucidus eſt ſol*, & illud Eccleſ. 20. *Quis talis ut ſapiens eſt*: faciunt eandem numerorum fummam nempe 281. Alia anagrammatum genera confulto omittimus.

LUDUS II.

In Verbis.

Utrum *in ſuo ſæculari anno Societas hanc vocem* Ætas, *ut propriam ſibi Echo reſpondentem habeat?*

39. Ludus in verbis multiplici fit modo, at in pueriles ineptias plerunque incidit. Vide fupra de Elegia ubi præcipue luditur, fi omnia difticha iifdem verbis finiantur, vel inchoentur, ut in Lutherum ingeniofus Vates:

O Felix Martine, tuis ut conſona votis
Cuncta cadunt, vivens quod cupis, hoc & habes.
Temporibus noſtris vis Hæreſiarcha teneri,
Pejor, & antiquis omnibus? Hoc & habes.
Vis fugere, atque humili diſcinctus, Apoſtata, clauſtro,
Barbaricisque coli gentibus? Hoc & habes.
Vis placitos fœda ſatiare cupidinis æſtus,
Sacrilegiſque frui nexibus? Hoc & habes.

Poft multa alia diverfo tramite pergit:

Infelix Martine, tuis ut diſſona votis
Cuncta cadunt, quod vis mortuus, hoc nec habes.
Errores revocare ſatos, & crimina velles
Expurgare modis omnibus? Hoc non habes, &c.

P. Steph. Lamb. Soc. JESU, hoc epigrammate D. Ignatii laudes recenfet:

Quas tibi tam magn as, Igna ti, dicere laudes,

Ut

Ut non majores dicere mille queam?
Magnum erat invictum Mavortia signa tueri:
Signiferum Christi majus at esse fuit.
Magnum erat a Petro medicari vulnera Martis:
Virgineo Veneris majus ab ore fuit.
Magnum erat, octo pati victus sine munere Soles;
Raptari totidem majus ad astra fuit.
Magnum erat, emmeritam ferulæ supponere dextram:
Verberibus majus subdere terga fuit.
Magnum erat æternæ rimari arcana Sophiæ;
Sed Triadem majus cernere mente fuit.
Magnum erat indigenam Venerem tibi cedere in undis:
Hac sub aqua vinci majus ab igne fuit.
Magnum erat extinctum laqueo revocare sub auras:
Ex orco majus mittere in astra fuit.
Magnum erat aspectu Christum tibi adesse benigno;
Propitia majus voce favere fuit.
Magnum erat oppositis sociasse ex gentibus agmen;
Subdere tot majus tam cito regna fuit.
Magna hæc, at longe majus, cum maximus esses,
Te minimi, ut minimum semper habere fuit.

In arte sua de Vita Urbana multa inserit P. Grimaldi, quæ huc afferri poterant, ut:

Arte feris campos, sata semina colligis arte,
Arte regis currus, dirigis arte rates, &c.
Legerit hanc aliquis de se nimis ampla locutus;
Nec mora: jamque sui redditus osor erit.
Legerit hanc aliquis, sibi qui nimis ante placebat;
Protinus incipiet displicuisse sibi, &c.

Ad Musas inter alia:

Urbanum mens volvit opus, mihi pandite mores
Urbis, & urbanum nomen habete Deæ.
Urbanum mihi crescit opus, sale spargite versus
Urbanos, Vates dicar & urbis ego.

Huc facit illud Camonii de Tempore:

Com o tempo o prado secco reverdece,

Com

Com o tempo cahe a folha ao bosque umbroso,
Com o tempo para o rio caudaloso,
Com o tempo o campo pobre se enriquecz, &c.

41. Huc spectat Serpentinum carmen; cum iisdem verbis inchoatur, & clauditur. Vide Epigramma Mart. 99. l. 9. Item Sidronium:

Vita mare est, res plena metu, res plena tumultu
Utraque; mortales, credite, vita mare est.

Sic Ovid. *Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,*
Attice, crede mihi, militat omnis amans.

In 4.Fast.*Qui bibit inde, furit; procul hinc discedite, queis est*
Cura bonæ mentis; qui bibit inde, furit.

Ep. ad Thes. *Nullus erat, referoque manus, iterunque retento;*
Perque thorum moveo brachia, nullus erat.

Pulchrum est illud de D. Joanne Baptista:

Agnus eram; mox fregi aries violentus Olympum,
Me Lupa, meque Lupus perdidit; agnus eram.

Extat eruditum aliud carmen in Martyrem Ignatium charitatis ardore totum ignem:

Ignis erat; dabat ore rogos, dabat ore favillas,
Frigora depulerat mentibus, ignis erat.
Ignis erat; quanvis liquidis equitaret in undis,
Demersusque freto cresceret, ignis erat.
Ignis erat; fugit objectum leo territus ignem;
Quem tetigisse negat dentibus, ignis erat.
Ignis erat; tandemque feras accendit in ignem,
Pulvere in exiguo desiit, ignis erat.

42. Potest etiam eadem dictio sæpe renovari, v. g. si virtutes decertent: quænam virum aliquem insignem coronet? Similiter Musæ, cui ipsarum plus gloriæ debeatur? &c. vel si ipsæ loquentes dramatice inducantur a Poeta, ut pro se rationes suas adstruant; exemplum suppeditabit P. Sautel in Lusu Allegorico de certamine inter rosam, & violam de florum imperio:

Rosa: *Punicei Regina decens, & gloria campi*
Tollo coronatas imperiosa comas.

Viola: *At viola hic retulit, justum mihi provida cessit*

Impetium in flores Flora tenere suos.

Rosa: *Inclyta nobilium decorant me symbola Regum:*
Stemma, Genus, Solium, Purpura, Miles, Odor.

Viola: *Filia sum Floræ, ridentis ocellus amoris,*
Sydus agri, veris nuncia, gemma soli, &c.

42. Poteſt etiam Poetà narrando v. g. virtutum contentionem circa Principem aliquem ordinare:

Rex meus est, Pietas; meus, inquit Bellica virtus;
Sancta Themis, nostro nomine gaudet, ait.
Cor Pietas, animos invadit Bellica virtus,
Sceptrigeramque Themis vendicat æqua manum.

44. Idem P. Sautel, cum e vivis excederet D. Magdalena, certamen inter amorem, & mortem inſtituit, in quo:

Mors, & Amor tanti certant de laude Trophæi,
Mors jaculo, jaculo conspiciendus amor.
Mortis amor speciem, speciem Mors præbet Amoris:
Nudus uterque, oculis orbus uterque fuit.
Morti indicit Amor, Mors bellum indicit Amoris,
Illa suam falcem projicit, ille facem.
Arma poposcit uterque, & uterque cucurrit ad arma;
Mors pharetram, pharetram jam quoque solvit Amor,
Concidat icta meis jaculis, Mors inquit, & inquit
Rursus Amor, jaculis concidat icta meis, &c.

45. Luditur etiam in verbis cum diverſa ſignificatione ſumuntur:

Quid facies, facies Veneris si veneris ante?
Nè sedeas, sed eas; ne pereas per eas.

46. Aliquando ſignificatio diverſa ſumitur pro varietate idiomatis, ut: *Incenso*, *Forte*, quod aliud Luſitane, aliud Latine ſonat, quod infra de Ænigmate. De inflexa vocis ſignificatione plurima in quarto argutiarum fonte per totum. 47. Alius Ludus eſt *Echo*, quæ genus eſt Epigrammatis ſane feſtivi; ſiquidem præcipuus in eo lepor, quo attentionem conciliat, a ſimiliter deſinentium verborum ſono provenit. 48. In uno, alterove carmine omitti poteſt Echo. 49. Eo puchrior evadit quo ſimilior dictioni præcedenti ſonus eſt in Echo. 50. Hæc rariſſime ſit integra dictio præ-

iens.

sens. Exemplum habes in his carminibus ad Regiæ solitudinem, cum Potentissimus Lusitaniæ Rex Serenissimam Brasiliæ Principem excepturus in Transtaganam Provinciam proficisceretur:

Dic mihi cur jaceas pelagi prope littora tristis,
Flebilibus mœrens Regia celsa modis?
Fles caput imperii? Perii. *Cum Rege recessit?*
Cessit. *Vita?* Ita. *Sed jam remeabit?* Abit.
In te quid Dominus deliquit? Liquit. *At iste*
Ditior huc rursus non veniet? Veniet.
Ergo cur Dominus violentus? Lentus. *At iste*
Mœror ab afflicto corde recedet? Edet.
Estne aliquod lenimen? Hymen. *Quid squallida luges?*
Quid facit ut mæstus sit tibi clamor? Amor.
An Domini? Domini. *Sed amor, nequit esse dolori:*
Quid facit ut luctus sint in amore? Moræ.

51. Poterunt aliqua verba interponi, ut:

An puer hic fiet magnus? Quæ reddidit: Agnus.
Quis natus, dixit? Natus. *Patrisne Judæi?*
Illa: Dei, *&c.*

52. Pulcherrimum est illud Hispanicum a quonam Lusitano ingeniose elaboratum, licet per interrogationes non fiat Echo:

Epitaphium Reginæ.

Mucho a la Magestad sagrada	agrada,
Que entienda a quien esta el cuidado	dado,
Que es el Reyno de aca prestado	estado,
Pues es al fin de la jornada	nada.
La filla Real por afamada	amada,
El mas sublime en mas humillado	hado
Se ve, en el sepulcro encarcelado	elado,
Su gloria al fin por desechada	echada.
El que ver lo que aca se adquiere,	quiere,
Y quanto la mayor ventura	tura,
Mire que a Reyna tal sutierra	tierra.
Y si el que ojos oy tuviere,	viere,
Pondra, o mundo, en tu locura	cura?

Pues el que fia en bien de la tierra yerta.

53. Etiam duplex, seu triplex Echo invenitur in eodem versu:

Logra, o Liz en sagrado agrado grado, &c.

Et illud: *Da de acclamarte amarte, Marte, arte, &c.*

54. Aliquæ sunt inter Rhetorices figuras, ac Tropos, ad Poeticum ludum mimis aptæ, v. g. *Onomatopæja*, quæ est fictio vocis affinitatem habentis cum re cui accommodatur: ut de Tubæ clangore:

At tuba terribilis taratan tarantantara dixit:

Et de Bombarda: *Horida per campos bum bum bombarda sonabat.*

55. Non minus Hyperbole, quæ rem ita augendo, vel minuendo exaggerat, ut humanam superet fidem. Ita Ausonius de quodam, qui turpi asello decidit:

Faustulus insidens formicæ ut magno Elephanto,
Decidit, & terræ terga supina dedit.
Moxque idem ad mortem est multatus calcibus ejus,
Perditus ut possit vix retinere animam.
Vix tamen est satus; quid rides, improbe Livor?
Quod cecidit? Cecidit non aliter Phaeton.

56. Jucunda est illa Hyperbole apud Radisium de duobus mendacibus, qui certamen instituerunt; quisnam majus mendacium in medium proferret?

1 *Vidi barbigeras volitare per aera capras,*
In media vidi nube volare boves.
2 *Vidi multiplices muscas pro bobus aratrum*
Ducere, & impositum sustinuisse jugum.
1 *Exiguum leporem vidi jugulare molossos;*
Et muscam vidi, quæ jugulavit Apros.
2 *Vidi formicam, cujus pede facta columna est,*
Quæ pontem in medio sustinet Eridano.
1 *Vidi, qui primo tria dolia sumpserit haustu;*
Vidi formicam, quæ biberit Rhodanum.

57. Faceta etiam illa de exiguo Naso:

Exiguum Nasum siquis vidisse laborat,
Cinnam adeat; Cinnæ si modo Nasus inest.
Non etenim est Nasus, sed pars centesima Nasi,

Et

Et quo quis viso, dicere possit: ubi est?

Nec minus illa a D. Francisco de Quevedo de Naso cubitali:

Erase un hombre a una nariz pegado,
Erase una nariz superlatiba,
Erase una nariz sayon, y Escriba,
Erase un pece espada muy barbado.
Erase un relox de Sol mal encarado,
Erase una alguitara pensatiba,
Erase un Elephante boca arriba,
Era Obidio Nason más narizado.
Erase un espolon de una galera,
Erase una pyramide de Egypto,
Las doze tribus de Narizes era.
Erase un naricissimo infinito,
Muchissimo nariz, nariz tan fiera,
Que en la cara de Anás fuera delito.

58. Luditur etiam per brevissimas rerum definitiones, ut si, v. g. Rosa dicatur: *Ornamentum prati, plantarum gloria, florum ocellus, Chloris delicium, astrorum livor, veris honor, &c.*

Accipe sonulum Hendecasyllabum ad Rosam:

Ayer nasciste, morirás mañana,
Para tan breve ser quien te dio vida?
Para viver tan poco estás lucida?
Y para no ser nada estás loçana?
Sy te engañó tu hermosura vana,
Bien presto la veras desvanecida,
Porque en tu hermosura está escondida
La occasion de morir muerte temprana.
Quando te córte la robusta mano,
Ley de la Agricultura permettida,
Grossero aliento acabará tu suerte.
No salgas, que te aguarda algun tyranno,
Dilata tu nascer para tu vida,
No anticipes tu ser para tu muerte.

59. Huc venit celeberrima illa Psyttaci descriptio a R.

P. Antonio Vieyra Hispanice elaborata:

Iris parlero, Abril organizado,
Ramillete de plumas con sentido,
Hybla con habla, irracional florido,
Primavera con pies, Jardin alado.
Quando del ayre libre enamorado
Barbaramente hablavas, oy polido
Prezo te veyo, y en vano divertido
Con la tema de nunca estar callado.
Tu en palacio bien visto, y con cadena?
Quantos lloran la lastima, que toco!
Hablas bien; ser discreto te condena:
Porque no buelas, gritas como loco,
Grita pues; que de palacio es pena
Quexarse mucho los que buelan poco.

60. Ne tamen in singulis figuris diutius immoremur; hunc ludum pie, religioseque absolvere est animus Lusitano sonulo Hendecasyllabico, quo D. Joannes de Lucena Humani generis Reparatorem e vitali ligno pendentem per *Antitheton*, seu *Contrapositum* alloquitur:

Como estais luz sem luz, vida sem vida,
Sol! sem curso, com sede fonte pura,
Imagem do Pay Eterno sem figura,
Palavra do mesmo Pay emudecida.
Vara santa de Araõ ja naõ florida,
Bello espelho do Ceo sem formosura,
Favo de Sansaõ entre amargura,
Torre forte de David enfraquecida.
Vos sem vida dais vida; luz sem luz,
Vossa sede ao mundo farta, e a imagem,
Que tendes, me faz ver onde vos puz.
Immovel morreis pregado em huma cruz,
A mais duros coraçoens, que a mesma lagem,
E morto espelho dais mais clara luz.

LUDUS III.

In Carmine. De metri legibus immutatis.

Quid auribus jucundius: pedum harmonia, an vocalis exitus consona similitudo?

61. LUditur etiam in poemate Lusitano per Latini leges elaborato. Exemplum sit Elegia in fine acroamatis:

Perfida aos gostos vens mágoa triste seguindo;
Qual segue gata ratos, qual segue galga lebres.
Deixo-me dos Chistes com muita facecia ditos;
E perdaõ vosso seriamente peço.
Quem sabe já quando semelhante galhosa termos?
Com nosco os annos semper fogindo voaõ.
Se nada agraddmos, paciencia tende, rogamos:
Por breve graça levem quanta palavra demos.
A vos, que attentos aqui breve glória tendes,
Guarde, melhor dando glória, guarde Deos.

62. Huic affine est carmen, quod vulgo dicitur: *Maccaronico*, quo plerunque festivi ingenii Vates utuntur, ut jocoso hoc metro risus excitent. Sic quidam Poeta importunum culicem sono, ac susurro somnum impedientem execratur:

Deixa-me, maldito, quid me bocca semper aberta,
Persegues cum tiple tuo? Quid zinis. orelhas
Circumstans nostras? Si vis mordere, quid ante
Avisas? Melius nostras caladus orelhas,
E mais seguro valido ferrone picasses:
Quid me descansum grata sub nocte quietum
Carpentem, & multo stirantem membra sopore,
Aut involventem pequenino membra novello
Despertare audes, ó Trombetilha Diabi?
Nam velut in guerris it Borlantinus ad hostes
Trombetam inflando, sic tu Mosquite, sub alta

Noite venis, festamque facis cum mille rodeis,
Mille viravolis, ceu bailarinus in orbem
Me circum: ac magna (tromba guinchante) galhosa
Te chegas, grandis dehinc lancetada per omnem
It rostum: semper qual centinella paratus
Despertare viros, somnosque expellere cantu.
O burbulharum Pater importune mearum!
Deixa-me maldito, quid me trombeta fatigas?
Nolo tuos cantus: vai lá cantare por esses
Oiteiros, variis garganteando modilhis;
Vai logo, & nostros noli mordere bigodes.
Nonne mihi hum pouco tandem dormire licebit?
Deixa-me, maldito, quid me trombeta fatigas?
Torneiram potius, totos quæ roubat agrados
Quare, per angustos te introducendo buracos.
Forsitan hanc circum gritando andare juvabit:
Hic, Mosquite, bibas: donec te vina rebentent,
Todoque cum totis morras fartado Diabis.

63. Hic, ut liquet, verba partim sunt Latina, partim Lusitana; nihil serium, ac grave, sed meri sales, facetiæque. 64. Hæc tamen, & similia Latinitatis candidato respuantur; quidquid enim mente evolverit, , vel per otium ludendo, Latinum redoleat. 65. Itaque, si aliquid a Lusitana lingua ad Latinum carmen velis usurpare, Lusitanorum Vatum leges imitaberis, de quo elegantissima exempla passim offendes; si vero velis similia conficere, leges tibi præscribam, & præcipua carminum genera breviter attingam. 66. Itaque in Lusitano metro, ut in reliquis, si Latinum, & Græcum excipias, duo attendes; syllabarum numerum, ac dictionum similem exitum. 67. Similis exitus vocatur: *Consoante*, requiritque, ut ex ultima vocali acuta, omnes literæ tum vocales, tum consonantes, sint similes; vel ipsa vocalis acuta sit in ultima syllaba, ut: *Amar*, *Estar*; vel in penultima, ut: *Amado*, *Estado*: vel in antepenultima, ut: *Collegio*, *Privilegio*. 68. *Versus heroici* 11. syllabis constant, ut: *Soneto*, *Oitava*, *Elegia*. 69. Cæteri 8. ut: *Decima*, *Quarteto*, *&c.* 70. Alii 7. constant, alii 5. sed his,

his, utpote minus usitatis, & ad musicam plerunque spectantibus supersedeo. 71. Ultima syllaba acuta, ut: *Sol*, *luzir*, *resplandeser*, *illustrar*, *senhor*, *estimaçaõ*, *&c.* Item diphthongi, ut: *Mais*, *pois*, *quereis*, *estimais*, *&c.* si sit in fine versus, duabus syllabis æquivalet; si non sit, unicæ tantum. 72. Sinalœphas admittit, quarum ad aliquas, si nimiæ sint, non attendit, sed raro: de hoc tamen ex professo non agimus. 73. Carmen quatuordecim versuum vulgo *Soneto*, in quatuor partes dividitur: quælibet ex primis 2. quatuor versus; ex ultimis, tres continet. Quælibet pars sensum absolvit. Primi 8. versus viam sternant argutiæ, quæ in fine emicet; primus, quartus, quintus, & octavus versus similes exitus habent. Item 2. 3. 6. & 7. In ultimis se variant Poetæ, aliquando 1. cum 4. secundus cum 5. tertius cum 6. respondent. Sæpius duo sunt exitus similes. Primus versus cum 3. & 5. & secundus cum 4. & 6. Inservit hoc carmen ad omnia, quæ Latino epigrammate pertractantur; licet enim divagari possint poemata per plures Oitavas, Decimas, Quartetos, &c. unico tamen Soneto concluduntur. Pro exemplo afferam celeberrimum illud ad Illust. ac Exc. D. Ducem Cadavalensem Parentis sui amantissimi postrema facta scribentem. Author est Illustr. ac Exc. D. Comes de Tarouca in hujusmodi metro nostri sæculi facile Princeps, qui Lyrico poemate dictionem: *Aquillo*, a Criticorum nota ingeniosissime vindicavit:

Heroe filho de Heroe, que em nobre estylo
Lhe expoens no mundo tanto illustre feito,
Levantando-lhe altares no respeito
Para ter contra o esquecimento asylo.
Panegyrista imitador d'aquillo
Honras o grande, igualas o perfeito;
Quem louva o Mestre, observa-lhe o preceito;
Venera-lo, he principio de segui-lo.
Se as acçoens lhe eternizas na lembrança,
Nas tuas lhe figuras a presença;
E he segundo elogio a semelhança:

Mas

Mas em Ti resplandeçe huma diffrença ;
Teu Pay deu-te as virtudes por herança ,
Tu faze-lo immortal por recompença .

74. *Oitava* constat octo versibus. Primus, 3. & 5. simimiliter desinunt; item secundus, quartus, & sextus, deinde 2. ultimi. Nota in Lusitanis carminibus omnes Ludos poeticos, quos in Latinis attingimus, elaborari posse. Hinc est, quod Sonetos diverso modo inveniuntur; nempe, ut, Lusitane loquar: *Simpleces*, *Dobrados*, *Terçados*, *Continuos*, *Encadeados*, *Retrogrados*, *&c.* Idem, sed rarius in Oitavas.

Exemplum Hispanice subjiciam in *Oitava repetida*.

Llorad, perversas almas, vuestra vida,
Vida, que muy mejor se dize muerte,
Muerte causando triste y dolorida,
Dolorida miseria, y dolor fuerte.
Fuertemente llorad vuestra caida
Caida por la flaca, y debil suerte:
Suerte, que desde Adam vien caiendo,
Caiendo de uno en otro, y descendiendo.

75. Vocantur Sonetos *Encadeados*, si quilibet versus subsequens eandem dictionem præcedentis non contineat, sed aliam ejusdem exitus. 76. *Terçados*, si primus versus 3. secundus 4. respondeat. 67. *Continuos*, si exitus ultimorum 6 versuum iidem sint, ac priorum octo. 78. *Retrogrados*, cum quilibet versus legi potest ab ultima dictione: *Humana, vil ceniza congelada*, *&c.* 79. *Acrosticho* multipliciter fieri potest; si non tantum in principio, sed etiam in medio carminis fiat, poterunt primæ divisiones similes exitus inter se habere, ita ut, seorsim legi possint. 80. *Elegia* constat tribus versibus: primus, & tertius similiter desinunt: secundus similiter desinit cum r, & ultimo sequentis terdarii. Ita Franciscus de Sà Miranda amico rescribit:

Esta branda Elegia esta tam vossa,
Quero dizer, de tanto preço, e tal,
Que vai fogindo ant' ella a nevoa grossa.

Bem

Bem vejo, que era empreza principal,
Esta, a que vinha, mas a dor recente
Tempo esperava, cura mais geral.
Quanto que aquella vea assim corrente, &c.

81. In *Sylva* quilibet versus similem exitum habet cum sequenti, ut perfecta evadat, conflari debet ex versibus alternatim permixtis, quorum primus 8 vel 7 secundus 11 syllabis constent:

Acudi-me ó Gram Musa,
Com vossa fraze clara, e naõ confusa,
Inspirai-me o burlesco
Estylo festival, estylo fresco, &c.

82, *Tetrasticon* vulgo: *Redondilha*, constat 4 versibus: primus, & ultimus similiter desinunt: item 2. & 3. etiam pluribus constare poterit, sed aliter nominari solet. 83. Poterit etiam primus cum 3. secundus cum 4. similiter desinere, quod potius dicitur: *Quarteto*. 84. Quod nomen commune est ad omnia carmina 4. versibus constantia. 85. Hic adverte *Quartetos* quocumque genere sine constare etiam posse versibus undecim syllabarum. Item in Romance, &c. 86. Si secundus cum 4. tantummodo consentiant dicitur: *Trova*, quod est facillimum compositionis genus: exemplum subjicio ad Christum natum:

Ad circumcisionem has redondilhas habes Hispanice elaboratas.

Nessas palhinhas deitado,
Vos contempla a devaçaõ;
Hum enleio dos sentidos,
A mesma contemplaçaõ.

Se as perolas tem preço,
E os mais finos coraes,
Que preço teraõ, Menino,
As lagrimas, q̃ vos chorais?

Alegro-me quando vejo
Esses dous soes, a chorar,
Pois para nosso remedio
Com serẽ dous, naõ tem par.

Naõ choreis pois ficais pobre,
Nos rubins, q. esperdiçais,
Mas chorai, ficareis rico
Dos coraçoẽs, q. robuais:

Se chorais porque o pranto
He de incendio desafogo,
Parai, pois estas correntes
Alentaõ mais esse fogo.

Saõ as lagrimas allivio,
Mas para vós saõ tormento;
Chorai pois, sereis de penas
O rico mais avarento.

Se chorais, por ſer Menino;
Naõ choreis, que a natureza
Dirá lhe pagais tributo
Natural, no que he fineza.
Mas chorai, que eſſas corrẽtes
Dando liberdade á vida,
Seraõ prizoẽs, com q. a morte
Se reconheça vencida.
Seraõ balas, mas de fogo
Deſsa mais ardente frágoa;
Que para dobrar os tiros
Multiplicaõ esferas de água
Prenderáõ, ſe cativarem
A mais doce liberdade;
Queimaráõ, ſe conſumirem
Os affectos da vontade.
Detiene hierro, tu furor,
Y tus corages embarga,
Que quien cõtra un Nin.o ſe arma,
De ſacredita el valor.
Si veſtir la ſangre Real
Del Nin.o has deſſeado,
No le pidas tan ayrado,
Lo que dá tan liberal.
Si por Nin.o te hizo ozado,
Por Nin.o Dios te acobarde,
Que es tan grã como ſu Padre,
Quien ves tan abreviado.
Mira q. ſy el Nin.o ſe hiere,
El, y ſu Madre peligra;
Y quien quedará con vida,
Sy la miſma vida muere.
Mira, que ſy es ſol el Nin.o,
Nube es ſu ſangre pura;
Y el ſol dentre eſpeçura,
Es mas para ſer timido.
Si tirar ſangre has querido,
Por ſer de amor calentura;
El herir mas es locura,
Al q. eſtá de amor herido.
Deſte mal a fuerça munere,
El fortiſſimo Sanſon,
Pues deſde el tiempo de Adon
Niguno curar ſe puede.
E porque todo lo diga,
Es la dolencia tam fiera,
Que a Dios ha hecho por tierra
Y le ha de quitar la vida.
Aora herir no es razon;
Pára hierro atrevido:
En la cruz te es concedido
Raſgar pecho, y coraçon.

87. Decima conſtat 10. verſibus primus 4. & 5. cohærent: ſecundus etiam cum 3. deinde 6. 7. & 10. necnon 8. & 9. 88. Dicitur *Mote* verſus ille, qui per aliquod carminum genus expenditur, & ultimo ponitur. Hoc frequentius viſitur in Decima. Exemplum erit extemporaneum carmen ad Chriſtum Crucifixum a Religioſo Vate elaboratum. Cujus Mote eſt vulgaris illa Trova, ſive Quarteto:

Saudades de contino
Todo o homem faz chorar.
Eu eſtou para me romper
Em pontos de me raſgar.

Oloſa.

Gloſſa.

Piedoſo Deos, já entendo
Das ſombras da minha culpa
Nem por ſombras ter diſculpa
A culpa, em que vos offêndo.
Já deſde aqui me arrependo,
Que como meu deſatino
Me te em cruel deſtino
Continuamente em peccado,
Sinto de vós apertado
Saudades de continuo.
Aſſim na minha deſgraça
Me dará voſsa memoria
Hunc longes da voſsa glória,
Huns pertos da voſsa graça.
E para que o diviſo faça
Quera, Senhor, lamentar
A ſem razaõ de peccar,
E aſſim chorai. ólhos meus,
Que offênder a hum homem Deus
Toto o homem faz chorar.

Mas ai, meu doce JESUS,
Que pouco tem de humano,
Quem com o odio tyranno
Vos tyrannizou neſta Cruz;
Já pois que eclipſada a luz
Nas voſsas maõs eſtou a ver
Cravos, que ſem vos temer,
Romperaõ com mil agravos;
Eu, meu Deos, cõ os meſmos (clavos
Eſtou para me rõper.
Neſte ponto ſucceſſivo
Fico, meu JESUS, abſorto,
Por vos ver neſsa Cruz morto
Sendo filho de Deos vivo!
Mas ſe o odio mais aĉtivo
Fez os penhaſcos quebrar;
O véo fez deſpedaçar,
E voſso peito raſgou;
Eu, meu Deos, tamben eſtou
Em pontos de me raſgar.

Celebre etiam eſt illud de D. Ignatio ſacrum locum inviſente ubi Chriſtus D. in cælum aſcendens veſtigia impreſſa reliquit in ſaxo. *Mote, Aquella pedra que lá. Gloſa.*

Sobe Ignacio ao monte, quando
Contempla eſtampas ſagradas,
Que amor deixou eſtampadas,
Quando ſe quiz hir, ficando.
Querſe ficar contemplando,

Manda lhe amor que ſe vá;
Cede, e quando ſe ve cá
Ai, diz, naõ ſei o que vi!
Quem me dera ver aqui
Aquela pedra, que lá.

89. Quintilhas conſtant 5. verſibus, quorum ſimiles exitus ita variantur, ut nec duo primi, nec duo ultimi, nec tres medici ſimiliter deſinant, &c.

Eſcrevem varios authores,
Qua junto da clara fonce
Do Ganges, os moradores
Vivem do cheiro das flores,
Que naſcem naquele mõte.

Hum Rey de grande poder
Com veneno foi creado,
Porque ſendo coſtumado,
Naõ lhe pudeſse empeçer,
Se depois lhe foſse dado.

90. Ita

90. Ita Gamonius; cujus tempore Decima nihil aliud erat, quam duplex Quintilha, quod jam abolevit. 91. Pulchrum est illud per interrogationem, quod vulgo dicitur *Epilogo*:

Que bebida usual ha? Chá
Ha outra, que lhe dê mate? Chocolate.
E faltando este; qual he? Café.
Muntos tomaõ Cachundé,
Mas se quizerem acertar,
Melhor lhes será tomar
Chá, Chocoláte, e Café.

92. Dicitur: *Consoantes forçades;* cum ultimas versuum dictiones assignamus, quod in re jocosa plerumque fit, v. gr.

Frasco, Fresco, Refresco, Casco, &c.
Talvez se empinaria hum grande frasco
De vinho mui suave, e muito fresco;
Quando tivemos aquelle bom refresco,
Que nos alegrou muito bem o casco, &c.

93. Sub nomine: *Coplas* tot sunt versuum genera, ut vix in numerum reduci queant. Quatuor, & plus versus admittit; quæ 6. syllabis constant, minoris mensuræ esse dicuntur. Vocantur *de Arte mayor*: illæ, quarum quilibet versus duas mensuras minores habet. Quælibet in fine sensum absolvit. Argumentum dabit Bidermanus, ex quo 4. *coplas oitavadas de arte mayor* pro exemplo afferimus:

Tollit onus silicis dextra indignante colonus:
In vernile caput vis quod herilis agat.
Sed fractum ut silicem servi frons dura recepit,
In sua desiliit frusta minuta silex;
Nec censere tamen vernilia tempora vulnus,
Sed magis est visus fronte dolere lapis;
Pars etiam domini signavit vulnere frontem,
Et dubitans servum lædere, læsit herum:
Quid scutum timidi, galeamque ostendimus hosti?
Pro galea, & scuto verna habet iste cutem.

Ad

Ad idem jocose:

Hum Senhor ao Escravo castigar queria,
O qual era de corpo, e condiçaõ duro,
Péga de huma pedra, que serve de muro,
Atirou-lhe, cuidando, que mossa faria;
Mas a pedra sentindo, que lhe resistia,
Voltou para traz naõ achando lá furo,
E o Senhor, que naõ tinha carta de seguro,
Sentio que a pedra reposta trazia.
Tal escravo, que desta naõ se quiz render,
Mostrou desta vez, que era bem cabeçudo,
Mais que hum Filisteo, nem menos taludo,
Desprezando a tiro de pedra ceder.
O Senhor, que quiz dar, tórna a receber,
Nada quiz o Escravo, tornando-lhe tudo,
Mas la chora hum gólpe na testa chorudo,
Quem no tiro quiz alvo do negro fazer.
Cousas ha, que em fim vem a dar na cabeça,
E ha fracaços, em que homem naõ pecca de fraco,
Torna a pedra, que lá naõ fizera buraco,
Busca a porta, e bate-lhe á testa depressa;
Teve o Amo certeza logo da remeça,
Abismado da volta da pedra, e hum naco
Em final da repulsa, abismando-lhe o caco
Se retira do tiro, e préga-lhe a peça.
A pobrinha da pedra, que vinha quebrada,
Communica a quem lá a mandou o sentimento;
Fazendo reflexaõ para ir mais attento,
Nem obrar as cousas assim de pancada;
Deixou-lhe esta peder a cabeça amolada,
Para ter mais agudo já o entendimento:
Naõ lhe vindo a cabeça, nem por pensamento
Dar com seu juizo outra cabeçada.
E fique avizado, Ser experimentado
Quem destas receia, Em cabeça alhea.

Romance est carmen tetrastrophos strophis constans, sive quartetos, in quibus nullus est similis exitus, vulgo *Consoan-*

soante, sed quasi similis, quem vocamus: *Assoante*, sive *Toante*. Ita ut, in 1. cum 3. versu nulla sit consonantia. In 2. cum 4. illa tantummodo affinitas, quæ ex iisdem duabus vocalibus ultimis oritur. Dicitur: *Toante* de A, A. *Esperança*, *Humana*. De E, O. *Quero*, *Peço*. Etiam dicitur *toante*, si in unica tantum vocali inveniatur, dummodo sit acuta, v.g. *Mal*, *Mar*, *Má*. Eademmet *toante*, qua in 1. quarteto uteris, per totum romance continuari debet. Ad Puerum JESUM.

Doce amparo da minha alma,
Algema de minhas vistas,
Suspençaõ de meus cuidados,
De amores branda conquista.
Menino tenro, e formoso,
Alvo de minhas caricias,
Caricias de meus affectos,
Affectos de minha vida.
Quem vos tem, meu, nesse frio,
Quem vos tẽ nessas palhinhas,
Feito centro de inclemencias,
Argumento de desditas.
Encolhei, meu pequenino,
Essas atrosas maõsinhas,
Que naõ he bẽ, q. mais regele
A neve taõ peregina.
Queridinho de meus ólhos,
Que linda he vossa gracinha,
Mál empregada em rochedos,
Com pastores bem perdida.

Præcedens romance habet *toantes* ex I, & A. In sequenti Hispanico, tantummodo fit ex A.

Qien dixo q. matan penas,
Poco le cuesta el penar,
Porque las penas dan vida
Aquien supo sentir mas.
El mayor mal de la pena
Consiste en mucho durar
Pero las penas, que matan,
Mas son remedio; que mal.
Morir de puro tormento,
Es un tormonto mortal;
Ma padecer sin morir,
Es morir sin acabar.
Poca pena es una muerte,
Mucha muerte es un penar;
Que solo dexa la vida,
Para mas, y mas la quitar.
Assi es el Nin.o Dios,
Que tiene gusto en llorar;
Pues en nasciendo, principio
A su muerte quiere dar.
Su vida todo es morir,
Su muerte todo es penar;
Que vida, que toda es muerte,
Renasce del mismo mal.

95. Aliquando Quarti versus 7. aut 11. syllabis constant. De his tamen, ac mille alia fusius pertractari non licet, ne diutius ab instituto discedam. 96. Hæc tantummodo deliberavimus, ut præscriptas leges in Latino carmine servare

vare possis ludi causa, ut videre est in Octava Fr. Joannis Felix Epig. 91. Angelica de Lope, Est 14. cant. 20. Item in Senecæ Tragœdiis a Thoma Farnabio notis illustratis legitur Soneto ab Hugone Hollandio in ludem Farnabii. In Lusitanorum Vatum scriptis plurima sunt exempla. Aliud apponam de vultu cordis indice:

Ut te videam loquere; sic fertur
Quendam dixisse, tamen non negamus,
Quod aptius; si sensus consulamus,
Per vultum, quam per verba cor videtur.
In inflato superbia exhibetur,
In torvo feritatem conspectamus;
Affirmat vultus, negat, & notamus
Ex facie, an cor doleat, an lætetur.
Sæpe verbis mendacia involvuntur,
Sed in ore habes animi conspectum;
Nec frons, oculi, vultus mentiuntur.
Pectus in vultu cernimus detectum,
Index oculi, quo sensa leguntur,
Fronsque speculum cordis est perfectum.

97. Hoc tamen si Lusitano simul, ac Latino idiomate conficeres, eximium opus esset, ut habes in laudem Serenissimæ Brigantiæ Domus:

Suspende, Iberia indigna, injurias tantas,
Quantas procuras fera ruinosas,
Contra innocentes gentes tam famosas,
Contra Quinas tam celebres, tam sanctas.
Deplora exequias tu, que glorias cantas,
Confessa, exalta historias gloriosas
Tu, que pompas acclamas tam ventosas,
Clamando adora Lusitanas plantas.
Vive tu Pheniz, clara Brigantina,
Que tam gloriosamente resuscitas
Tantas casas extinctas, tantas famas.
Quando de sepultura peregrina

Patrias reliquias amorosa excitas
Amando animas, animando inflammas.

Consule Artem Poeticam Philippi Nunez pag. 19. ubi invenies soneto Hispanico-Latinum: *Furia, que sanctas manas innocentes*. Etiam in Arte Poetica Hispanica alium invenies in D. Eulaliæ laudem 98. Rogabis: utrum sonulus hendecasyllabus, sive soneto triplici idiomate construi possit? Do exemplum in sequenti, qui Catalanice, Hispanice, ac Latine sonat:

Sol de Aquino, de esphera peregrina,
Heroica, excelsa, clara, prodigiosa.
Gloria de Italia, Gracia mysteriosa,
Arca de sciencia, fama de doctrina.
Cathedras de infinita disciplina,
Academias de sapientia gloriosa,
Methodos de obediencia religiosa,
Tronos fundas de sacra medicina.
Si declaras sententias tan profundas,
Si tu frequentas cytharas Phœbeas,
Si Apollineas cantas circumstancias.
Amplifica, Thomas, venas fecundas,
Administra poeticas Ideas,
Metricas representa consonancias.

In Beat. Virg. laudem plures hujusmodi tum decimas, tum sonetos dabimus in certamine. (*a*)

99. Lu-

(a) *Hæc ea occasione concinnata nunc adjiciemus:*
Ad B. V. Soneto Lusitanum & Latinum.

Deipara Divina, que gloriosa
Comunicas favores eminentes
Contra humanas miserias inclementes,
De tam Sacra abundantia generosa.
Dirige meos discursos portentosa,
Concedendo clementias excelentes,
Quando tantos influssus eminentes

Pron-

99. Luditur etiam eleganter, si vernaculo simul, & latino sermone poema conficiamus. Ita amicus amico suo, ut Lusitanæ linguæ præstantiam comprobaret propter affinitatem cum Latina, poema mittit in ludem D. Ursulæ cum Epistola, quæ ita exordiebatur:

De

Prontamente dispensas grandiosa.
De tam sublime Olimpo adversarios
Separa excessos, removendo indignos
Imprudentes affectustemerarios.
Defende me per modos peregrinos.
Domando meos furores tam nefarios,
Influssus dispendendo tam Divinos.

Aliud.

Satrossanta Deipara, propicias
Influentias permitte, quando humanas
Angustias represento tam tiranas,
Contra tam varias miseras nequicias.
Se exterminas veneficas malicias,
Indignas culpas removendo insanas,
Extingue negligentias tam profanas,
Comunicando Angelicas dilicias.
Tantas resolve timidas discordias,
Inspirando celestes providencias,
Devotos zelos placidas concordias.
Quando tuas concedes indulgencias,
Dispensando suaves misericordias,
Deformas insolentes consciencias.

Aliud.

Inclita Fenis, Rosa peregrina,
Piamente beneficos favores,
Perpetuas glorias, inclitos fulgores
Concede grata, manifesta digna.
Pues es Senora-tan grata e bella,
Che excedes la mas-Hermosa estrella.

De quem, Senhor, honraſtes tantas vezes,
Aceitai eſtes verſos peregrinos,
Que lidos em Latim, ſeraõ Latinos,
Lidos em Portuguez, ſaõ Portuguezes, &c.

De-

Tuas altas Clementias alta inclina
Attendendo miſerrimos clamores,
Quando oſtentas puriſſimos candores,
Glorioſa lus, Aurora matutina.
Aurora que el ſol-Trahes contigo,
Yâ che didota-Tienes tal bijo.
De tam benefico auxilio relevantes
Clementias ſolicito contra urgentes
Humanas inſolencias repugnantes.
Vas ſoy Sen.ora - Del mundo pas,
Pura creatura - Ninguna eſt mas.
Reforma meos diſcurſos negligentes,
Diſpendendo ſplendores abundantes,
Comunicando influxos excellentes.
Vueſtro favor - Vueſtra bondad.
Me hara felix - La eternidad.
Hi verſiculi Hiſpani fuerunt interpoſiti ludi gratia.

Decima.

Sacra Imperatrix, Clementes
Concede influentias varias
Contra tantas adverſarias
Calunias impertinentes.
Si domas linguas pungentes
Favores dando tam raros,
Confunde zoilos avaros,
Quando dedico tam dignos
Ante tuas aras Hymnos
Devotamente preclaros.

Alia.

Deipara peregrina
Trites moleſtias ſuſpende;
Tantos clamores attende
Celeſtemente Divina.
Tuas clementias inclina
Contra mundanas dementias
Manifeſtando influentias
De tam ſublime trono, dando
Propicias fortuna, quando
Imploro tuas clementias.

Deinde poema Heroicum.

Canto tuas palmas, illustres canto triumphos,
Ursula, divinos, Martyr, concede favores:
Tu fortes infunde animos, generosa triumphas
Indomitas furias, horrendos quando tyrannos.
Sancta, tuas palmas celebrando, Martyr, honestas,
Perpetuos annos, purissima, vive, triumpha, &c.

100. En aliud Elegiaco metro ad Romam:

Roma, infinitos annos sanctissima vive,
Pacificas gentes conciliando tuas.
Castiga indomitos, fortissima Roma, Tyrannos;
Horrendos animos, tu generosa, doma:
Acquire illustres. Turca de gente triumphos;
Distantes terras imperiosa rege.
Tanto majores palmas, Roma alta, celebra,
Quanto Othomano major es imperio.

101. Id ipsum invenies soluta oratione, ut: *O quam excellentes glorias manifestas, ponderando quanto vales, nobilissima lingua Lusitana, tu es tam selecta, o lingua patria, quam profunda tua Rhetorica, quam ponderosa tua eloquentia; quantas causas exactamente declaras, quantos modos elegantissimos inculcas, tanto de metrica harmonia, quanto de prosa axcellente, explicando elegantemente phrases Latinas selectissimas, titulos honorificos, periodos singulares. O quam sollicita de tua gente famosa, constante, generosa procuras, exaltas, & manifestas celeberrimas victorias, excellentes palmas, triumphos gloriosos contra tyrannos horrendos, contra gentes barbaras indomitas. Vive annos infinitos, Lingua bella, conserva-te pura celebrando de tua excelsa Patria perpetuas glorias, memorias sempiternas, &c.* 102. Pro colophone orationem habe Hispanico-latinam, ad Beatiss. V. Mariam.

Maria Sanctissima, gloriosissima, piissima, felicissima: Tu, que tantas misericordias exercitas, que tantas consolaciones dás, que tantos favores comunicas, que tantas gracias de JESU Cristo impetras; Tu, que infinitas afflictiones evitas, que tantos malos reconcilias, animas, reperas, sustenen-

ſtentas, armas; reconcilia-me, anima-me, repara-me, ſuſtenta me, arma-me contra tentaciones diabolicas, inclinaciones carnales, affectiones mundanas; tu, que crias puriſſimos ſpiritus, catholicos perfectos, victorioſos Martyres, devotos Confeſſores, caſtas Virgines; guſtando muſicas Angelicas, vozes Divinas, canciones ſuaves, melodias dulces, cantores ſanctos, recrea-me accipiendo mis oraciones indevotas. Tu, que viſitas animas juſtas, que inflammas conſciencias imperfectas, que refrenas paſſiones varias, que reformas perſonas inquietas; ſupplico te, que me reformes, me inflammes, me refrenes; lavando-me de culpa, ornando-me de gracia, perſervando-me de pena, coronando-me de glória: Amen.

103. Affinitatem etiam habent cum Luſitanis verſus leonini, propter ſimilem exitum in cæſura ſemiquinaria, ac in fine verſus. Extat celeberrimum poema in morte Martini Luteri, opus vere egregium, quod ita incipit:

Nox erat, & nigras agitabat Luna quadrigas
Per tenebras atrum fulvo temone theatrum,
Cum ruit e cælis volitantibus æmula telis
Ultio cæleſtis, ſcelerum quæ conſcia teſtis, &c.

104. Dende metro Sapphico:

Ille perverſi populi ruina
Æſtuet ſæva ſtygis in ſodina;
Et nimis ſero ſua damna plorat,
Sulphure rorat.
Nunc jo, læto pede ſaltat orcus,
Ivit in nigra ſtygis antra porcus.
Factus eſt Orci celebris vaſſalus
Iſte caballus.

105. Sic Religioſus de ſe ipſo diſticho leonino:

Per triplex votum Chriſto me conſecro totum;
Non poſſum eſſe Dei, ſiquid habebo mei.

Quidam etiam de ſe ipſo non illepide:

In cratere meo Thetis eſt conjuncta Lyæo;
Eſt Dea juncta Deo, ſed Dea major eo.

Reſpondit alter: *Numina confundis, cum Bacchum diluis undis:*
Impermiſta colo, cum ſine fonte volo.

Lu-

LUDUS IV.

Aliquorum Hexametrorum nomina.

Utrum *Heroici carminis gravitati puerilis collusio repugnet?*

106. VErsus dicitur *Sonorus* qui majestate pollet heroica, ut: *Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem Immeritam visum Superis, &c.* 107. *Vocalis*, qui remissiorem habet sonum: *Furor impius intus Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis*. 108. *Tumidus* e contrario crassioribus constat vocalibus: *Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti*. 109. *Teres* est, cujus pedes terminantur in medio dictionum, ut sæpe in Virg. *Multa gemens, casuque animum concussus amici*. 110. *Injugis* illi oppositus est, qui vocatur etiam *insulsus*, & *ineptus*: *Nobis dulcia carmina, Nobis dulcia vina*; vel: *Nos Præceptor doctus jussit scribere versus*. 111. *Confragosus* aspero sonat literarum nexu: *Belli ferratos rupit Saturnia postes*. 112. *Streperus* molliorem habet sonum, nec autibus ingratum: *At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit*. 113. *Procelius* in medio syllaba abundat: *Inter se coiisse viros, & decernere ferro*. 114. *Delumbis*, vel *excaudatus* jambo in fine pro spondeo deturbatur: *Mortem contemnunt, laudato funere, Getæ*. 115. *Spondaicus*, in quo quintus pes spondeus est. 116. *Dactilicus*, qui omnes pedes habet dactilos, quod aliquando ludus causa invenitur: *Sydera pallida diffugiunt, face territa luminis*. 117. *Sapphicus* dicitur, qui initio, ac fine spondeos habet, cæteros dactilos: *Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt*. 110. *Bucolicus*, qui passim bucolicis intermiscetur, dicitur, qui dictionem interam sortitur in 4. pede. *Nos Patriæ fines nos dulcia linquimus arva*. Etiam si quartus pes spondeo finiatur hoc modo: *Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine*

 fagi.

fagi. Verum Bucolicus dicitur plerunque, qui cesuram habet bucolicam: sic *Semiquinarius*, *Throcaicus*, *&c.* ut videre est in Institutione Grammatica P. Emman. Alv. 12. *Simplex*, & *illaboratus* solutæ orationi similis videtur, omni nudus artificio: *Dic mihi*, *Damœta*, *cujum pecus*, *an Melibœi?* 121. *Distinctus* est, qui totum divisim explicat, ut: *Iphitus*, *&*. *Pelias mecum*, *quorum Iphitus ævo jam senior*, *Pelias at vulnere tardus Ulissi*. Verum hoc ad Prolepsin attinet, sicut per reliquas Rhetorices figuras poterunt diversas formas versus induere. 122. *Interpositi* versus sunt, qui salvo sensu tolli possunt, ut *Epiphonemata*: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*. 123. *Intercalares* sunt, qui, interpositis aliis, sæpe repetuntur: *Incipe Mænalios mecum*, *mea tibia*, *cantus*.

L U D U S V.

Jocosiora versuum genera.

Quid Theseo gloriosius: Labyrinthum, an Minotaurum superare?

124. IMprobus in his labor impenditur; laus colligitur exigua. Versus *Scalares*, seu fistulares sunt, qui syllabatim crescunt:

Si cupis ornari virtutibus, Heliodore,
Aut: *Restauraveritis Relligionicolæ*.

125. Ut in his semper syllabæ crescunt, sic in aliis decrescunt:

Vectigalibus armamenta referre jubet Rex.

126. *Correlativi* sunt, in quibus singula verba prioris versus singulis verbis inferioris correspondent:

Princeps, *nauclerus*, *pastor*, *rego*, *navigo*, *pasco*
Plebem, *pontum*, *agnos*, *milite*, *lintre*, *cibis*.

Simile est illud in morte amici Epitaphium:

Sculptor, *amans*, *vates*, *insculpo*, *defleo*, *canto*
Vitam, *fata*, *decus*, *marmore*, *rore*, *modis*.

Quæ

Quæ ſequuntur diſticha primum Virgilio, ſecundum Ciceroni tribuuntur:

Paſtor, arator, eques, pavi, colui, ſuperavi
Capra, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.
Defendi, tenui, vetui, face, cæde, cruore
Civis, Dux, Conſul, tecta, lares, Latinum.

Etiam illud de D. Chriſtophoro huc annecte:

Deſerui, geſſi, docui, ſubiique, coloque
Perfidiam, Chriſtum, ſydera, fata, polum.

Camonius Soneto 23. Sic etiam concludit.

Mais orna, honra, coroa, inſpira, exalta,
Que Atlante, Homero, Orpheo, Cæſar, Alcides,
Esforço, engenho, amor, fortuna, fama.

127. Huc reducuntur verſus, qui ſolis nominibus, verbis, ſeu adverbiis conſtant. Lope cant. 17. Ang. Eſt. 9. octava ſolis verbis conſtat.

Parten, pican, galopan, ſiguen, cruſan,
Entran, ſalen, eſperan, huyen, paran,
Acometen, eſtan, &c.

128. *Concordantes* ſunt, qui voces habent utriuſque verſus ſententiæ inſervientes:

Si canis ... *ſtabuletur*, ... *ſervat;*
... *in caulis* ... *ovilia*
Si lupus ... *lanitarit*, ... *vaſtat.*
... *capit ambroſiam* ... *capit* ... *ſalutem;*
Qui ... *Chriſti*, ... *ille*
... *caret ambroſia* ... *caret* ... *ſalute*

129. *Poliſyllabici*, qui grandibus conſlant dictionibus:

Collacrymabantur Conſtantinopolitani
Innumerabilibus ſolicitudinibus.

130. *Oratorii* in quibus 8. partes orationis complectuntur:

Quo ruis heu! Frater, ſine me; ſperniſque monentem?

131. *Alphabetares*, qui omnes literas Alphabeti continent.

Duc Zephyre, exurgens currum cum flatibus æquor.

132. Huc reducuntur carmina, in quibus deeſt aliqua litera

tera ex vocalibus, vel aliqua tantum visitur. Extat celebre illud poema sine litera R a quolibet adolescente recitando, ne blæsus (et erat in exprimendo R) videretur:

Quid fugis augusto spectanda palatia luxu? &c.

133. *Hiulcus* dicitur versus, qui nimiis hiat synalœphis, ut distichum 17 illisionum cujusdam amantis JESUM:

Tu ille ipse es, quem ego amo itimo amore, iterum, & me adama, oro. Ad te ego anhelo, inde hæc sunt metra hiulca adeo.

134. *Prothei* dicuntur, qui mutato verborum ordine, carminis leges servant, v. g. ille versus P. Bernardi Bauhusii, quem *Protheum Parthenium* appellat:

Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sydera cælo.
Sydera quot cælo, Virgo, tot sunt tibi dotes.
Quot sunt cælo sydera, dotes, Virgo, tibi tot.

Hoc modo plusquam 1200 formas induere poterit. Liber Taumata pietatis typis excussa Antuerpiæ ex hoc versu supra mille formavit. Laudatur a P Drexelio hoc obsequium B. Virgini consecratum tom. 1. de cultu cælitum lib. 2. cap. 4. §. 1. P. Prestet. in 2. editione Elem. Mathem. tom. 1. lib. 5. Probl. 10. prædictum versum in *3276* variavit. Subsequens vero in 3618800 salvo sensu, & carminis lege mutari potest:

Rex, Dux, Sol, Lex, Lux, Fons, Spes, Pax, Mons, Petra, Christus.

135. *Retrogradi*, *Recurrentes*, seu *Reciproci* fiunt, cum ab ultima ad primam literam recurrens idem carmen efficies, ut in ludo de anagrammate diximus. Aliquando per verba tantum fit retrogradatio:

Multa tibi prædo nectens est perfidus hospes.
Hospes perfidus est nectens prædo tibi multa.

136. Vel si in pentametrum convertatur Hexametrum:

Agros Aprilis pingit, concepit ut imbrem.
Imbrem ut concepit, pingit Aprilis agros.

Abeli dicenti: *Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo;*
Respondit Caimus: *Sacrificabo macrũ, nec dabo pingue Sacrũ.*
Item *Atrox Hebræus semper contempsit JESUM, &c.*

137. Vel pentametra ex pentametro inversis dictionibus:

Au-

Ausoniæ decus, & lux pia Romulidum.

138. Interdum ex transpositione oritur aliud carminis genus, v. g. ex pent. jambus:

Omnia latranti saxa perosa cani.
Cani perosa saxa latranti omnia.

139. Quod etiam potest fieri, si verba permisceantur, v.g.

Euge, decus Patriæ, Rex inclytus, euge, Joannes.
Decus Joannes Patriæ, Rex inclytus: Euge.
Posteritas equidem præco perennis erit.
Perennis equidem præco posteritas erit.
Præmia compensant tua præmia larga labores.
Præmia labores larga compensant tua.
Præmia solicito digna labore peti.
Præmia labore digna solicito peti.

140. Aliquando novum distichum conficies dictione a fine relegendo, & oppositum plerunque sonat:

Impietas placet his fallax, non crimina vitant,
Subdola mens illis, haud sequor Hæreticos.
Deficiet cito jam consumptum tempore flumen,
Tramite decurrit quod modo præcipiti.
Laus tua, non tua fraus; virtus, non copia rerum
Scandere te faciunt hoc decus eximium.
Prospicitur modo, quod durabunt tempore longo
Fœdera, nec patria pax cito diffugiet.

141. Hæc solent plerunque accommodari, cum res ironice asserimus, ut verum sensum præposterus verborum ordo exhibeat. 142. Idem fiet in aliquo certamine, v. g. *Furor Medeam ad filiorum necem incitat, Amor dissuadet:*

Furor. *Sævities fera non pietas, at vindicis ira*
Excitet, haud parces nunc bene filiolis.

Amor eisdem verbis mutatis oppositum monet:

Filiolis bene nunc parces, haud excitet ira
Vindicis, at pietas, non fera sævities.

Furor. *Diliciæ tibi sunt nati; sunt dulcia Matris*
Viscera, sed Patris sunt mala progenies, &c.

Sic excurrere non illepide poema poterit. 143. Etiam pentametrum conficitur ex Hexametro hoc modo:

Cal-

Calliope mea, sis nostris in versibus, oro,
Versibus in nostris sis, mea Calliope.
Carminibus modo Tu nostris dux esto precamur;
Esto dux nostris Tu modo carminibus

Item *Pieridum juga percurro, te præside, tutus.*
Te duce, propitium fulgebit sydus eunti.
Reprime desidiam, melos ipsa infunde sonorum;
Auxilium precor hoc, adsis, Virgo inclyta vati.

144. Etiam soluta oratione hoc modo ludimus, ut enc, mium illud de Lusitanis: *Lusitani semper fideles in facto & re suis Regibus fuerunt: militari virtute valent, neque jus violant; scientiis incumbunt, non otio se tradunt, tuentur fidos per officia, &c.* Quod a fine ita releges: *Officia perfidos tuentur, tradunt se otio, non incumbunt scientiis, violant jus, neque valent virtute militari; fuerunt Regibus suis re, & facto semper infideles Lusitani.* 145. Huc spectant voces ambiguæ, in quibus, si puncta, & virgulas mutaveris, variabitur sensus, ut: Amicus amico salutem: *Ut petieras a me nuper, de Chrispi moribus te moneo. Mihi, & amicis tuis charus est; nunquam repertus est in popinis, assidue libris, & studiis operam dedit; nullis se ganeonibus applicat. Plurimis est charus; inimicis tuis odiosus; bonis placere studiis; malis nunquam, a puero bene audivit, &c.* Sic sensum variabis: *Mihi, & amicis tuis charus est nunquam; repertus est in popinis assidue; libris, & studiis operam dedit nullis, se ganeonibus applicat plurimis; est charus inimicis tuis; odiosus bonis; placere studuit malis, nunquam a puero bene audivit, &c.* 146. Versus *Monosyllabici* sunt, qui monosyllabis constant, ut:

Si mi lis lex est, en pax, quid sit sub id, aut quo?

Item *dissyllabici*, qui dictionibus dissyllabis; in hoc tamen nihil leporis invenitur. 147. Cum lepore tamen ludes, si versus omnes monosyllabo clauseris, qui *monosyllabici* etiam vocantur ab Ausonio, ut de vere:

Annus ab exortu cum floriferum referat ver,
Cuncta vigent, nemus omne vires, nitet auricomus rus,
Et fusura umbras radicitus erigitur stips,

Non

Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix,
Florum spirat honos, Libani seu montis honor, thus, &c,

148. Vel per interrogationem, ut:

Quis subit in pœnam capitali judicio? Vas.
Quis cum lis fuerit nummaria, quis dabitur? Præs.

149. Sed jocosius, si subsequens carmen ultima præcedentis dictione inchoet:

Res hominum fragiles alit, & regit, & perimit sors,
Sors dubia, æternumque laborans, quam blanda fovet spes,
Spes nullo finita ævo, cui terminus est mors,
Mors avida, &c.

150. Huc reduci potest ludus carminum, seu collusio, quo scholares exercendæ memoriæ causa recreantur. Fit etenim, quando alternatim repetunt versus ex Virgilio, aliove Poeta ea lege, ut unus eadem litera inchoetur, qua præcedens desiit: *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena: Arma, virumque cano, &c.* 151. Quod jucundissimum Musis erit, si facilis Minervæ, alacrisque ingenii juvenes carminibus ludant proprio Marte confectis, ita ut non tantum extremis literis, sed sensu etiam continuentur. 152. *Cento* vel *centones* sunt versus, qui constant ex versibus aliorum Authorum, v. g. Æneid. 1.

*Arma, virumque cano * quo non præstantior alter.*

Æn. 8. Celebris est cento Nuptialis Ausonii, quem unica nocte ex Virgilianis versibus conflavit. Extat etiam volumen de vita, & passione Christi ex Metamorphoseos Ovidii versibus deducta, ita ut principium cujusque versus ab uno, finis ab alio ex Ovidianis confletur. Andreas Nunez soneto ex Camonii versibus construxit hoc modo:

Fas contra Lusitania vir castella, Cant.4.Est.6.
O filho de Philippe nesta parte. Cant.1.Est.75.
Ferveado-lhe no peito o duro Marte Cant.3.Est.30.
Das soberbas, e varias gentes della, &c. Can.4.Est.57.

Aliud habes ad Christum natum.

Onde Deos foi em carne ao mundo dado, C.4. oct.87. v.4.
Entrava a formosissima Maria, C.3.oct.102.v.1.
Por receber com festas, e alegria C.1. oct.59. v.7.

Hum

Hum filho seu de todos estimado : C.3.oct.90.v.3.
Meyo caminho a noite tinha andado , C.2.oct.60.v.1.
Com elle posta em campo ja se via C.3.oct.31.v.5.
Fiel , alegre , e doce companhia, C.1.oct.96.v.4.
Em quem o Pay deixava o seu traslado. C.3.oct.28.v.6.
De crystal toda , e de ouro puro , e fino , C.9.oct.87.v.4.
Como em crystal , ou rigido diamãte, C.6.oct.61.v.4.
Do rostro respirava hum ar divino . C.1.oct.22.v.5.
Comsigo traz o filho bello Infante , C.6.oct.23.v.3.
C'um resplandor reluze adamantino , C.2.oct.95.v.5.
Que assim se mostra claro e radiante C.6.oct.9.v. 8.

Proba Falconia, uxor Anicii Probi consulis, qui floruit anno 430. vitam Christi mire scripsit ex Virgilii versibus, quos *Virgilio-centones* appellavit. Illos invenies in tom. 4. Biblioth. Patrum fol. 1061. Idem Eudoxiam Theodosii Imperatoris uxorem ex Homeri versibus confecisse legimus. 153. *Monosticha* dicuntur carmina, in quibus unumquodque sensum absolvit, aliis tamen connectitur, ut in Lutherum:

Numquid differere, aut judicare? Num de modestia Thrasonē?
Par est de nitido colore cacū? De lingua moderatione scurrā?
De symphoniaco tenore surdū? Num de cælibe purita te scortū?
Nū de Relligione Lucianū? Num de sobrietate Grastimargū?

Sic de Ruppellæ deditione quidam lusit per Antitheton:

Quæ non posse capi Ruppella est credita, capta est.
Vivit capta tamen, vita est clementia Regis.
Captæ arces sternit, paci totidem erigit arces, &c.

Monostichis utuntur, qui diversa argumenta v. g. Regum ordinem, temporum eventus, &c. separatis carminibus includunt. Monosticha Virgiliana de Musarum officio invenies in Gradu ad Parnassum, v. Musæ. 154. *Pentachrostici* sunt, cum dictiones primi versus incipiunt a prima litera rei propositæ, dict. secundi a sec. & sic de cæt. ut sol:

Sol se sydereos super
Orbes omnibus ocyor
Lustrato Latio locat.

Sic in Laurentii cujusdam Laudibus:

Li-

Lilia, Laurenti, longo libata labore
Accipis, Aoniis additus ardor aquis.
Vicisti varios vernanti vertice Vates
Rupe regens rigida relligione rudes, &c.

Sic Martinus Lutherus encomiasticis epitethis laudatur:

Magnicrepus, Mendax, Morosus, Morio, Monstrum,
Ambitiosus, Atrox, Astutus, Apostata, Agaso,
Ridiculus, Reprobus, Rabiosus, Rabula, Raptor,
Tabificus, Tumidus, Tenebrosus, Transfuga, Turpis,
Impius, Inconstans, Impostor, Iniquus, Ineptus, &c.

P. Hugobaldus Eclogam ad Calvos 142. versibus conflavit, in quibus omnes dictiones litera C inchoantur:

Carmina clarisonæ calvis cantare Camœnæ
Comere condignor, &c.

Leges similia in Ludovico Groto. D. Franciscus de Quevedo Musa 45. Soneto 4. omnes dictiones A litera inchoat:

Antes alegre andava, aora apenas
Alcanço allivio, ardiendo aprisionado,
Armas a Artandra aumento acobardado,
Ayre abraço, agua aprieto, applico arenas, &c.

155. Potest etiam ex primis dictionum literis aliquid colligi. Kemp. De D. Clara: *Castitatis lilium amabat Redemptoris amore*. Idem de D. Agneta, & Cicilia, &c. Falconius lib. 1. Ep. 10.

Principis Henrici jurabat læta juventus
Profligare polum vociferante sono.
Audivi, veni, superavi, tollo recentem
Inde Aram, Authorem nobile narrat opus.

Cujus epigrammatis primæ literæ constant hæc nomina: *Philippus Austriano*. Item ænigma de ebrietate:

Si jungatur Equo Briareus, Rana Ibis, Echinus,
Taurus, Aper, Satyrus; quid fieri inde putes?

In Bibliot. Patrum tom. 1. pag. 208. Leguntur *versus Acrostichi* Sibillæ Eritreæ, quorum primæ literæ hæc verba conficiunt: *JESUS Christus Dei Filius Servator*. Reperies etiam in Plauti comœdiis argumenta acrosticha. Item in aliquibus Psalmorum David, & in Threnis Jeremiæ. Ubi se-

ſequitur Alfabeti ordinem. Corbinianus Benedictinus Divorum laudes recenſet, quorum nomina acroſticho verſu leguntur. 156. *Acroſtichis* fit quoties e ſingulis alicujus vocis literis ſeriatim verſus incipiunt, ut:

I *lle, Sacrum cujus legis hoc in carmine nomen,*
E *virginis caſtæ ſinu*
S *ervator mundo poſtquam productus in orbem,*
U *t omnibus vitam daret,*
S *e, moriens, totum indulſit mortalibus ægris.*

Sic omnium Sanctorum laudes per acroſtichidem expendit pius, ac ingenioſus Vates ex illis carminibus:

Vivite felices, quibus eſt fortuna parata
Jam ſua, nos alia ex aliis in fata vocamur.

V *ivite felices, quibus eſt fortuna parata*
I *am ſua; ſecuram cæleſtes ducite vitam,*
V *alles Eliſias læti, portuſque beatos*
I *ncolite, æternis eja indulgete choreis.*
T *ellure optata tandem, portuque potiti*
E *repti ex undis pelagi, ridete furentes*
F *luctus, &c.*

157. Aliquando duo, vel 3 ordines dictionum leges, ut *Franciſcus Harlæus*, ſi duas literas demas, Anagr. *Vera Salus Francis.*

V *ox populi tibi Sacra*	F *avet tibi Principis ora;*
E *t Cleri votum,*	R *omaque ſancta favet.*
R *othomagus ſibi gaudet,*	A *mat ſubſtare Nepotem,*
A *d patrui titulos*	N *euſtriacosque lares, &c.*

158. Aliquando etiam geminatur *Acroſtichis*, ita ut eadem ſit prima litera, ac ultima, & nonnunquam ſit etiam media, ſeu juxta medium, ut in JESU laudes:

Ille, Sacrum cujus nomen tibi carmine pinxi,
Emiſſus alto ex æthere, &c.

159. In hoc genere quamplurimæ ſunt ludi ſpecies: Itaque dicitur *Acroſtichis Tetragramma*, quæ habet 4. literarum ſeries, initio unam, 2. & 3. in medio, ultimam in fine. In 1. ſerie ponitur, v. g. Nomen in 2. Dignitas, &c.
160. Multus fierem, ſi omnia hic recenſerem, cum multa

ta admirari potius, quam imitari debeas; nunquam enim eventus par labori correspondet, ut poema a P. Lebrum pro exemplo allatum, in quo quilibet ex 35. versibus tot literis constat; primus versus, medius, & ultimus, qui etiam per primas, medias, & ultimas literas cujusque versus legitur, hic est:

Sancte tui vates Cæsar miserere Senatus.

Joannes Henrique Alstedicus in Enciclopedia lib. 50. Sect. 4. cap. 5. 60. ludi poetici species numerat, nec omnes comprehendit. Rabanus Maurus Benedictinus literarum labyrinthos suis operibus inferit, v. g. illum ex 35. versibus heroicis conflatum, in quo aliquæ literæ mediæ, quæ crucis speciem repræsentant, seorsim legi possunt, & carmen in crucis laudem conficiunt.

Hoc etiam fit diversis versuum generibus eo modo dispositis, ut aliquid, veluti in pictura præ se ferant. Samuel Pomarius Dominicam Passionem scripsit carminibus, in quibus omnia salutis nostræ instrumenta spectabantur. Antiquis etiam temporibus horum usus plurimum invaluit. Simias Rhodius plurima poemata ita composuit, ut Aves, Tibias, Arbores, & similia representarent. 161. Omnibus supersedeo, ut labyrinthos literarum, quorum frequentior est usus, delibem. Nullus in ipsis plerunque alius labor est præter scriptionis: si tamen in inveniendis verbis, quæ labyrinthum retrogradum conficiant, laborem impenderis, quid ingeniosius redolebit. De omnibus exempla subjicio. (*Omittimus omnes Labyrintos primæ editionis transcribere; qui enim tempus, & chartam jactare voluerit, integram Æneidam per inutiles Labyrinthos exhibere potest, ut in sequenti patebit.*)

Creta suos plicuit sinuosa in compita flexus,
 Haud dubiam Theseus horruit ire viam:
Namque ducem reduci dat filum Ariadna, remensum est,
 Tortile, quo filum tramite ducit, iter.
Haud secus incerto sese implicat undique giro,
 Musarum lucos qui novus hospes adit.
Dux erit alma Parens, quæ lumina mentibus afflat,

Filum, quo possis pergere tutus, erit.
Quæ prima est Mariæ, sit litera prima legenti:
Quæ tibi principium, quæ tibi finis erit.
Si sapienter amas, tibi tempore Mater in omni
Diva aderit, mentem carmina verba reget.

Hic intra quacunque velis,
mediumque require.

M
MAM
MATAM
MATETAM
MATERETAM
MATERTRETAM
MATERTETRETAM
MATERTEAETRETAM
MATERTEAMAETRETAM
MATERTEAMEMAETRETAM
MATERTEAMEMEMAETRETAM
MATERTEAMEMAETRETAM
MATERTEAMAETRETAM
MATERTEAETRETAM
MATERTETRETAM
MATERTRETAM
MATERETAM
MATETAM
MATAM
MAM
M

Hic exi quocunque velis,
medioque recede.

M
MEM
MEMEM
MEMAMEM
MEMAEAMEM
MEMAETEAMEM
MEMOAETRTEAMEM
MEMAETRERTEAMEM
MEMAETRETERTEAMEM
MEMAETRETATERTEAMEM
MEMAETRETAMATERTEAMEM
MEMAETRETATERTEAMEM
MEMAETRETERTEAMEM
MEMAETRERTEAMEM
MEMAETRTEAMEM
MEMAETEAMEM
MEMAEAMEN
MEMAMEN
MEMEM
MEM
M

ROMA	Maxima Virg	O	h Pia Mater	SATOR
ORAM	Annue quæ		prima Virgo	AREPO
MARO	Rite juvand		rtaque nobis	TENET
AMOR	Inclyta nostr		mine fausto	OPERA
	Annue vot		mnibus adsis.	ROTAS

Parvi Labyrinthi leguntur a quocunque ex quatuor Lateribus. Versus Adonici incipientes vel desinentes per O, solent scribi per gyrum. Si verba Labyrinthi sint retrograda, tunc aliquantulum leporis habent, neque duo, ut supra, sed unus scribitur, in quo vel a medio ad extremas, vel a literis extremis ad mediam legas, idem legis. In Thesibus hic erat:

Solem refer animo domina refer melos.

Additi erant duo distychi Primum ad Sacratiss. Virg.

Virgo Parens, mentem illustra mihi Solis ad instar:

Et

Et dulce instilla vocibus ipsa melos.

Ad Theseum.

Seu medium quærens, medium fuge postea, Theseu,
Seu medium fugiens, quære redux medium.

Alii erant etiam retrogradi in quadrum dispositi, & aliis figuris, quilibet enim figuras potest facile excogitare. De versibus retrogradis egimus Spectaculo VI. Ludo I. num. 9. 10. 11.

PARERGON GENIALE.

QUatuor olim præcipuos fuisse labyrinthos docet Plinius, quorum artifices, & artificium describemus in certamine, varia etiam ludorum genera a Romanis præsertim, & Græcis instituta sunt, quorum præcipua hæc fuerunt: Olympiaca, Capitolina, Junonia, Magalensia, Pythia, Apollinaria, Cercalia, Isthmia, Consualia, Equitia, Dionysia, Theatralia, Nemea, Compitalitia, Tauria, Augustalia, ac Sæcularia. Horum ludorum origines, sumptus, honores, & præmia, quibus certantes donabantur, aperiam. Ludos etiam pueriles, ut latrunculorum, pilæ, trochi, talorum, & similes non omittam: vetitam legibus aleam nostro suffragio interdicimus. Ludorum excessus Eutrapelia moderabimur. Siquis tamen ludum Poeticum nostro paratum impendio expectat, unum exhibemus in arena, in quam certare parati descendimus alternis versibus, quorum quilibet per literam incipiat, qua proxime recitatus desiit. Ludo carmina supeditabunt Virg. Ovid. & Claud. prout collusori libuerit. Si cui vero certare placuerit: uter plura, aut selectiora carmina ex prædictis Authoribus in medium proferat, non effugiemus certamen. Si velis etiam decertare, quis plures, aut selectiores Sonetos, vel Decimas recitet, non abnuam, dummodo in laudem Sacratissimæ Virginis dirigantur. Quod idem Latinis epigrammatibus pollicemur, ad quæ D. Ignatius de Loyola Soc. JESU Fundator supeditabit argumentum. Postremo quoniam Soc. JESU sæcularis annus circumagitur, liceat ejus Heroas quotquot in utroque fuerunt sæculo, tanquam in sæcula-

ribus ludis certantes committere hac lege: Nullus mihi virtute, aut literis præstans, aliave prærogativa memorabilis primi sæculi Heros assignabitur, cui alterum ex secundo sæculo in eodem laudis genere de victoria decertantem non opponam: unde æternitatem societati JESU felicissimo pollicemur augurio; videlicet in hoc symbolico vaticinio:

LITERA C DUPLEX SIGNAT DUO SÆCULA; FORMAM
(ALTERA SI PRIMAM RESPICIT) ORBIS HABET:
SIC DUO JESUADUM CUM TAM BENE SÆCLA COHÆRENT,
ÆTERNOS FACIENT HINC SINE FINE DIES.

SPECTACULUM VII.

Ænigmatum præstigiæ, & involucra deteguntur.

Utrum *obscuritas in Ænigmate vitio ducenda sit?*

A Facilioribus ad difficiliora gradum facere Rhetorum axioma est; ideo Ænigmata ad calcem de industria produximus: nec est, cur ænigmatis obscuritatem vereantur spectatores, qui jam cæca filo regere vestigia in implicatis labyrinthi mæandris didicere: ut enim in labyrinthi ambagibus filum, sic in ænigmatis obscuritate leges, & exempla lucem ministrabunt.

INVOLUCRUM I.

Ænigma late sumptum.

Utrum *in Ænigmate verum sit Horatianum illud: Ut pictura poesis erit?*

1. NOminis naturam non scrutamur, sed sumimus pro sententia obscuris verbis comprehensa, quæ aliis in-

investiganda) proponitur; ut hoc, quod vix Oedipus dissolvit mox se Sphinx præcipitavit: *Quadrupes est animal, bipes hinc, tripes inde perrerans*. Aliter proponitur a P. Pexenfelder: Dic mihi,

Quæ mane incedit pedibus natura quaternis?
Luce bipes media, sole cadente tripes?

Est homo, qui surgentis vitæ exordio manibus, ac pedibus repit; deinde solis pedibus incedit, donec in occasu senio caducus baculi adminiculo utitur. 2. ænigma non sit nimis obscurum, ne potius mysterium videatur. 3. usitatissimum est, picturam aliquam apponere, subscriptis deinde versibus. 4. licet multa ingrediantur picturam, una sit persona primaria, ad quam cætera referantur, v. g. pingatur homo sudore, ac luto infectus, qui phasellum in tergo sustentans, piscem manu tenens, inter arbusta spatietur, deinde:

Ille ego, quem postquam rejecit ab ubere Mater,
Instabili campos curro, recurro pede:
Et modo sum locuples, persæpe simillimus Iro;
Nocte, dieque vagor prodigus ipse mei.
Nomina, si quæris, sapies, si intenderis ori,
Det mihi flamma caput, lumine clarus ero,

Ubi *Ori*, *Iro* idem est, ac *Rio*, Latine fluvius, qui tibi clarus erit, si cum *lumine*, *flammæ* primam literam jungas. Hinc liquet in ænigmate logogryphum, vel anagramma misceri, licet ex dictione Latina Lusitane evadat. De arce, quam Lusitane dicimus *Forte* ita proponi potest ænigma:

Forte hominum genus includo, prope littora rupes
Me firmat, surgo in cælum, timidosque repello
Piratas, nostro tutos habet incola portus
Præsidio; indigitans quis sim rata præmia ferto,
Ædipe, principium formæ conjungere tecum
Fas erit, expressum Lysio me nomine cernes;
Meque freto invenies clausum, si forte requiris.

Ubi *Ferto*, & *Freto* anagrammata sunt: prima syllaba *Formæ*, & *Te* idem sonat: ars Lusitane *Forte* sub *Forte* tam

adjectivo, quam adverbio latet. 6. Item Ænigma de Episcopo: *Bis possum, &c.* Aliud de Missa, in quo non nemo bovem ad aras immolandam pinxit, & ita exordiebatur: *De requie sum Missa mea.* Illud etiam de Filo, quod Lusitane: *Fio: Ex auro, & gemmis fio.* 7. Ut Rosam exprimas pinge Reginam flavis crinibus, a collo ad medium corpus purpurea veste, cætera viridi: anguem manu tegat, qui in rosetis abscondi solet, in altera vero manu precarios globulos in medio truncatos teneat, quod Rosarium, si 4. literas excerpas, sonat: *Rosa*: cuspidatis deinde lanceis armati satellites Reginam circumstent. In tabula hos versus exarabis: *Sum Regina potens, varioque satellite cingor, &c. Custodes quinque ante pedes, qui dispare vultu Sustentantque, tenentque ostrum, &c.* Deinde anagramma habes etiam in *oras*: si tamen nequeas, seu nolis anagramma inserere, literas reseca, transpone, vel aliquo modo inculca, ut: *Trunca caput mihi Roma, salusque in fronte recisa, &c.* Primæ enim syllabæ ex *Roma*, & *Salus*, *Rosa* sonant. 8. Figuræ, ut rei significatæ accommodentur, sint ejusdem generis. 9. Si res in Latino idiomate fuerit. v. g. masculina, & in Lusitano fœminina, ut *Color*, *Ensis*, *a Cor*, *a espada* tunc appingere poteris figuram masculei generis, aut fœminei. 10. Licet hoc negent, qui severiores leges perscribunt ænigmati. 11. Si Ægyptiorum symbola imitari mens fuerit, pictura tantum constabit ænigma. Celebre illud de hoc carmine: *Et Follis, Vermis, Callis, tum Fustis, & Ensis.* Pro conjunctione *Et*, appinges vinculum, deinde follem, hinc vermem, postea callem, deinde scribens dictionem *tum*, & deinde fustem, & ensem. 12. Ænigma solet esse de rebus in genere, vel in specie, ut de *Homine*, *Leone*, *Vita*, *&c.* Etiam de individuis, si celeberrima, & notissima sint, v. g. *Sole*, *Luna*, *&c.* 13. Ænigma proprie res serias, & graves exigit. 14. Gryphus jocos, & sales. 15. Alii gryphum ab ænigmate differre asserunt in eo, qud gryphus, id est, *Rete*, obscurior sit adeo, ut negotium facessat homini, etiam acuto. 16. *Logogryphus*, seu vocis ambages non versatur in rebus

rebus subtili vocum, aut colorum velo tegendis; sed in celandis vocibus, literas mutando, trasponendo, &c. 17. Nos cum plurimis gryphum a logogrypho non distinguimus. 18. His omnibus conflatur, quod ænigma vocari solet.

INVOLUCRUM II.

Logogryphi exempla.

Utrum *literarum furta, quibus usi sunt veteres in suis scriptionibus, sint Ænigmata?*

19. Sit primum exemplum *Cor.*

Dimidium Sphæræ, Sphæram, cum Principe Romæ
Postulat a nobis Divinus Conditor orbis.

Ubi dimidium sphæræ est litera C: sphæra est litera O: Princeps Romæ est prima litera R.

II. De Sacratissimo Nomine JESUS:

Dicito quale putes nomen, quod recta columna
Inchoat, inde tridens fuscina nectit idem.
Flexus utrinque uncus secat; hinc bivii nota claudit,
Inde uncus, medio qui stetit ante loco.

Ubi columna est I: tridens E: uncus utrinque flexus S. U bivii nota.

III. De duabus vocibus: Amo te:

Musa tibi proram, Mars puppim, Troja carinam,
Donat terra caput, dat tibi & exta leo.

IV. Celeberrimum illud a P. Antonio Vieyra de Manu:

Salmo sit insulsus, Salamon Rex exeat aula.

Quia in Salmaô, & Salamaô si aufferas *Sal*, & *Sala* manet Maô V. P. Lusitanus Manus.

V. Ridiculum est illud ad Anum sagam:

Mensa tibi nulla est sine cauda, tu quoque sagax,
Atque ferax pariter, sed sine fronte manus.

Ubi mensa, sagax, ferax sine ultima litera est: mens, saga, fera. Manus, dempta prima litera, sonat anus.

VI. Etiam lepidum eſt illud:

Tu magnus Paulus ſolio es, tu muſica, virtuſque,
Unica ſi medio litera dempta perit.

Tunc enim ſonat: Tu magus, Palus ſolo es, tu muſca, viruſque.

VII. Ovis dempto, O ſupereſt vis; unde:

Imbellis tota eſt, caput exime, vis erit illi.

VIII. Navem, prima, & ultima litera ſublata, manet, Ave; unde amicus: *Mitto tibi navem, prora, puppique carentem.*

IX. Si dictio: *Salutem*, legatur a fine, ſonat, Metulas.

Mitto tibi metulas, ſi vis cognoſcere, vertas.

X. M. Mille ſignat; ſi illud reſeces in voce: Menſem, remanet enſem: *Quod tibi vincendos toties mihi ſcripſeris hoſtes*
Unum mitto tibi, reſeces modo millia, menſem.

XI. In Aquila, caput eſt prima litera, gemini pedes duæ ultimæ; fitque Ala. *Aerios late tractus, & nubila trano-*
At caput, & gemini ſunt mihi penna pedes.

XII. Mus, Muſca, Muſcatum, Muſtum.

Sume caput, curro; ventrem conjiunge, volabo;
Adde pedes, comedes; ſed ſine ventre, bibes.

XIII. Lanterna, Lana, Later.

Sum dux parva viæ, cum nox complectitur orbem,
Cynthius & feſſos æquore merſit equos:
Ventrem tolle, nihil me mollius eſſe videbis;
Ventri junge caput, durius eſſe nihil.

XIV. Caper, Aper. *Cornua mi, ſed ſi caput auſers, dente nocebo.*

XV. Caminus, Canus.

Cum Lybicos æquem turpi nigredine corvos,
Æquarem Cycnos, ſi ſine ventre forem. (bam,

XVI. Lapis, Apis. *Quæ terras, atque ima gravis res ante pete-*
Si caput abſtuleris, jam levis alta petam.

XVII. Angelus, *Incola, qui fueram cæli, ſi litera deſit,*
Anglus. *Incola telluris non adeundus ero.*

XVIII. Vir- *Suſtuleris ſi T noſtro de nomine, rerum*
tus, Virus. *Optima quæ fueram, rerum tibi peſſima dicar.*

XIX. Na- *Æquora tranabam quæ Tethyos, æquora cæli*
vis, Avis. *Tranabo, deſit ſi mihi gemma prior.*

XX.

XX. Idem. *Orba pedum curro, veſtigia nulla relinquo,*
Pone, aut tolle caput, concita ſemper eam.

XXI. Lepus, *Litera muttetur ſi nominis una, timore*
Lupus: *Mortales fugiam, quos feritate fugo.*

XXII. Aurum. *Cornigera Taurum mitto tibi fronte carentẽ;*
Quale ſolet munus mittere dives Arabs.

XXIII. Mendicus. *Sum ego una litera plus, quam Medicus.*

20. Huc reduci poteſt ænigma illud Arithmeticum:

Ter tria ſunt ſeptem; bis ſex tantummodo ſex ſunt;
Sunt ter quique decem; ſunt ſemel octo novem.

Ubi duo verba: *ſemel octo*: novem habent literas, &c. 21. Etiam illud: *Improba furfur edit pannum, at panem ſuſtineamus.* Hoc eſt: Sus, Tinea, Mus. 22. Illud etiam de litera, E: *Hic nos quiſque legis, terque, quaterque vides:* Quod etiam Luſitano idiomate:

Em qualquer parte que leas, E ſe attento reparares;
Neſte verſo me veras, Vinte vezes me leras.

Illud de litera M celeberrimum eſt:

Eu naõ ſou creador, nem creatura,
Nem fui viſto já mais entre os viventes;
Entre os homens me vez, e naõ me ſentes,
Sou morto, e nunca eſtive em ſepultura.
No mundo faço a principal figura,
Crer, que ſou agoa, ou ar, tu nunca intentes;
Se dizes, que ſou terra, ou fogo, mentes;
Mas entre os elementos me procura.
Bem no meyo do tempo, e muito interno,
No meſmo tempo eſtou, ſem ſer paſſado,
Nem preſente, futuro, nem eterno.
Sou primeiro ao morrer, ſem ſer gerado,
Com o demonio eſtou, ſem ſer no inferno,
E eſtou no Empyreo, ſem me haver ſalvado.

INVOLUCRUM III.

Clariorum Ænigmatum exempla.

Utrum *possint Muti nutibus Ænigmata proponere?*

23. ALia ænigmatum genera, quæ potius acuratas descriptiones appallabis, apud Authores invenies: hujusmodi sunt ea, quæ sequuntur:

I. Aranea. *Usus abest manuũ; ducens pede stamina texo;*
Alvus lanigera fertilitate scatet.

II. Pila. *Glabra foris, pilosa intus, specieque globosa,*
Exilio, quanquam mi pedis usus abest.
Aeriasque, carens pennis, velitabo per auras;
Et vires, crebro pulsa, resumo novas.

III. Vespertilio. *Est mihi de sero deductum vespere nomen,*
Ala mihi lutea est, plumaque mollis abest:
Sola avium pario, soli ubera lacte tumescunt;
Aspera sunt soli dentibus ora mihi.

IV. Cereus. *Stupa medulla mihi; dat apis mihi corpus; ab igne*
Flammam, qua pereo, mutuor ipsa libens.

V. Bombyx. *Arte mea pereo; tumulum mihi fabricor ipse,*
Fila mei fati duco, necemque neo.

VI. Campana. *Malleus illisu insultat mihi; mox ego motum*
Aera percello, & patrias dilabor ad auras,
Clepsydra melius properantes metior horas,
Cogo hominũ cætus, tonitrũ fugo, tempora signo.

VII. Acus. *Longa, sed exilis; tenui producta metallo;*
Mollia duco levi comitantia vincula ferro, &c.

VIII. Anchora. *Mucro mihi geminus, ferro conjungitur unco;*
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo,
Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.

IX. Calx. *Evasi flammas, ignis tormenta refugi;*
Ipsa medella meo pugnat contraria fato;
Ardeo de Lymphis, mediis incendor ab undis.

X. Carbo. *In cineres abeam, a sylvis oriundus, at inde*

Na-

Natus in igne fui periturus in igne vicissim.

XI.Catena.*Nexa ligor ferro, multos habitura ligatos,*
Vincior ipsa prius, sed vincio vincta vicissim;
Et solvi multos, nec sum tamen ipsa soluta.

XII.Clavis.*Virtutes multas de viribus affero paucis,*
Pando domos clausas, iterū sed claudo patētes,
Servo domum domino, sed rursus servor ab illo.

XIII.Cornix.*Tot cervos ego vivo, homines quot vivere cervi*
Dicuntur, nec canities mihi nascitur unquam.

XIV.Farina.*Inter saxa fui, quæ me constricta premebant,*
Vix tamen effugi totis collisa medullis,
Et nunc forma mihi minor est, sed copia major.

XV.Piscis.*Longa domus resonat, tacet hospes, currit uterque.*

XVI.Fumus.*Sunt mihi, sunt lacrymæ, sed non est causa doloris;*
Est iter ad cœlum, sed me gravis impedit aer;
Et, qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

XVII.Nix.*Pulvis aquæ tenuis modico cum pondere lapsus,*
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus, totas prius occupo terras.

XVIII.Pecunia.*Terra fui primo latebris abscondita duris,*
Nunc aliud pretium flammæ, nomenque dedere,
Nec jam terra vocor, licet ex me terra paretur.

XIX.Rotæ quadrigæ.*Quatuor æquales currunt ex arte sorores,*
Sic quasi certātes, cum sit labor omnibus unus,
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

XX.Serra.*Dentibus innumeris sum toto corpore plena,*
Frondicomam sobolem morsū depascor acuto,
Mando tamen frustra, quia respuo præmia dētis.

XXI.Silex.*Semper inest intus, sed raro cernitur ignis;*
Intus enim latitat, sed solos prodit ad ictus;
Nec lignis, ut vivat, eget; nec, ut occidat, undis.

XXII.Somnus.*Sponte mea veniens, varias ostendo figuras,*
Fingo metus varios, nullo discrimine veros,
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

XXIII.Tegula.*Terra mihi corpus, formam mihi præstitit ignis,*
Alta mihi domus est; pateo, comitor, jaceoque,

Ac

Ac me profundit, qui me cito deserit, humor.

24. Omnia hæc, clarissimæ potius rerum periphrases, quam ænigmata, inservient ad facilitatem comparandam in solvendis ænigmatibus. 25. Omitto alia nimis trita, ut: *Quæ res dum gravis, levat; dum levis, gravat.* Vel: *Dum plena, levis est; gravis est, dum pendet inanis.* Crumena. *Quæ mage res crescit, quo plus aufertur ab illa?* Fovea. 26. Celebre est illud ænigma de anno:

Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex;
His quoque triginta natæ, sed dispare forma,
Aspectu hinc niveæ, nigris et vultibus inde;
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Hæc pictura possent exprimi; asserit enim Plato poesin esse loquentem picturam; picturam vero tacentem poesin: eo tamen discrimine, quod poesis divisim; pictura vero omnia simul exhibet: poesis literatos; pictura omnes delectat: hæc oculos, illa aures. Potest vero suprapositum ænigma ita exprimi: Adumbretur senior, quem 12. nati circumstent floribus, fructibus, cæterisque pro mensium varietate insignibus, ornati. Ex natis quilibet 30. puellas bicolores consertis manibus sese trudentes, &c. 27. Apud Symposium duo ænigmata leguntur, alterum de vite; secundum de aceto:

I. *Nolo thoro jungi, quanvis placet esse maritam;*
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago;
Nolo sepulcra pati; scio me submergere terra.
II. *Sublatum nihil est, nihil est extrinsecus auctum;*
Quod fuerat, non est; cœpit, quod non erat, esse:
Nec tamen inveni, quidquid prius esse reliqui.

28. Dignius tamen laude est illud, in quo menti aliud diversum proponitur, ut artocreas:

Hombres, que gusto buscais,
Para que podais tenerlo,
My cuerpo os doy en manjar,
En este pan encubierto.
Donde mannana, y la noche
Estoy a la mesa puesto,
Para qualquier, que quisiere
Recebir-me por sustento.
Cordero solian llamar-me,
Pero despues me vendieron,
Y para que tengais vida,
A my cuerpo muerte dieron.

Yo

Yo voy debaxo del Palio
A viſitar al enfermo ;
Sino me come qual deve ,
El comer-me le es veneno .

Quien lo ſupiere , lo diga ,
Y mire bien el ſecreto ;
El diſcreto no ſe arroje ,
Que no ſoy el Sacramento .

Alia ænigmatum genera.

29. Scitum eſt ænigmata olim proponi in Sapientum conviviis, ut dum corpus vires ſumeret, ſuo quoque mens pabulo reficeretur. 30. Unde ad ænigmata reducuntur quæſtiones problematicæ. Aliquas refert Niloxenus, quarum ſolutionem corrigebat Thales in Sapientum convivio v. g.

Quid antiquiſſimum ? Tempus.

Thales reſpodit: *Deus: nam ante tempus extitit.*

Quid communiſſimum ? Mors.

Thales: *Spes: quibus enim reliqua deſunt, illa adeſt, &c.* S. Paccomius Theodoro aliqua propoſuit, ut: *Quis mortuus, non natus ? Adam.*

Quis homo natus, & non mortuus ? R. Enoc, & Elias. Quis mortuus corrumpi non potuit ? R. Uxor Loth, quia in ſtatuam ſolis eſt converſa. Quæ tellus a ſole tantum ſemel viſa eſt ? R. Fundum maris rubri, quia tranſeuntibus Iſraelitis ſemel tantum aparuit.

Qui ſunt plures ? vivi an mortui ? R. vivi, quia mortui jam non ſunt (intellige Perſonæ exiſtentes) Aderan Pernices 37 occidi 15 quot remanſerunt ? quindecim, quia reliquæ abierunt.

Huc ſpectat illud Ovvenii de Eva :

Dic mihi, quæ fuerit Matri quæ filia nupſit ;
Cujus erat Mater maſcula, nemo Pater.

Plures Enigmaticas deſcriptiones collegit in ſua *Enigmatographia Nicolaus Receſnerus juriſconſultus* iterum recuſa Francforti, 1602. Luſitanas videre poteris in tom. 2. *Academicarum orationum Cl. D. Rafaelis Bluteau, Uliſip. an.* 1728.

31.

31. Illud Platonis ænigma: *Homo non homo*, *videns non videns*, *alitem non alitem*, *lapide non lapide percussit; cum super arbore non arbore tamen degeret*. Sic solvitur: Juvenis luscus vespertilionem super sabuco hærentem pumice percussit. Piscatorum pueri Homero ænigma de pediculis ita proposuere: *Quæcunque cepimus*, *reliquimus*; *quæ vero non cepimus*, *nobiscum portamus*. Ob cujus ænigmatis ignorantiam ægritudine consumptus diem clausit extremum. Sic etiam proponi potest:

Quos capimus, *pereunt*; *sed quos non cepimus*, *adsunt*.

32. In Ecloga 3 Virg. legitur ænigma, quod diverse plurimi intelligunt: si placet, illud intellige de homine in puteo existente:

Dic quibus in terris, *& eris mihi magnus Apollo*;
Tres pateat Cæli spatium non amplius ulnas.

Ibi etiam: *Dic quibus in terris inscripti*, *&c.*

33. Quære, si placet, quæ duo pronomina omnia verba, & nomina confundunt? Resp. *Meus*, *Tuus*. Unde:

Si duo de nostris tollas pronomina rebus,
Prælia cessarent, *pax sine lite foret*.

Quæ syllaba regit, & evertit mundum? *Jus*, *Vis*.

Jus, *& Vis apicis nullo discrimine distant*;
Vi tamen opprimitur, *Jure fovetur homo*.

34. Quæres etiam, qua fiet arte, ut mentienti credatur; vera dicenti non credatur? Resp. *Si primus nunquam est mentitus*, *sæpe secundus* 35. Leporem habet quæstio illa, dicente Epimenide Cretensi: *Cretenses esse mendaces*: an ipsi credendum? Item Turca captivo dicit: *Si prædixeris*, *quid de te sim facturus*, *liberum te dimittam*. Respondet captivus; *Retinebis me captivum*. 36. In quæstionibus, quæ inter eruditos excitantur, res obscuras, & a vulgari cognitione remotas præterire debes, v. g. In quo fonte accensæ fasces extinguantur, & accendantur extinctæ? Quod in Dodone de Jovis fonte ferunt. Vel: Quis fluvius in die fluat septies, & refluat? Quod de Euripo in Eubœa asserit Plinius. 37. Ænigmatis etiam genus est illud de 30 vectoribus 15 Christianis 15 Mauris, quorum dimidiam partem

tem Nauclerus servare poterat. Per circulum dispones, primo quatuor Christianos, inde quinque Mauros, postea Christianos, iterum Mauros, eo modo, quo in vocalibus hujus versus indicatur: *Populea virga pacem Regina ferebat*. Ubi vocales tantum attendes, ex quibus A valet unum, E 2. I 3. O 4. U 5.

Unde prima syllaba versus est *O:* ergo quatuor: secunda *V.* ergo quinque. Et semper incipies a Christianis, excepto casu quo servare velis quintum vel septimum, quia tunc incipiendum a Mauris seu Turcis, & observa versum spectantem ad quintum & septimum incipere per **T.** quia a Turcis incipitur circulus. Si vero non in nonum, sed in decimum quemque vel octavum, vel septimum &c. velis ut sors cadat, aliis versibus utendum est, ut in sequenti descriptione.

Ludus de 15. Turcis, & 15. Christianis.

Descriptio eventus triginta Nautarum.

Fert Turcas ter quinque ratis, ter quinque fideles,
Dum rabido exoritur sæva procella mari.
Poscit opus mediam nautarum expellere partem,
Cuncta prius ductor signa dolentis habet.
Tunc secum statuit Maomethica jura sequentes
Damnare, ast animi claudere signa sui.
Ergo omnes circum disponere jussit in orbem,
Sors, ait, in decimum semper iniqua cadat.
Rex Paphi cum gente bona dat signa serena.
Hoc versu ad fines utitur ille suos.
Litera vocalis quo scribitur ordine monstrat
Cujus erit numeri qualibet indicium.
Prima fidelis habet, tum Maurus, & inde Fidelis,
Sic reliqua alternis sunt loca danda viris.
Quot sunt vocales in versu adverte: lapillos
Albos hac serie distribue, atque nigros.
Si sit jactandus quintus vel septimus undis
Circulus a Turcis incipiendus erit.
Jam Turcæ periere omnes, sedata procella est.
Incolumem excipiunt littora Maura ratem.

Hic

Hic numerum supplent Turcarum e gente priorem;
Atque iterum infidis vela dedere notis.
Tempestas oritur similis, Turcæ undique clamant
Nonus in oceanum projiciendus erit.
Populea virgo pacem Regina ferebat,
Ductoris versus dirigit iste manum.
Sex aliis vicibus causa turbatur eadem,
Ductor, & a vario carmine poscit opem.
Blande Atlas, sed Creta reis dabat impete mortem,
Hoc versu octavum sæva procella rapit.
Tam sit grata dies, mihi pellat pectore flammam,
Septimus hoc versu præda vehetur âquis.
Magna petis Princeps, attende, atque ordiar alta.
Sic de Turcarum stipite sextus erit.
Tam arte ampla paras arma? ecce alapa appetit ora.
Sic semper quinto mors inopina venit.
Arma age, vade, exquire; arma arma attenderis extra.
Sic quarto enumerans ultima fata pares.
Ecce alapa, & pereas; Danaenque sera arctat ahena.
Tertius hæc versu victima sortis erit.

Si fasciculum chartarum in varios velis dividere (Aleæ sint solutæ 40.) incipe a numero primæ chartæ, v.g. tres quatuor &c. Si sit miles dic octo, si eques, novem, si Rex, decem. Reliqua valent pro una. Unde si prima charta sit Rex, illa incipit & finit suum fasciculum, si sit Eques, ille fasciculus habebit duas tantum chartas, si prima charta fuerit quatuor, ille fasciculus habebit septem. Factis fasciculis ab amico tuo, interroga quot sint? sint v.g. septem; interroga quot chartæ remaneant, remanent v.g. duæ. Septem, & duo sunt novem, his novem adde tot decades quot sunt fasciculi. Sunt ergo 79. deme quadraginta. Remanent 39. Et hic est numerus si primas fasciculorum chartas observes. Si vero sunt septem fasciculi & nulla charta remanet, numerentur septem, & septem decadas, nempe 77. demptis quadraginta, numeri in primis fasciculorum chartis sunt 37. Si chartæ sunt 52. subjungitur modus numerandi.

De-

Descriptio Ludus fasciculorum.

Fac tibi fasciculos, numera recto ordine, & octo
Miles, Equesque novem, Rex valet inde decem.
In decimo absolves numero; sit qualibet una,
Sed numero incipies, quem tibi prima dabit.
Unam fasciculus, si sit Rex primus, habebit;
Duplicem Eques chartam, tres sibi miles amet.
Sic reliquæ chartæ, inversa quas fronte tenebis:
Dicam quot frontes contineant numeros,
Computo fasciculos remanentes computo chartas,
Quot sunt fasciculi, tot superaddo decem.
Demo quadraginta: & numerus qui deinde resultat
Sese in fasciculis, objicit ante oculos.
Forte quater tredecim sunt chartæ, & dispare formæ
Miles erit numero cognitus undecimo.
Sit bis sextus Eques, decimus Rex tertius, inde
Bis septem quivis sit tibi fasciculus.
Tum numeros addes quot chartæ deinde manebunt,
Deme quater decies præmia laudis habes.

Offers tribus amicis tria numera. Primum amicum intra te voca A, secundum E, tertium I. Munus sit v.g. primum capsula, secundum liber, tertium linteum. Amico A dabis unam fabam, Amico E duas, Amico I, tres, alias 18. fabas relinque prope munera. Dic illis. Qui acceperit primum munus totidem fabas simul accipiat, quot ante habebat; qui secundum, accipiat duplo plures fabas, qui tertium, accipiat quadruplo plures. Cum redis, observa quot fabæ remanent, remanebunt nec minus una, nec plures septem. Mente repone hunc versum: *Vade Petram saliens quæ via sternit iter*. Suppone omnes has voces habere tres vocales *a. e. i.* Si una deerit suppone illam esse ultimo loco. De quarta voce non sis solicitus, quia nunquam remanent quatuor fabæ. Observans igitur quot fabæ remanent, numerus fabarum correspondet numero vocum in supradicto versu. Suppone igitur remansisse septem fabas, Vox septima *iter* habet primam vocalem I. ergo amicus I accepit primum munus, secundam E; ergo Ami-

cus E habuit secundum, tertia vocalis vel adest, vel est illa quæ deest, nempe A. Ergo Amicus A habuit tertium munus.

Descriptio ludus trium munerum.

Cum tribus exoptes si fallere tempus amicis,
Jucundi lusus causa leporis adest.
A. tibi primus erit, sic E. tibi finge secundum,
I. Sit judicio tertius inde tuo.
Una datur primo, duplex faba danda secundo,
Tresque manu abscondat tertius inde fabas.
Inde relinque fabas ter sex; tria numera junge,
Subripiat munus clam sibi quisque suum.
Quas habet ante fabas, fruitur qui munere primo
Computet, & totidem, sed sine teste ferat.
Quique secundum aufert, duplices, sed sumere debet
Ultima qui rapuit munera, quadruplices.
Non remanent plusquam septem, saltem una manebit,
Et vocum numero noscere cuncta potes.
Nam septem voces versu observabis in isto,
Vade petram, quatiens, qua via sternit iter.
Si faba sola manet, vox prima in carmine, si tres
Tertia, si septem septima mente aderit.
Quatuor haud remanent, sic vox nil quarta valebit;
Nunc ludi leges accipe; doctus eris.
Quinque fabæ remanent? Via *dictio quinta notetur:*
Prima I. Vocalis munera prima tulit.
A.que secunda tulit; deest E, quæ literæ monstrat
Tertia qui tandem munera amicus habet.

Aliqui inter ænigmata Lucani versus enumerant:

Ignotum vobis Arabes venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.

Monuimus in Spect. I. servandum esse decorem personarum, Rex ut Rex, miles ut miles, juvenis ut juvenis loqui debet. Unde inepte Lucanus supponit milites Arabes poetas, & mathematicos, si ex Zona torrida in Arabia venientes ad Zonam temperatam in Asia Minore, observassent Umbras nemorum non ire sinistras. Veri Dei cul-

tor

tor aspicit orientem, Mathematicus meridiem, Physicus Septentrionem, Poeta Favonium in occasu. Qui sumus sub Zonâ temperata & aspicimus occasum, nunquam sinistras videmus umbras. Sed vide quam sit improprium hanc animadversionem in militibus fingere. Fictio debet esse verisimilis, & *navita de ventis*, *de bobus narrat arator*, non miles de Favonio; non est tamen Ænigma, quod in Epico Carmine dedeceret, sed locutio impropria, & captu difficilis.

INVOLUCRUM IV.

Ænigma stricte sumptum.

Utrum *Omne ænigma differat a symbolo?*

38. ÆNigma proprie definitur: *Oratio*, *seu allegoria obscurior*, *tegens rem notam ambagibus significatam*. 39. In ænigmatibus, quæ appendi solent, ac præmio donari, qui dissolvit, quatuor leges assignantur. 1. Sensus carminis sit duplex, alter proprius ad figuram, allegoricus alter ad significatum. 2. Imago non sit obscura, vel incognita: potest etiam a fabulis, historiisque notioribus adduci; conveniatque rei significatæ. 3. Ipsa figura sit simplex. 4. In ipsius gryphis, vel saltem in carminibus per gryphum, vel anagramma nomen dissimuletur. 40. Has tamen leges observandas semper, non trado, quas raro observatas invenio. Omnes observares, si in ænigmate de *Sanguine* tortuosum anguem per modum literæ S appingeres; deinde scriberes: *Anguis:* quæ dictio cum litera S sonat: *Sanguis*. In carminibus exponeres proprietates anguis, quæ sanguini etiam conveniunt; uterque enim renovatur; tortuosus, & circularis motus, necnon venenum utrique est. 41. Non raro in aliquibus festivitatibus proponi solent ænigmata, quæ duas continent allusiones, alteram ad rem per ænigma significatam, alteram ad solemnitatem. 42. Fxemplum sit: *Ænigma pro solemnitate Immaculatæ Conceptionis*. Figura erat

mulier, injurioso pede draconem comprimens, qui in spiras revolutus, multiplicique oris hiatu spumans, quasi ipsam devoraturus videbatur: Cælum astris ornatum undique circumfusum:

Principio sum nata Deo, simul innuba virgo,
Et Mater fœcunda vocor; nec nomina fallunt;
Nata Deo, hinc generis labes ab origine nulla
Me notat, hoc tanti donat mihi gratia Patris;
Qui sibi me primis non dedignatus ab annis
Legit in hospitium, dilectæ ut more Parentis,
Acciperem gremio reptanti alimenta ministrans.
Me vestis diversa juvat; mihi gratia cultu
Augetur vario, medium domus inclyta cælum est:
Quo virtus, huc prona feror, quod ab indole duco.
Natorum me turba colit, queis munera dono,
Cum terar ingrate: sed quisquis imagine gaudet
Matris, adorandum pingit ceu Numen in orbe.
Bellua, quam spectas, ut me voret, impetit: ipsam
Rejicio, frænisque domo; tamen invida latrat,
Spumat, amaritiemque suæ frustra expuit iræ.
At mihi sit nimium quanvis inimica, petendo
Edocet auxilium mortales quærere nostrum.
Quæ sim quæris adhuc? positum jam carmine nomen
Ter lege, solve ratem, proramque annecte revulsam.

Ex Figura proposita ænigmatis terram intellige: Bellua mare indicat, quod terram spumoso undarum impetu verberat. *Terar* anagramma est. Ex *Ter*, & *ratis prora*, id est, prima syllaba, *Terra*, coalescit, &c. Poterat etiam intelligi de Immaculata Conceptione V., quam labis immunem Deus procreavit, in qua virginitas, cum fœcunditate mirabili plane consortio sociatur. Illa Dei Mater, & Filia, draconis iras domat, &c.

Aliud ænigma propono pro solemnitate D. Aloysii. Figura: Juvenis alatus, ac revinctus catenis prope aram subjectis flammis conflagrabat. E regione malis, ac antennis spoliata navis conspectabatur: ad littus arbor fluente per

scis-

ſciſſuras humore ſurgebat; aliqui guttas colligebant, colle-ctas alii deferebant ad littus:

Acriter incenſo cruciant mihi pectora flammæ,
Tu, relevem ut flammas, da modo promptus aquas:
Prodieram partus lachrymarum; me mea mater
Per lachrymas duro læſa dolore parit.
Igne tamen morior: me Numen deſtinat aræ;
Navicula huc tenuis, dis tamen, illa tulit:
Hic flagro, hic fragro dum ſævæ Numinis iræ
Molleſcant; fletus hæc pia cauſa mei.
Torqueor ob multum, quanvis ſine crimine, **crimen**;
Non tuti a pœnis, ut ſine labe, ſumus.
Victima communis tandem hic devota ſalutis
Offeror, ut multis ſim medicina malis.
Sed noſtri melior pars cælum his appetit alis;
Tu remanet noſtri quidquid odore, notas.
Quæris adhuc ubi te lateo? Me Thuſcia ſervat:
Tu ſed dimidiam quære, repertus ero.

Quod quidem ænigma de Thure intellige. Quater *Tus* leges, bis *Ture*, & ſemel *Thus* in prima ſyllaba *Thuſciæ*. *Incenſo*, Luſitane idem ac *Thus*. Omniaque de thure allata mira alluſione de D. Aloyſio Angelico Juvene ad Divini amoris aram inflammato poterunt intelligi. 43. Hæc ænigmata, ſi publice divinanda ad recreandos animos, & exercitanda ingenia propoſueris, ſuis poteris explicationibus expendere, lepore, eruditione, omnigenaque amœnitate affluentibus. 44. Multum habet venuſtatis, & elegantiæ, ſi continua ſit, & unica allegoria. 45. Explicatio fit Luſitano idiomate: initium ſumitur a pictura; deinde verſus minutatim explanantur ſtylo jocoſo, acuto, & eleganti; intextis paſſim argutiis, epigrammatibus, veterum teſtimoniis, hiſtoriis, fabulis, alluſionibus, &c.

PARERGON INVITATORIUM.

Finis ænigmaticæ artis eſt circuſtantium delectatio; etenim, cum appenſa tabula, aut carmina, quæ in varios trahi ſenſus queunt, exponuntur; lætum, ſpectabileque eſt, quaſnam in partes ſe vertant ingenia ſpecie veri dece-

pta. Igitur XXX. ænigmata eruditis fortasse non injucunda ingeniis, ex omni genere, quæ in hoc spectaculum induximus, ad Regiæ Aulæ fores aperienda proponentur, quorum explicationes differentur in castinum: nec deerunt Ædipo sua munuscula, quæ non ut præmia, sed ut grati animi pignora, excipiantur.

APPENDIX.

Ex amore, & benevolentia singulari, qua hujus Academiæ Alumni Societatem prosequuntur, pronum est conjicere stylum in ipsius laudibus secundo jam sæculo florentis exercere non detrectaturos: quapropter, dum Secundarii Rhetores exercitationes aliquot Poeticas in id argumentum excudunt; alios insuper ad æmulationem lacessunt, offeruntque eadem illa argumenta, quæ in Conclusionum vestibulo sunt proposita: & quoniam multi vernaculo, Latino alii versu eleganter ludunt, sic omnibus, ac singulis, quid in Poetica facultate possint, licet expromere:

LATINE. LUSITANE.

In I. Argumento: Carmine Heroico. Strophis, quæ vulgo appellantur Octavæ.
In II. Elegia. Srtophis, quæ Lusitane Decimæ nuncupantur.
In III. Lyricis quibusvis. Odis, quas Romances, aut Redondilhas dicimus.
In IV. Epigrammate. Sonulo hendecasyllabico, sive Soneto.
In V. Quolibet ex compositionum generibus, de quibus agitur in V. VI. & VII. Spectaculo.

Præter summa illa capita, quæ in præfatione ad Sap. Arguentes inculcantur, nullos Poetis limites præscribit R. ac S. Magister; tum ut liberius excurrant ingenia; tum etiam ut de ipsa inventionis laude certetur: cum autem facultas non suppetat gratificandi singulis, qui de Poetica lauro decertaturi venient, pace Competitorum decernuntur bina præmia victoribus in quolibet ex propositis metris. Pecul-

culiares certaminis leges in Academiæ Lyceo appensa tabula indicabit.

AD MAJOREM DEI GLORIAM.

EBORÆ, Cum facultate Superiorum, ex Tyographia Academiæ. *Anno Domini MDCCXL.*

LITERÆ ENCYCLICÆ,
Quibus
Nobilissimi Academici Eborenses

Ad Rhetoricas Exercitationes invitabantur.

Plurimæ ob rerum turbationem periere.

NOBILISSIMI, AC SAPIENTISSIMI ACADEMICI.

Quod felix, faustumque sit Reipublicæ Literariæ, & politioris Literaturæ Studiosis.

Academiam Rhetorico-Poeticam, seu Poetico-Historicam in hoc Eloquentiæ domicilio Primarii Rhetores instituunt, ut eximios Societatis JESU Heroas, qui in utroque sæculo feliciter absoluto Rebus præclare gestis se invicem æmulati sunt, panegyrica laudatione extollant. Cum vero tot benevolentiæ signis contestata nobis sit humanitas vestra, qua nos, nostraque honorificentissime prosequimini, debitæ observantiæ est præmonitos facere. Igitur optimarum artium Cultoribus indicta est in proximum diem prima Academiæ Exercitatio. Argumentum suppeditabit Poesis, in cujus laudes Oratoria Exornativo dicendi genere effundetur; ipsiusque utilitatem contra nonnullos aliter male opinantes diversis, sed eodem collimantibus Oratiunculis demonstrabit. Siquidem reliquos quæ laudibus ornat, Germanam fuerat de-

ferviffe fcelus. Ut vero hanc primam Academiæ partem abfolverit Oratoria, fecundam Poetica Facultas aggredietur quæ fui ipfius argumentum, & Patrona jocofiori qua poterit dicendi methodo, illa quibus vulgo traducitur dicteria, & infulfos fales dilluet, diffipabit.

Vos modo Nobiliffimi Academici æqui, bonique confulite confilium noftrum, quippe cum tot Heroas Noftros fequentibus Exercitationibus ornatura fit Poefis, æquum fane eft, ut in ipfo Academicarum Prolufionum veftibulo fuis etiam laudibus exornetur.

EXERCITATIO ACADEMICA II.

Societas inter injectantium procellas fereniori tranquillitate felicior.

Cum Societas ab hominum Commercio non abftineat, quorum procurandæ faluti, ea charitatis inftituto addictiffima eft; videtur prorfus inevitabile infectationibus omnino effe immunem, partim invidia, partim fub Religionis ftudio, ac fpecie excitatis. Has tamen libenter pro Chrifto ductore fuo tolerat, & illorum pondere depreffa inftar palmæ gloriofior exurgit: Clarior fiquidem ex procellis illucere ferenitas confuevit. Hoc patrimonium filiis jam pridem reliquit S. P. Ignatius, qui feliciorem protendit focietatem fore, quo magis agitaretur calumniis. Habetis 2ª. exercitationis argumentum. Primus Academiæ noftræ Alumnus poetica panegyri exornabit V. P. Anna Francifcum Bobonnium, olim Novanienfem Marchionem Chriftianiffimis Galliarum Regibus, & fere omnibus Europæ Principibus affinitate conjunctum, qui ex Societatis infenfiffimo hofte repente amiciffimus primogenitum fuum nobis donavit ex animo, & relicta in Marchionatus adminiftratione nobiliffima fponfa, Filium Pater fecutus eft. Academiæ focii tres alii fua encomia breviter recitabunt. Novum deinde propofitum tractabunt argumentum per dialogum, fuo fale, ac lepore conditum, ut minori cum faftidio audiantur, unus fcilicet Societatem accufando, detractorum partes aget;

qua-

quatuor vero primum ipsius sæculum todidem secundum defendent; demonstrato persecutionum exitu feliciſſimo. Dialogismo suppeditabunt materiam triginta sex contra Jesuitas proscriptiones, quæ ipsorum laudem illustrarunt, siquidem ubique revocati sunt, ubi hæresis non invaluit; & reduces cum honore excepti.

EXERCITATIO ACADEMICA IV.

Cru cifixus Dominus unicus affectuum JESUitarum Scopus.

Quantum ad Christi patientis exemplar intueatur Societas, ipsius annales contestantur, ubi legentium oculis frequenter obviantur Vitæ, quorum gaudia, deliciasque fuisse constat acerbiſſimos Christi dolores, Mortemque meditari & per imitationem in se ipsis exprimere. Ut igitur illorum pietas innotescat, & inflammetur nostra indicitur in sequentem diem Academica Exercitatio variis illustranda poematibus. Prima pars (in duas enim dividetur) non nullos celebrabit JESUitas, qui præcipuos Christi patientis dolores prosecuti sunt, cultu aliquo, ac devotione singulari. Secunda vero septem Crucifixi verba, quibus Dominus e Cruce supremum docuit, loculenter expendet; adhibitis ad singulas voces duobus ex utroque sæculo JESUitis, qui Præceptoris Doctrinam e Crucis Cathedra proloquentis ad praxim deduxere.

Nequaquam igitur, Academici Nobiliſſimi Rhetoricos flores, sed lugubres cantus expectetis, ut tempus exigit, atque argumentum.

EXERCITATIO ACCADEMICA VI.

Catholicorum mores Reformati.

V. P. Ludovico La-Nusa ea fuit instituta vivendi ratio, ut Xaverii effigiem in se expresserit; scilicet inclitum Indiarum Apostolum, tum heroicis virtutibus, tum prodigiorum frequentia; ac magnitudine referebat. Cogitationi meæ

meæ unanimi judiciorum conſpiratione aſſenſere Rhetores noſtri, quorum unus comparationis magnitudine nequaquam deterritus alium Xaverium in La-Nuza, imo tunc nonnullis in factis ſuperiorem Heroica panegyri promiſit oſtendere. Placuit Academiæ Sociii argumentum, quod aptum La-Nuzæ, ſed non ſoli fatebantur; cum in Societatis annalibus reperiamus (ut dialogo Hiſtorico-Poetico palam faciunt) Xaverios ſane quamplurimos, ideſt, Flores præſtantiſſimos, qui ob virtutes eximias, & facta ſimillima Xaveriano charactere dignoſci promeriti ſint, quaſi multiplex Xaverius inter Orthodoxos redivivus Societatem denuo illuſtrarit.

EXERCITATIO ACADEMICA VII.

Inter Socios, & Cælites amica neceſſitudo.

Inclita JESU Societas in terris Cælo militans, peculiari commercio inde invocat, & habet auxiliares copias Angelos ſcilicet B. quos utique, quantum fieri poteſt a Parente ſuo edocta, & exemplo inducta (quod efficaciſſimum perſuadendi genus eſt) æmulari ſtudet; ipſe vero SS. Protoparens Angelorum cultui addictiſſimus non tam aliquos ſeorſim, ſed totum una Angelorum, ac Cælituum lucidiſſimum agmen iterato conſpexit, quodque plane rarum, ac mirabile, juxta Doctiſſimi Lanciſii ſententiam, datus fuit in tutelam Archangelo. Hoc de fonte dimanare non ambigo contractam inter Angelos, ac JESUitarum plurimos familiaritatem, & Angelorum erga Socios tutelaris curæ ſolicitudinem. Aliquos tam Cæleſtis amicitiæ nexu devinctos hodierna actione cognoſcetis.

EXERCITATIO ACADEMICA VIII.

Societatis JESU in Deum Opt. Max. Pietas. Jure. D.Spiritus plurimas in Societate Divi Stanislai effigies ad vivum exprimens.

Et ſi, Nobiliſſimi Academici, in celebrandis JESUitarum virtutibus Rhetores Candidati eam fecerint omiſſam

quæ

quæ primatum obtinet inter cæteras; id tamen non oblivione, sed optimo consilio a se factum intelligi volunt. Siquidem de industria virtutum gradus promiscuere, ut tempori exercitationes acommodarentur. Itaque, cum hujus Academiæ Tutelare Numen sit D. Spiritus, hoc maxime tempore, quo ejus instat adventus, visum fuit Alumnis nostris charitatem virtutum omnium Reginam, atque altricem in Societatis Heroibus florentem dilaudare. Hanc spirabile Numen modo flameis in linguis modo sub columbæ specie instillavit animo Santiss. Protoparentis Ignatii, ut inde in filios dimanaret; quorum nonnullis sub iisdem figuris parem indulsit gratiam. Cum vero charecteristica in D. Stanislao virtus illucescat Divini Amoris incendium, in quo Protoparentem Amor clarissime repræsentat, in argumentum seligitur proximæ exercitationis vera D. Stanisla effigies, quæ in plurimis e Societate viris, ita ad vivum exprimitur, ut non magis sibimetipsis sint, quam D. Stanislao simillimi.

EXERCITATIO ACADEMICA VIII. APPENDIX.

Ignatius Divini Amoris in Societate Magister.

Nefas mihi ducendum arbitror, Academici Nobiliss. exercitatione proxime exhibita Protoparentum Sanctissimum præterire, cum filios sensim laudarem. Sed quem deterruit argumenti magnitudo, coegit tandem erubescentem siluisse amoris impetus. Hac de causa Divum Ignatium, ut ardentissimam amoris officinam flagrantem Ætnam, a quo Societas nostra cælitus inflamatur, Rhetoricis meis proposui Divini amoris in Societate Magistrum. Hujus Magisterii documenta propriis firmata exemplis crastina die dabuntur.

ESERCITATIO ACADEMICA IX.

Decima Junii Mane. *Distributa est Efficies Ven. Servi Dei*.

V. P. Joseph Anchieta Soc. JESU Brasiliæ Thaumaturgus innumeris inclaruit prodigiis; cum tamen omnia perlibare unica actione non liceat, ea tantum, quæ hac charta indicantur, poetico illustrabimus penicillo.

EXER-

EXERCITATIO ACADEMICA X.

D. Aloysius Gonzaga abstinentiæ exemplar. Accedit Invitatio ad Convivium Ænigmaticum, a Primariis Rhetoricæ Alumnis vespere disponendum: constat centum ferculis, sive Ænigmatis Feria 6. die integra explicandis. Ad aulæ fores appensa tabula leges Poetico Certamini præfigendas exponet.

Angelico Scholarum Patrono Divo Aloysio Gonzagæ Societatis JESU Triduum Literarium, sive convivium tripartitum, Ænigmaticum, Symbolicum, & Rhetoricum pro coronide exercitationum Academicarum dicant, offerunt, consecrant primarii Rhetorices Alumni.

CONVIVIUM PRIMUM, ÆNIGMATICUM.

Expositum die 20. Dispositum die 23. Junii. Prorogatum ad Feriam 6. proxime sequentem.

INvitati nuper ad Ænigmaticum convivium, Nob. Acad. cum D. Aloysium abstinentiæ Exemplar dilaudavimus, ea comitate, ac benevolentia interfuistis, ut par beneficio vestro gratia referri non possit. Gratias tamen agimus quam maximas tot sapientissimis viris tum ex primaria Lusitaniæ nobilitate, tum ex Religiosis Familiis, cum etiam doctorali laurea insignitis, qui Ænigmatico in convivio Æpidum agere, & munusculorum tenuitatem accipere non sunt dedignati. Cum vero explicandis ænigmatis centum, præmiisque distribuendis (tot enim ferculis adornavimus convivium, ut Societatis Sæculo, cui omnia consecramus, saltem numero responderet:) integra dies satis non fuerit; iis, quibus per temporis avaritiem non licuit eruditionis suæ speciem dare in exponendis ænigmatis, feriam sextam proxime sequentem assignamus.

Con-

Convivium Secundum, Symbolicum. *Die* 10. *Julii*.

Quoniam editum a me convivium frugale admodum, & insipidum satis intelligo; aliud longe, lateque opulentius mutua comitate adornabunt Eborensis Academiæ Alumni Sapientissimi. Pergratum mihi fecerint, atque (ut ex ipsorum humanitate toties experta sperandum est) facient libentissime; si pro ferculis symbola, sive emblemmata ad certamen ingeniosa, & exquisita in Societatis laudem concinnaverint. Non epularibus, aut convivantium ferculis mensæ nostræ exornantur, prout ænigmatum materies suppeditavit; a convivio tamen non penitus abhorrent; siquidem in sapientum olim conviviis consueverant adhiberi. Igitur sublimiora hujus Symbolici Convivii, simulque literarii certaminis argumenta paulo infra indicamus, & ad aulæ fores appensa tabula distinctius exponit.

Convivium Tertium, Rhetoricum. *Die* 13. *Junii*.

Ut solemne est Philosophiæ alumnis, emensis literarii studii curriculis, Theses propugnare, quod mensas vulgo appellant; sic Rhetores nostri Rhetoricum præbent convivium, sive mensas convivales; in quibus plus erit jucunditatis, severitatis minus. Siquidem propugnabunt singuli Rhetoricas Theses, Philologicas, aut de Humanioribus literis, ut optimarum artium cultores decet, variis, & curiosis Argutiis, Erotematis, Paradoxis, & similibus politioris literaturæ oblectamentis refertas. Necnon, quantum in Authorum lectione profecerint, palam facient. Plurima, quæ privatim concinnarunt, ex viginti referendis infra argumentis (neque enim omnia publice exhiberi poterant) in appensis poematibus hospitum oculos morabuntur. In utroque convivio præmiorum quoque centuriam, non ut præmia, sed ut amoris, & benevolentiæ signum, ac pietatis incitamentum pollicemur. Sunt enim pretiosa devotionis suppellex, & thesaurus. Demum Academicis Nobilissimis, Sapientissimis, &, ut sæpe experti sumus, Humanissimis, extremum alloqui, musis valedicere licebit. Alumnos nostros ad Philosophiam, quanquam invitus, incitabo; in B. Virginis clientelam, ac D. Aloysii Patroci-

cinium amantissime committam; si præ dolore verbis locus fuerit.

Cum assiduis in conviviis sobrios viros immorari sine intermissione non deceat; singulis, qui interserentur, diebus aliquis ex Primariis Rhetoricæ Alumnis insigniorem D. Aloysii prærogativam breviter dilaudabit; simulque Heroa ex secundo sæculo designabit eodem virtutis genere florentem, quod argumentum Rhetorum alter oratorie, vel poetice, aut plures etiam aliquando dramatice pro rostris declamantes dilucidabunt. Hæc enim Aloysii Sanctissimi prærogativa sit, ac gloria singularis, quod omnibus omnigenæ pietatis documenta reliquerit. Argumenta summatim indigitamus; quæ uberius indigent explicari, proponet Academiæ Secretarius.

Soluta Oratione.

Innocentia, & Pœnitentia de asserendo sibi D. Aloysio disceptant, in genere Deliberativo, & Judiciali.

Exercitatio 1. *Pro Innocentia.* Exercitatio 2. *Pro Pœnitentia.*

In laudem Divi Aloysii, & Heroum ex secundo Societatis sæculo, qui ipsum imitati sunt,

NOVENDIALE OBSEQUIUM.

D. Aloysius Gonzaga Popularis auræ contemptor.	V. P. Joannes de Britto Aulæ triumphator. In genere Exornativo; stylo presso, aculeato, & florido.
	Carmine Elegiaco.
D. Alysius Societati nomen daturus mundo valedicit.	V. P. Balthasaris Mendes de Loyola, olim Mollei Mahomet Atasi Xerife Principis Fesani, & Marochensis Regni, ad Matrem Epistola, cum Mahometis lege, & imperio abjurato, de vitæ statu deliberaret.
D. Aloysius piæ crudelitatis Author, & Scopus.	In V. P. Paulo Segneri Innocentia Crudelitatis Rea.
D. Aloysius Ethnicorum salutis procurandæ studiosissimus.	Nuperrima ex Tunkinensi regno Epistola cujusdam e Societate JESU, socios ad illam vineam convocantis recenti quatuor Martyrum sanguine irrigatam.

Lyri-

Lyrico stylo.

D. Aloysius veræ nobilitatis Regula, & Exemplar. P. Antonii de Macedo Laudes. Primus enim Christianam Suecorum, Wandalorum, & Gottorum Reginam ad orthodoxam Fidem perduxit. Enthusiasmus Alcaicus hoc argumento: *In eodem curru triumphali, quo Serenissima Christina Suecorum Regina Romam invehitur, Societas JESU triumphat; Hæresis currum sequitur devicta, & triumphata.*

D. Aloysius totus in Dei honore, & Societatis gloria occupatus. P. Jacobus Gretserus 129. Volumina erudite scripsit, quorum præcipuum argumentum Societatis JESU, & Ecclesiæ Catholicæ gloria extitit; unde *Fortissimus Atleta, vigilantissimus veritatis defensor, Magnus Lutheranorum dominor, Malleus Hæreticorum, & Calumniatorum Societatis terror* palam dictitabatur. Ejus Triumphum lyrico furore percitus vates expromet.

D. Aloysius Divinæ voluntati omnino conformatus. V. P. Nicolaus Lancicius per Hæreticos pretiosissimis manuscriptis spoliatus ita se Divinæ voluntati submisit, ut Deus illum hac gratia redonavit: videlicet, ut quancunque sententiam e libris expeteret, illico aperto libro ad votum offenderet. Vario lyricorum genere plausus, hoc argumeuto: *In Lancicio intega Bibliotheca, seu Bibliotheca loquens.*

Heroico Metro.

D. Aloysius SS. Eucharistiæ Sacramento unice addictus. V. M. Andreas Bobola dum ad aras sacrum faceret, in eximium Martyrii sacrificium abripitur: unde *Religionis Victima* Heroica panegyri decantabitur.

D. Aloy-

D. Aloysius B. Virginis clientelæ singulariter mancipatus.

P. Franciscus de Vasconcellos dum studiis navaret operam, adeo B. Virginis studiosissimus erat, ut ejusdem haberetur discipulus. Eclogam dabimus; ubi prius Adolescens sub Pastoris Metaphora socios invitabit, ut ad B. Virginis aras accedant, a qua poeseos documenta doceantur.

Cum plures sint D. Aloysii imitatores, præcipuos attingemus Heroica panegyri, & Aloysium Sanctissimum in JESUITIS secundi sæculi redivivum demonstrabimus.

D. Aloysii imitatores studiose colligimus ex Historia R. P. Josephi Cassani, qui Academicis nostris exercitationibus amplissimam hactenus suppeditavit materiem: siquidem, scriptorum decus eximium, de nostro sæculo, ac Societate JESU optime meritus amœnissimam scribendi methodum, & exquisitissimam styli promulsidem secundo Societatis sæculo consecravit; votum modo adjiciunt eruditi, ut incœptum opus absolvat.

DIGRESSIO INTERCALARIS.

FOrtuita observatio, quod novem scilicet ex Academicis nostris eodem Josephi nomine insigniti gaudeant, pupugit animum meum, ut *Divo Josepho B. Virginis Sponso*, (cujus etiam imago in ara domestica speciali cultu apud nos habetur, quod cum quodam secundi sæculi Heroe, tanquam amicus ad amicum, familiariter tractasset) & *V. P. Josepho Anchieta* duplicem exercitationem Academicam peculiariter consignarem. Nunc eademmet nominis gloria me sociosque meos instimulat, ut Heroas quisque suos pari aliquo amoris signo dilaudemus. Igitur *Emmanel de Azevedo* Rheto. Candidatus, quod mihi nomen sortito obtigit, laudis etiam materie suppeditat Heroicæ panegyri sub hoc argumento ex ipsius vita petito: *Crudelitas in se ipsum acrior, & ingeniosior, quo innocentior. PP. Christophorus, Anto-*

nius, *Gasparus*, *Ludovicus*, & *Paulus de Azevedo*, ab Academicis nostris elegiace celebrandi sunt, hac Thesi: *Egregii claris*, *similes ut nomine*, *factis*.

Majori obsequio dignior *V. P. Ignatius de Azevedo*, cui liceat peculiari originis vinculo adstrictum me gloriari. Igitur duplicem panegyrin ejus, & quadraginta sociorum Martyrum laudi consecramus. Oratoriam stylo fluido ad Ciceronis imitationem dabimus, hoc argumento. *V. P. Ignatii de Azevedo triumphus compendiarius*.

Heroica tandem evadet panegyris Duci præclarissimo, & invictissimæ cohorti consecrata.

Hæc de nostro penu: Insuper Rhetores Candidati, & devotioni meæ indulgentes, & studio suo pro Societatis JESU laudibus indefesso, Exercitationem Academicam, quæ cæteris erit corona, meditantur.

Inter plurima, quæ proprio Marte ingeniose construxerunt Rhetores Candidati: *Hic labor extremus*, *cultique corona laboris*. §§. *P. Joannes Vignier*, ex Gallia in Biblioteca Societatis forte obviavit primo e nostratibus Alumnis; qui inter alios B. Virginis Scriptores ipsum honorifice recenseri animadvertit. Nominis affinitas, origo Patriæ, & B. Virg. amor Elegiæ materiam obtulere Deiparenti Sacratissimæ non ingratam.

P. Emmanuel da Cunha in Maissurensi regno paucis ab hinc annis Protomartyr, nostro, qui secundo loco sedet, Rhetori propter eandem nominis, & cognominis gloriam heroica panegyri dilaudandus committitur.

Tertius, & quartus ex Rhetoribus nostris plurimos in Societatis annalibus reperere, qui eodem nomine, nullum tamen, qui eodem simul cognomine fruerentur. Unde *Joannes de Noronha* brevioribus poematis delegit nobilissimos duos adolescentes, quorum alter ejusdem cognominis, alter ejusdem cognationis. *P.P. Andreas*, & *Franciscus de Noronha*. 1. patientiæ, 2. charitatis victima.

Stephanus Ribeyro undecim hujus cognominis JESUITAS Heroice commendabit ex hac Lusitanæ vocis analogia ad Latinum sensum translata: *Fulmina omnia in Societatis pela-*

gus felici cursu labentia. Brevem quoque elegiam expoliet, hoc argumento: *Stephani sanctitate, & literatura insignes Societatis Corona*.

POETICI CERTAMINIS LEGES, ET ARGUMENTA, SOCIETATIS JESU DUPLICI *SECULO FLORENTIS LAUDIBUS PUBLICE CELEBRANDIS INSTITUTI*.

R E L I G I O.

Argumentum 1. Societatis JESU in Deum Opt. Max. Pietas.

Argumentum 2. Dei sub Euchariſtia latentis in Societate Cultus.

Argumentum 3. Divinus Infans JESUS tenerrimæ Jesuitarum Deliciæ.

Argumentum 4. Crucifixus Dominus Jesuitarum unicus affectuum scopus.

Argumentum 5. Deiparens Jesuitarum Mater, Jesuitæ Deiparentis Filii amantiſſimi.

Argumentum 6. Immaculata B. Virginis Conceptio speciali Societatis ſtudio vindicata.

Argumentum 7. Militantis Societatis cum triumphante Cælitum regno Commercium.

In explendis votis obſervantia.

Argumentum 8. Societatis divitiæ, & Theſaurus in ſtrictiori Paupertate.

Argumentum 9. Societas Angelicæ Puritatis æmula.

Argumentum 10. Societas in obedientiæ cæcæ exercitio oculatiſſima.

Virtutes Religiosæ vitæ comites, & ornamentum.

Argumentum 11. Perenne in Societate orationis ſtudium.

Argumentum 12. Societas in propriæ abjectionis uſu fundata.

Argumentum 12. Pœnitentiæ, & mortificationis exercitatio.

Quar-

Quartum Societatis votum.

Argumentum 14. Peculiaris erga Sedem Apostolicam Observantia.

Argumentum 15. In Orthodoxa Fide Zelus, & Constantia.

Argumentum 16. Societas inter insectantium procellas sereniori tranquillitate felicior.

Argumentum 17. Idololatria eversa.

Argumentum 18. Hæresis profligata.

Argumentum 19. Catholicorum mores reformati.

Argumentum 20. Externæ charitatis officia.

Hæc sunt, quæ hactenus materiam suppeditarunt Academicis Exercitationibus, una, alia ve excepta, quibus studio devotionis erga nonnullos heroas singulari satisfecimus. Animus fuit facili hac methodo indicare, quantum Secundum Societatis Sæculum Primi vestigiis institerit: idcirco tantopere insudarunt Rhetores nostri, ut quatenus per ingenii imbecillitatem licebat, perspicue demonstrarent, primum Soc. sæculum secundi fuisse prototypon, sive exemplar; secundum vero primi exemplum, sive imaginem. Eligant igitur certaturi ex supra relatis virtutibus unam, pluresve, prout maxime cordi fuerit; aptiorem rei, quam laudabunt, figuram excogitent, lemmate superaddito, quod paucis carminibus, prout leges emblemmatis præscribunt, breviter expendant, atque illustrent. §. Interim, ne dum externis injungunt onus certaminis, otiari videantur Academiæ Socii, Academicam ipsi Exercitationem Emblemmatibus omnino definiendam biduo ante pollicentur, in qua prima pars mane viginti emblemmata, ex supra dictis argumentis deducta, per singula Horatianæ Lyræ cantica percurret, atque illustrabit. Pars 2. vespere generatim multiplici emblemmate elegis illustrato concinnabit, quod hactenus Rhetorico-Poeticis, seu Poetico-Historicis Exercitationibus pertractavimus.

INTER DUO SÆCULA PARALLELON.

Litera C in ſpeculum converſa, cum lemmate: *Similis reflectit imago*. Bilanx, æquato pondere, cum lemmate: *Utriuque par*. Signum Geminis, cum lemmate: *Pari nitescunt lumine, & alterum-.Subire credas alterius vices*. Aquila, Romani imperii ſtemma, duplici cum corpore, & capite, ſub hoc lemmate: *Prorogat imperium, qua Sol utrinque recurrit*.

TERTII SÆCULI PRONOSTICON.

Geminæ palmæ in Cælum evectæ, alia juxta ipſas e ſolo erumpente, cum lemmate: *Reliquis par ſurget*.

Auſpicio præerit ipſa JESU Societas Ovidiano carmine illuſtrata: *Annos--Biſcentum vixi, nunc tertia vivitur ætas*. Viginti, quas ſupra diximus, Virtutes officioſo cultu feliciſſimam in poſterum vaticinabuntur, laudeſque terminabunt hoc intercalari diſticho.

Ergo Neſtoreos vivet feliciter annos
Primæva JESU luce dicata cohors.
Victor io, ter Victorio!

Sphæra, Cylindrus, & Cuneus depicti erant cum lemmate:

UNA TRIBUS RATIO EST.

Pro parergis illuceſcet inſtar ſolis Sanctiſſimum JESU nomen cum Virgilii carmine: *Hic jam tercentum totos regnabitur annos*. Stellis e regione micantibus inſcribetur: *Solem ſua ſidera norunt*. Aquila in Cælum pervolans cum natis pone volantibus, addito lemmate: *Tercentum adjiciunt; mens omnibus una ſequendi*. Et quia *Numero Deus impare gaudet*, Ternarium numerum in Soc. felicem demonſtrabimus.

Fe-

Felicissimum de æterna salute tribus Jesuitarum sæculis vaticinium (quod licet humanam Fidem non superat, tenerrimo tamen Sociis, ac dulcissimo est solatio) in quæstionem adducetur : Testes omni exceptione majores laudandi, 1. S. Franciscus de Borgia cum D. Theresia. 2. S. P. Ignatius cum S. Philippo Nerio. 3. V. Fr. Alphonsus Rodrig. cum pluribus e Societate viris Sanctissimis, & V. P. Fr. Laurentius de Mola ex Ordine D. Francisci, &c. Prælegendus V. P. Lancicius in Opusc. & Em. Card. Cienf. in vita S. Francisci Borgia lib. 5. cap. 10.

ÆTERNITATIS AUGURIUM.

Societatis desideria, ut suum gloriæ plenilunium obtineret.

Luna duplici semicirculo quasi pleno (*per quemlibet semicirculum sæculum innuimus*) cum lemmate : *Donec totum impleat orbem*.

Clausula secundi sæculi æquabilem semper in posterum felicitatem ominatur.

Circinus si ab eodem centro incipiat, & altero crure percurrat, circulum formabit; quo finito, si pergas circinum movere sæpius, per eandem lineam circumvolutus ad idem punctum semper redibit. Sic JESUS centrum est, in quod Jesuitæ respiciunt; duplex sæculum circulum format; cum idem semper futurum sit centrum, per eandem semper viam Jesuitæ ultra procedent. Emblemma sit circulus integer cum lemmate : *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.*

Cum vero satis, superque hactenus indicatum sit, quantum secundum Societatis sæculum primo cohæreat, hoc ultimum erit emblemma :

ÆTERNUM SUMET AB ORBE DECUS.

CↃ

C duplicatum litera ſæculum
Duplex figurat: JESU adum inclytis
Æquanda factis ſe viciſſim
Reſpiciunt duo ſæcla: viſu
Cum ſe reflectant æmula mutuo,
Sibique ab omni parte cohæreant.
Æternitatis in perenne
Augurium coaleſcit orbis.

EBORÆ, *Cum facultate Superiorum*, Anno Domini MDCCXLI.

Pro Laurea Poetica accipienda Theſes Honorarias in Gratiam V. P. Ignatii de Azevedo, e Soc. JESU, Ejuſque, ac Sociorum Nomini, Virtutibus, & Martyrio conſecratas Encomiaſtice propugnabunt Joannes Vignier; Emmanuel da Cunha; Joannes de Noronha; Stephanus Ribeiro Societ. JESU, & cæteri Rhetoricæ Academiæ Alumni Primarii; Præſide P. M. Emmanuele de Azevedo ejuſdem Soc. In Eborenſi Academia Primario Rhetorices Profeſſore, die 29. Julii veſpere, Annuente R. P. ac S. D. Joanne Garçam ejuſdem Seciet, Academiæ Cancellario. Quæſtio Præliminaris:

Quænam felicior Inventio in V. P. Ignatio de Azevedo? Multiplicis Martyrii Coronæ.

PRO ELEMENTIS RHETORICÆ.

1 QUanam plus in arte profecerint V. Patris diſcipuli? In Arte *Orandi*.

Quan-

2 Quando in *Amplificandi* arte facundior V. Pater? Cum de B. Virgine, atque imminenti martyrio sermo erat.

3 Quo *Stylo* in compositione utebantur perfectionis studiosissimi Candidati? *Acuto*.

Pro Locis Intrinsecis.

4 *A notatione nominis*: Palma Insula, ex qua proxime ante martyrium solverant Argonautæ faustissimi, victores prænuntiat.

5 *Genus*, quanvis inter alia nobilissimum, nihili habuit V. Pater.

6 Martyrii *Species* cuidam e Societate in eodem pugnæ loco repræsentata est.

7 *A Partium Enumeratione*; Omnia V. Patris membra, sicut acerbe cruciata sunt, ita & gloriose exornata.

8 *A Similitudine*: Dum cælo devota cohors in Rosarum Valle ad expeditionem accingitur, Martyrii Flores exprimit.

9 *Conjugata*: V. Pater divitias impense odit, ut ditior fieret Christi paupertate.

10 V Pater *Contraria* in amicitiam reducit diffidentium pectora.

11 *Ex Antecedentibus* prædictionibus, quibus cælum V. Patri, ac plurimis sociis præluxit, certa martyrii spes confirmatur.

12 *Consequentia* supplicia in carnifices cæli vindictam indicarunt.

13 *Causa* martyrii ex speciali in sedem Apostolicam observantia deducta est.

Pro Locis Extrinsecis.

14 Inter *Testes* maxime annumeranda D. Theresia: siquidem in eadem martyrii hora vidit 40. laureatos milites Angelico comitatu in cælum evehi; quos inter consobrinum suum agnovit, V. Franciscum Peres Godoy.

15 *Tormenta*, licet in SS. Martyribus videantur *intrinseca*,

ca, potius excludenda modo; quo enim acerbiora, eo dulcius in voluptatem vertebantur.

Pro Tropis.

16 *Per Metaphoram*: Feliciſſima cohors dum mortem in fluctibus hauſit, non in portu naufragium, ſed portum in naufragio conſequuta eſt; dum enim multiplici ictu transfixi projiciuntur in pelagus, per mare rubrum cæleſtibus oris appulere.

17. *Per Synedochen*: Quilibet ex ſociis V. Patris plures in zelo, omnes idem in charitate.

Pro figuris verborum, ac ſententiarum.

18 Quæ figura minus placuit cultiſſimo ſanctitatis Magiſtro? *Diſſolutio*.

19 Cui Figuræ ſtuduit impenſius? *Converſioni*; Braſiliam enim convertendis in Deum Barbaris renavigat; Luſitaniam miſſionibus, ac prodigiis illuſtravit.

20 V. Pater, dum Socii adoriuntur certamen, e puppis arce ſacram Deiparæ effigiem attollens mirabili *Adhortatione* utitur.

21 Per *Complexionem*: Dum victima cadit, B. Virginis effigiem complexu tenet.

22 *Suſtentatio* illuxit in præclariſſimo viro vel ipſum poſt funus; cum Deiparæ effigiem adeo tenaci dextra ſuſtinuit, ut a ſacrilegis hoſtibus nulla ratione potuerit avelli.

23 Quæ in V. Patre celerior ac ſublimior? *Gradatio*, Per virtutum apices ad perfectionis faſtigium.

24 Quæ *Repetitio* amabilior? Sui corporis Verberationum.

25 V. P. erga omnia vitæ commoda *Deteſtatione* utitur: Cum Primus Bracharenſis Rector proprium lectulum, ac veſtes hoſpitibus parabat, ut nudus humi cubaret.

26 Quæ in glorioſiſſimo martyrio *Congeries* felicior? Cruciatuum, an conviciorum.

27 *Interrogatio* perfidis Chriſtiani nominis hoſtibus ſuperva-

vacanea; ex modestia quippe Religiosos viros introspicere facile fuit.

28 In V. P. Ignatio de Azevedo acerrima emicuit *Execratio*, cum diuturna fame oppressus oblatas ab Hæreticis carnes Feria 6. constanter rejicit.

29 V. Pater *Similiter cadens* cum sociis.

30 In V. Patre mira *Subjectio* erga omnes.

31 V. Patris *Occupatio* solum in agendo familialiter cum Deo.

32 V. Patris *Communicatio* cum hominibus semper de Deo,

33 In V. Patre quæ *Præteritio* ingeniosior? Pedum, cum siccis pedibus longum flumen transmisit.

34 In V. Patre quæ *Digressio* utilior? Trabis, quam in sui, & comitum perniciem irruentem miraculose divertit.

35 V. Patris Socii orationem non intermittunt per *Tmesin*.

36 Silentium inviolabile custodiunt per *Reticentiam*.

37 In obedientia nunquam usi *Dubitatione*: Cum aliquando expectare jussus quidam e sociis reliquum diei, ac noctis in eadem statione permansit.

38 In hoc Eborensi Collegio, cum e 40. sociis unus ad Brasiliam destinaretur, in hæc exuberantis lætitiæ signa sui impotens prorumpit: *O me feliu..s, quod ero Martyr*, *Exclamatione* utitur.

Pro ultimis Rhetoricæ Partibus.

39 Quænam in V. Patre *Memoria* perennior? Mortis felicissimæ.

40 Quæ *Pronuntiatio* jucundior? Latæ de martyrio sententiæ.

Ad Nobilissimos, ac Sapientissimos Academicos.

Habitæ coram Sapientissimis Academicis ad præsentem usque diem a Primariis Alumnis Exercitationes, ut fortuita observatione deprehendi, quadragenarium adimplent numerum; harum viginti musicos inter concentus; totidem absque simili apparatu (illæ nimirum, quæ panegyrica, Eclogas, prolusiones dramaticas, & orationes continebant) publice sunt recitatæ. Cum præter hæc, poemata longe plu-

plurima, quæ per temporis angustias non licuit exhibere, concinnaverint Academiæ socii, ea nunc omnia quadringentis in chartis transcripta per quadratam atrii faciem quatuor in centurias destributa oculis subjicient curiosis. Horum poematum copia 40. decadas conficiunt; exercitationum par numerus fuit; ex quo postremum hunc Musæ laborem, qui reliquis corona sit, 40. Brasilæ Martyribus, & ipsorum Ductori invictissimo V. P. Ignatio de Azevedo apte, congruenterque dedicamus. Igitur Academicam Exercitationem, cui titulum præfigimus: V. P. Ignatius de Azevedo, & Socii in Cæli Universitate laureati 29. Julii integra die recitabimus.

Unum superest pro coronide; videlicet 20. qui supersunt Primiarios Rhetorices alumnos ob spectatam in certaminibus Poeticis, conviviis, ac publicis recitationibus cum laude poetandi dexteritatem, Apollinari laurea coronare. Lauros vero tanquam doctarum præmia frontium, non ipse modo liberaliter impertiam singulis, sed præstantiores hujus Academiæ vates plenis manibus accumulabunt. Æquum enim est, ut qui novos Poeticæ candidatos, tanquam oculatissimi censores sæpe sæpius audierunt, suisque epigrammatis ac poematis mirifice dillaudarunt, ipsorum tandem aliquando remuneratores sint non cassi laboris, atque indústriæ. Erit, nisi fallor, supremus iste congressus præ cæteris spectatior, atque festivior; quanvis jucunditatis partem non exiguam decerptura sint mutua inter amicos sibi valedicentes desideria. Demum supremæ legentur tabulæ, quibus supellectilis nostræ hæredes constituimus plurimos.

PRO TRIBUS JESUITARUM SÆCULIS,
& nostrarum actionum coronide *Sigillum*.

(IHS)

Nominis JESU inscriptio (I H S) tribus sæculis respondet; siquidem litera I, duabus notis præposita, valet centum. H (sic enim scribitur Eta) apud Græcos centesimum numerum designat; S, litera sæculi initialis est.

EBOBÆ, *Cum facultate Superiorum, ex Typographia Academiæ*. Anno Domini 1741.

Re-

Reverendiss. in Christo P. Nostro Patri Francisco Retz Societatis JESU Præposito Generali.

Romæ.

Reverende admodum in Christo Pater.

APud Patrem damnari filius etsi vereri debeat, injuriosum tamen non est. Hoc consilio ductus animum tandiu reluctantem appuli, ut simplici narratione coram Paternitate Vestra exponerem quidquid in Eborensi Academia, indebito licet, maximo quidem Academicorum plausu meæ effutierunt Musæ. Verebar, sc., Pat. vestræ maximis rebus & necessariam, & intentam solicitudinem turbare, & ad poeticos etiam lusus traducere. Audacem tamen fecit Amor, spes securum, quod nempe Pat. V. dignatura esset perlegere, & qua est humanitate probatura meum in Societatem amorem si minus pro merito pro viribus certe expressum?

Eboram cum mitterer Rhetoricam professurus per biennium, eum mihi eloquentiæ campum apertum reperi, uti qualisqualis ingenioli mei (quod Scholasticis nostris in regula præscribitur) speciem exhibere possem. Igitur cum ad utriusque anni confinium incideret solemnitas, qua secundum Societatis Sæculum feliciter terminabatur, temporis opportunitas mihi viam fecit, ut occasione arrepta, Societatem nostram totis viribus dillaudarem, & quantum filii modestia pateretur, Matrem meam, quam tenerrime diligo, eveherem. Cum tamen in hac Lusitana Provincia humaniorum Litterarum cultura pene intra nos sit, & in eloquentiæ domiciliis vix grammaticæ præceptis exerceantur Scholastici, diu mecum ipse perpendi, quo artificio candidatos meos ad optimas artes allicerem, & quæ Rhetoricos decent, exercitationes inducerem, re maturius cum Moderatore Provinciæ, & Rectore communicata; siquidem ex nostratibus decem numerabam discipulos, & inter extremos

qua-

quatuor in Collegio Nobilium Convictores. Ex his fuit spectatissimus adolescens, qui Poeticas Theses valde magnas defendit die integra eo concursu, quo forsan majorem non vidit hactenus Eborensis Academia. Arguentes ex Primaria Regni nobilitate, Jurisconsultis, Theologiæ Doctoribus, atque ejusdem ex aliis sacris familiis Professoribus, convennere; & opus fuit vespere consuetum tempus ad quatuor horas prorogare, ut omnium sitis aliquantulum expleretur. Hæc vero defendenti maxima evenit felicitas, ut tot inexpectatos Arguentes captando de more benevolentiam, salutaverit (quod ob usitatam titulorum congeriem vel expertis difficillimum) totque argumentis, & tam variis expedite satisfecerit, quin nec verbulo quidem balbutiret, vel cespitaret. Plurimi habuit Augustissima Lusitanorum Regina, cui dicatæ sunt Theses electi Patrocinii observantiam; ipsæ vero ob rei novitatem toto regno ambitiose conquisitæ a primariis, ut Provinciæ Moderatori, & reliquis ubique Sociis palam fuit; Pauculas ipse Ulyssipponem Sociis miseram, quas tamen illico Pater Ludovicus Alvares a Principe, & Infante rogatus collegit; partim ab aliis Magnatibus petitæ sunt. Adeo ipsas evulgaverat fama, quæ prospero defendentis eventu ad summum increbuit.

Thesium hic titulus erat: *Poeticæ Facultatis Amphitheatrum*. Per Spectacula dividebantur; horum ultimum de Ænigmatis agebat, qua de causa invitabantur Academici, ut Ædipum agerent in 30 ænigmatis, quæ egressis ex Aula post Theses per atrium disposita, & appensa proponebantur. Biduo post convenerunt in eandem Academiæ Aulam, qui Thesibus interfuerant, & die integra eruditionis suæ specimen dedere plurimi, inter quos numerabantur R. D.D. Thomas Joseph Casaro in Theologia Doctor, Patriarchalis Ulyssipponensis Ecclesiæ Canonicus, & Innocentii XII. O. M. Nepos; D. D. Nonius Alvares Pereira de Mello Cadavalensis Ducis Filius, D.D. Michael Lucius de Portugal, & Jaimius de Sylva Telles, Marchionum hic de Alegrete, ille de Valenca, Filii, & plurimi alii summæ au-

authoritatis. Hujusmodi vero actus ratio hæc instituta fuit: Postquam ex Aulæ suggestu breviter proludebam, qui primum dissolverat ænigma, illud erudite elucidabat, meamque in laudem demum excurrebat; tunc laudes in ipsum vertebam eodem metri genere, & unus ex designatis Ephæbis præmium ferebat; quod libro ascetico, & lamina picta conflabatur, cristallino margine ornata, pendentique e vita sericis, aureisque filis distincta. Tum Musici concentus applaudebant.

Inter cætera pollicebatur defendens singulas Theses propriis carminibus se ornaturum in Arguentis laudem ab argumento deductam, & pro quinque aliis, quæ seligebat, argumentis. I. Beatissima Virgo JESUitarum Parens vigilantissima. Secundo D. Aloysius, quem primum Societatis sæculum testatum est omnigenæ virtutis exemplar, secundum in aris colit Schorarum Patronum. Tertio D. Joannes Nepomucenus, quem Societas in secundo Sæculo præcipuum sibi Patronum adscivit. Quarto, Quatuor Tumkinenses Martyres secundi sæculi corona. Quinto, Eborensis Academiæ laudes in utroque sæculo pariter florenti commendabili secum ipsa æmulatione. Prædicta argumenta per diversos inde dies poeticis exercitationibus illustrata sunt; Ultimum vero Quindecim actores tragico apparatu instructi exhibuerunt. Eadem quinque argumenta publice sunt exposita certis legibus, quibus externi ad poeticum certamen invitabantur, ut Musas suas Societatis laudibus dicarent. Plurima collecta sunt poemata, tum Lusitana, tum] Latina, quæ Primariis Academiæ viris recognoscenda commisi. Certamini Præses erat Illustr. Nonius Alvares Pereira de Melo. Judices R. P. Fr. Josephus de Lemos Eremita D. Augustini Primarius Theologiæ Professor, & Visitator Provincialis in Transtagana Provincia, & D. Ignatius de Fontes Murteira Academiæ Sindicus; nec non e Nostra Societate P. D. Michael de Almeida Primarius Theologiæ Professor, & ejusdem Nonarius Lector, P.D. Didacus Pacheco; Secretarius Rev.D. Franciscus Martins Palma. Hi omnes in Aulæ Theatro distribuendis præmiis interfuere; ipsa vero

ro, tribus libris, & duodecim munusculis constabant devotionem concernentibus. Igitur in septem Spectacula dividebantur Theses; & totidem exercitationes (omnes inter musicos concentus) subsecutæ sunt.

Hæc in secundo Rhetoricæ; ubi ad primum ascendi, majora sum meditatus. Societatis annales evolvi, & præcipua Sociorum facta ad 20. capita reduxi, sive virtutum genera; inde Rhetoricas exercitationes singulis hebdomadis exhibui, quibus singulæ ex viginti virtutibus in utriusque sæculi Sociis demonstrabantur; & peculiares Virtutum actus peculiari illustrabantur poemate, hoc argumento. *Academia Rhetorico-Poetica, seu Poetico-Historica pro Societatis JESU laudibus instituta. Primum Societatis sæculum secundi sæculi Prototypon, sive exemplar. Secundum Societatis sæculum imago primi sæculi, sive Exemplum.* Hoc fortunæ meæ debui, ut discipulos ex nostratibus sortitas essem ita studiosos, ut mihi vel in minimis moram gererent; ita vero provectos, ut potius comilitones appellarem. Academicarum exercitationum ratio multimodis erat, plerunque tamen ita disponebatur: Me de suggestu dicentem nostrates sequebantur, qui ad Cathedræ dextram sedes sericas occupabant in theatro; ad lævam discipuli mei externi (modo decem, modo pauciores numerabantur) in medio accommodabatur orchestra. Per Aulæ latera erigebantur subselia digniora tapetibus ornata, in quibus ex sacris familiis viros, & Doctorali laurea insignitos excipiebam, quos invitatoria epistola eorum benevolentiæ certus monitos pridie faciebam. Ipsi vero finita exercitatione poematibus suis idem tractabant argumentum, seu me, Rhetoresque meos humanissime laudabant, quibus encomiis grata animi significatione, & vario poetandi genere respondebamus.

Habetur in sacello valetudinarii nostri Imago D. Josephi Beatissimæ Virginis Sponsi, quæ cum socio ex secundo sæculo familiariter loquebatur. Hæc Efigies publice exhibita peculiari exercitatione dillaudata fuit. Peculiarem quoque exercitationem V. P. Josepho Anchieta dicavi, nempe fortuita Observatione deprehendi omnes decem discipulos, qu

de-

declamare consueverant, primo tantum excepto, eodem Josephi nomine insigniri. Quilibet etiam ex nostratibus quatuor Scholasticis (tot enim in disciplinam meam traditi sunt) sui nominis Hæroa sibi dillaudandum selegit. A, me vero V. Fr. Emmanuel de Azevedo, cum aliis viris Sanctitate illustribus ejusdem cognominis unica exercitatione celebratus est. Triplex inde exercitatio consecrata V. P. Ignatio de Azevedo, cui peculiari Sanguinis vinculo me adstrictum glorior. Demum in honorem D.Aloysii Gonzagæ, cum societati habeatur in deliciis, & studiosæ juventutis Patronum agat, Novendiale Obsequium poetice instituimus, præcipuosque tanti Exemplaris imitatores varia poetandi methodo exornavimus; Minori tamen apparatu & sine concentu Musico.

Pro Academicarum exercitationum corona triduum literarium sub convivii metaphora exposui Curiosis. Convivium primum ænigmaticum ita parabatur. Absoluta Exercitatione Poetica sub hoc titulo: *D. Aloysius Gonzaga Abstinentiæ Exemplar*, egressis ex Aula patebant centum Enigmata per quatuor atrii facies disposita, antigrapho margineo curiose picturata. Singula aves, pisces, bellaria, potiones, poma, & quæ lautissimo in convivio amari solent, pro decadum varietate distributa continebant. Dissolutis ænigmatis duplex dies, ut exponeretur, assignata est. Prima Religiosis, Sacerdotibus, ac Doctoribus supra Quinquaginta, qui Ædipum agere in convivio non sunt dedignati; Secunda cæteris Academiæ alumnis. In destribuendis præmiis hic Ordo habebatur: Ad anteriorem cathedræ faciem, in qua Præses eram nostrates sedebant quatuor Scholastici; his hærebat mensa, in qua sternebantur præmia. Quatuor inde Adolescentuli minores occupabant sedes parati ad portanda præmia. In medio surgebat arbor procera in centum ramos artificiose subolescens, quæ 1540 diversæ magnitudinis icunculas, tanquam fructus, ostendebat. Cuilibet Ædipo (data Ænigmatis sui ratione, quam brevi elogio claudebat) ego, & nostrates Alumni humaniter respondebamus epigrammatis, suumque emittebamus præmium, quod constabat ramo

mo ex incuncularum arbore avulso, libro ascetico, & pictura cristallo marginata, pendentique e vinculo, ubi plurima devotionis munuscula varie conserta illaqueabantur. Collatum prœmium comitabatur festivum Euge, quod pleno choro emissum gratulabatur Ædipo.

Convivium secundum symbolicum. Aliquibus ante diebus affixa in atrii foribus tabula externos ad certamen provocabat; virgintique exercitationum Academicarum argumenta Symbolis illustranda proponebat. Constituta die certamini Præses sedebat Illustriss. D. D. Nonius Alvares Pereira; proximum in Theatro occupabant locum Rev. Doctor Franciscus Xavier do Valle in Archiepiscopali Sede præbendatus, qui, ut omnium nomine actum aperiret, invitatus est. Secretarius fuit Doctor Christophorus Xavier da Sylva Ganhoteiro Jurisconsultus & Poeta in toto Regno celeberrimus. Judices Rev. Doctor Antonius de S. Martha Canonicus D. Joannis Evangelistæ, & Rev. Doctor Ludovicus de Zambuja, e Collegio. Nostro P. Doctor Joannes Valente Vesperarius Theologiæ Professor, & P. Benedictus da Sylva Sacræ Paginæ Interpres; ultimam obtinebat Sedem R. P. Fr. Franciscus a Conceptione ex Observantia Seraphica, ut certamen panegyri clauderet. Tot Epigrammata, ac poemata recitarunt, tum octo supradicti, tum qui præmiis donabantur, ut; duplicem in diem certamen dividere necessum foret. Præmia similiter distributa sunt, atque in ænigmatis; hoc tantum incremento, quod arboris ramos (iterum enim vestita apparuit) non icunculæ, sed Manilenses fructus, qui Fabbæ S. Ignatii appellantur, exornabant; & vincula, e quibus picturæ pendebant, pluris ob locupletiorem texturam habenda erant.

Convivium tertium Rhetoricum. Ut Philosophiæ alumni emenso literario penso, Theses propugnant, quod pensum Mensas vulgo appellant, ita viginti Rhetoricæ Candidati (totidem eo tempore numerabam) Rhetoricas etiam Theses propugnarunt die integra eadem omnino methodo, quam in Lusitana Provincia Philosophi observant. Hunc arbor reviviscens tertio conspecta est in specie Vitis

tis, quæ racemosos dividebatur in ramos; pro racemis tamen globulos precarios Indicos quos vulgo dicimus de *Ambalacata*, substituebam. Defendentibus, & Argumentantibus distributi sunt hujusmodi palmites, & magnitudine, & racemorum numero diversi. Hoc triplex convivium, necnon utriusque elapsi seculi parallelon, Tertii sæculi Prognosticum, & Æternitatis augurium explicatius in folio typis impresso P. V. constabit.

Supererat alumnos meos Poetica laurea coronare, quod ultimo die lectivo sum adeptus. Cum vero præter exercitationes publice exhibitas, plura private concinnaverint poemata Musis non ingrata, omnia omnium oculis subjicere statui, ut clarum indefessi studii argumentum, ac multiplex ad lauream meritum patefieret: deprehendique exercitationes poeticas quadragenarium numerum adimplevisse, & insuper quadraginta poematum decadas Rectores Primarios pie eruditos concinnasse, quas per quatuor atrii facies appendere; tum vero Exercitationem Academicam cæterarum coronam exibuimus mane, & vespere Teses honorarias V. P. Ignatio de Azevedo, e cujus vita quadraginta etiam puncta cum analogia ad Rhetoricas Præceptiones derivavi, & Arguentes præmonui, ut certo loco sederent, ubi arbor nunc in frondentem Laurum renata ramos coronis plenos ostendebat; tum varia inter encomia conferebatur laurea a quatuor viris in diversis facultatibus Doctoribus, & omnigena eruditione præstantissimis; ipsis vero politiores lauri ramos redonavi, & plenis manibus jussi dispergere per hospites Humanissimos, quos supremum sum alloquutus; Aulæ valedixi, ac supremas tabulas perlegi tanquam Musis moriturus. Pro Coronide cuilibet ex discipulis sacram effigiem contuli in extremum amoris signum, & expressi in imagine Herois virtutes imitari hortatus sum. Prædictas Theses Paternitati Vestræ cum hac charta affero.

Igitur intra quatuordecim mensium spatium a propugnatis Thesibus magnis Poeticis die 28. Martii anno 1740. usque ad Theses Rhetoricas die 29. Julii anno 1741. (Dies uterque Sabbatum fuit Beatissimæ Virgini consecratum,

 quam

quam hoc obsequio propitiatam volui labori meo & auspicium, & coronam) Quinquaginta Rhetoricæ exercitationes publice datæ sunt, præter 530 poemata, quibus appensis ter atrii interior facies undique exornata est (Exercitationum, ac poematum non reputo multa, quæ ex Magistri officio statis temporibus de certis argumentis inveterata consuetudine exhiberi debent) Prima & secunda poematum exhibitio Ænigmata 130 protulit vario metro, arteque; proponebantur vero magno in folio non rudi penicillo pictas; tertia 400 Epica, Elegiaca, & Lyrica omnigema parvo in folio, ut plurima locus caperet; nec deerat tamen foliis ornatus picturatis non perfunctorie marginibus. Tricies adhibitus prolusionibus chorus præcipuis illius Urbis tum Musicis instrumentis, tum vocibus instructus. Præmia distributa sunt primo anno ad centum, secundo ducenta. Omnia in societatis nostræ honorem, cujus nuncupari filium mihi summum est. Voluique hoc qualiquali labore de Matre mea amabilissima benemereri. Utinam omnia ad majorem Dei gloriam etiam dirigerentur.

Quantum vero hujusmodi exercitationes optimarum artium studia promoverint, conjicere pronum est, tum ex eo, quod egregios viros non tam ad spectandum concitarint, sed suam quoque symbolam conferre humaniter in Primaria Rhetorices Aula non dedignarentur; tum etiam, quia in ultimis exercitationibus Gymnasii fores militum præsidio munire opus fuerit, ut Religiosis, Doctoribus, ac Magistris aditus pateret, locusque vacuus expectaret, neque ab Academica turba occuparetur. Scio etiam plurimos ex vicinis pagis spectandi studio Eboram confluxisse, noc defuere litterati viri, qui licet Musas eunquam a limine salutaverint, novo œstro incitabantur; & gloriabar profecto, quod in Carminibus suis pietas cum eruditione pugnaret. De libris Poeticis, ac Rhetoricis plerique curiose inquirebant; ipsosque, qua poterant, undequaque curabant. R. P. Iosephus da Sylveira, qui præsentia sua, tanquam Academiæ Rectore authoritatem & gravitatem addebat, communem omnium plausum, & festivam acclamationem testari poterit, quæ satis probata fuit nocturno externorum poetarum concursu, qui vo-

vocibus, & instrumentis Musicis necnon ignitis missilibus instructi prope collegium tribus noctibus successivis confluxere, & ultra quatuor horas immorati sunt extemporanea certatim carmina recitantes, quod Obsequii genus in Lusitania Maximum vulgo dicitur: *Oiteiro*. Cum vero fortuito iter fecerim vacationum initio, discipuli externi excursionem meam subodorantes, incertique, an irem rediturus Eboram, me comitati sunt officioso equitatu plusquam per tria Milliaria; nonnulli etiam per sex leucas Lusitanas, quin, summa contentione adhibita, insolitum obsequium, aliisque invidiosum declinare potuerim.

Non minora benevolentiæ testimonia inter nostrates sum expertus, qui festiva congratulatione dictitabant Optimarum artium studium nunc maxime florere; in Primaria Rhetorices Aula eloquentiæ domicilium eruditiouis palæstram, & politioriis literaturæ emporium constructum demum fuisse. Plurimi primariæ authoritatis curam meam repetitis epistolis, quas servo, gratati sunt verbis amore plenis, inter quos Provinciæ Moderator R. P. Iosephus Moreira, cujus literas humanitate redundantes maximo habebam in pretio; hoc tamen mihi patefecit, cum secundo anno mentem meam illi exposui, scilicet, quod Paternitas V. ægerrime tulerit me Lusitanis carminibus usum fuisse; quapropter ab illis me penitus abstinerem. In mandatis enim habuerat me pœna quæ posteris in exemplum remaneret, plectere; quam suspendere judicarit, donec P. V. iterum consuleret.

Indolui maxime, quod tam longe male audirem, ubi facile audiri non possem; & quod neque prius Rectori, neque Provinciali hæc delata esset culpa, ut me citius corrigerem, & corrigerentur etiam Theses, quæ (postquam maxima cum laude approbatæ sunt) in typographia Collegii nostri palam omnino impressæ omnibus innotuere sociis, antequam extra prodiissent. Verum liceat factum exponere, non ut crimen excusem, sed ut pateat ignorantiam meam condanari aliquatenus posse. Supponendum igitur arbitror, quod licet Lusitana Carmina a societatis Scolis abhorreant, non adeo aliena sunt, ut aliquando pro speciali aliqua ra-

tione admitti cum laude non ſoleant. Omitto declamationes quaſdam Luſitane datas anno proxime elapſo a primario Præceptore Pertuenſis Collegii, de quibus tantum ſcio a noſtris cum approbatione, & plauſu audiri ipſas. Sed hujuſmodi exempla in Collegiis minoribus frequentiora ſunt. In Collegio D. Antonii Magni, cum ſodalitas de novo erigeretur D. Ioſepho, dialogum Luſitano metro de D. Ioſephi laudibus conſcripſi, qui tam noſtrorum, quam externorum acclamatione datus eſte theatro; nec obfuit, quod interea temporis Magiſtrum agerem in prima Regni urbe, & ſupra tercentos diſcipulos numeraſſem. Hoc poetandi genus, licet alias ſit rariſſimum, duplici eventu ſemper hactenus uſitatum fuit in hac Provincia. Primo in Apotheoſi ſanctorum ſocietatis; tum convocantur Muſæ, tam Latinæ ad Theatra, quam Luſitanæ ad exercitationem illam, quæ dicitur: *Oiteiro*, in qua Noſtrates Muſas externorum laceſſunt in certamen. Cum vero Sæcularis ſocietatis annus mihi ſeligeretur ad laudandum, & ſpontaneos Comites haberem tum ex ſacris familiis, tum ex Doctoribus & aliis dignitatibus conſpicuos viros, mihi viſum fuit non contra Provinciæ conſuetudinem factum iri, ſi, quanvis parce, Luſitanis carminibus uterer. Secundus eventus, quo noſtrates Luſitana Carmina Latinis interſerunt, ut eruditionis omnigenæ ſpecimen præbeant, eſt, cum Theſes Rhetoricas, ſeu de Humanioribus literis publice defendunt; ita certior ſum factus, cum ſociorum plurimos interrogarem, qui Teſibus interfuere, quas anno 1716. prupognavit P. Antonius de Almeida, & anno 1717. P. Dominicus Pinheiro (aliis enim antea propugnatis nullus qui modo vivat intereſſe potuit.) Quæ duæ Luſitanis, Hiſpanis, & Latinis Carminibus refertæ ſunt ut in compoſitione eruditio luceret; Præſes vero Defendens, & Arguentes Luſitanis etiam Carminibus in Laudando contendebant. Facit ad hoc, quod in Theſibus Mathematicis plurima exponuntur Luſitane, ut omnibus facultas ſit impugnandi. Cum denique in eruditione Poetica plurimi ſint conſpicue verſati, qui tamen Latina lingua non polleant, videtur laudabile aliqua in

The-

Thesibus Lusitane intersérere, ne illorum objectiones videantur declinari.

Quæ cum ita sint, aliqua in meis Thesibus notabam simili permissione digna; nempe quod primo: mole sua anteactas quadruplo, & plus excedebant. 2. Aliquæ in illis Gymnasiis, in quibus Magistri discipulos suos erudiunt, ut ita dicam, private propugnatæ sunt; nostras vero in aula publica Eborensis Academiæ defendimus, ita ut nunquam alias Theses humanisticas vidisset Aula major in Lusitanis Academiis, & triduo ante ad 800. Theses per Civitatem distributæ sunt, ut quibuscunque arguentibus libere pateret aditus. Licet tamen in Poeticis Thesibus omnia poetandi genera exponi debuerint, qua parsimonia Lusitana carmina delibem, & modeste dissuadeam, clare indicat in ipsis Thesibus Spectaculum *6.* Ludus 4. in puncto *65*, *72*, *95*, & *96*, & Parergon Poeticum in medio. Similiter in defendendis Thesibus adeo parcum me gessi, ut ea tantum Lusitane recitarem, quæ Camonium cum Virgilio conferendo, & in laudem Beatiss. Virginis Parergon Poeticum & geniale pollicebatur; & quæ etiam ex argumentis, aliisque circumstantiis deducebam extemporanea Carmina Lusitana eodem metri genere, quo Arguentes meditata Carmina ad argumenti ornatum, vel in meam, aut defendentis laudem referebant. In die, qua ænigmata sunt exposita, cum Viri magnæ authoritatis ad explicati enigmatis finem me Lusitane laudarent, Lusitane retorquebam in ipso laudem, idemque factum qua die distributa sunt præmia tam in Lusitano, quam in Latino Carmine victoribus. Quæ omnia conjiciebantur aperte ex Præfatione ad Arguentes, & ex Appendice in fine Thesium. Verum in hismet diebus prolusiones Oratoriæ, pleraque poemata & epigramata, imo omnia, quæ meditabar prius, Latina omnino fuere, ita ut Lusitana Carmina pars esset minima, & accessoria. licet in illis utpote extemporaneis maxima laus, & plausus constiterit. In reliquis exercitationibus nec verbum quidem Lusitanum auditum est. Ex his facile constabit Paternit. Vestræ me etsi imprudenter, innocenter etiam fecisse

Et mecum ipse gloriabar, ac sæpe sæpius B. Virgini, ac Crucifixo Domino gratias egi suavissime, quod in tanta rerum varietate nihil aliud, quod hactenus sciam, damnaretur; præsertim cum nemo sit invidia illa, quæ cæterorum æmulatione oritur, tam immunis, ut plurimos sui lynces vitare possit. Vix tamen de voluntate Paternit. Vestræ certior factus sui, adeo religiose obtemperavi, ut in 42. secundi anni exercitationibus Lusitana Carmina penitus abiecerim; cumque a me, vel a mei alumnis respondendum erat laudibus Lusitano metro datis; utebamur Carmine Latino ita ad Lusitani leges elabatato, ut Latina lingua Lusitanis numeris regeretur; & sic poteram hospitum humanitati satisfacere & Paternit. Vestræ, (cujus placita reverenti animo excipio, maximi facio, & omnibus præfero) ad amussim obtemperare.

Hæc omnia ita paravi, ut discipulis meis non deessem, neque enim ullum vel semel mihi substitui per totum quinquennium necessum fuit. Externi ad scientiam permoti sunt plerique cum laude. Nostrates præter fiduciam in dicendo, quæ maximi momenti est, adeo adepti sunt facilitatem scribendi, ut in cunctis certaminibus primas omnino tulerint, & inter reliquos nomen habeant singulare.

Sumptus omnes suppeditavit libentissime Pater meus, ne collegium ære alieno alias oppressum minimum experiretur detrimentum. Illud vero maximi pendo, quod Parentem habeam Societati nostræ addictissimum. Cum Lamecensis ditionis Prætor esset, a Lamecensi Episcopo nescio quibus de causis nobis infensissimo Societatem sæpe tutatus est; ita ut Episcopus palam dictitaret optimum illum esse Prætorem, nisi esset JESUita. Quæ, & similia benevolentiæ signa præbuit, ut testari poterit P. Antonius de Torres, qui tum in Lapensi Residentia prope Lamecum degebat. Nunc in Residentia Quarquere hæreditatum Conimbricensis Collegii & numerum recenset, & authoritate publica limites recognoscit, propositus a Rege Judex, quod munus gratis omnino exercet, cum maximum stipendium ea cura hujusmodi Judicibus afferre soleat.

Hu-

Hucuſque dicta mecum ſtatueram ſilentio premere, neque aliud ſumma reverentia, qua Paternit. Veſtram ſuſpicio, mihi trepidanti conceſſerat. Cum vero redux ab excurſione quodam vacationum tempore reſcirem, quod omnium noſtratium Academicorum votis laurea mihi Philoſophica expoſcebatur, impetrabaturque, plurimi jam laureato perſuadere, ut mea omnia Paternit. Veſtræ aperirem (nempe Filii eſt omnia Parenti ſuo detegere) præſertim cum epiſtolæ meæ nanciſcerer Miniſtrum Fidedignum, & Teſtem omni exceptione majorem R. P. Joſephum de Sylveira Provinciæ Luſitanæ Aſſiſtentem, & meum in Eborenſi Collegio Rectorem. Illum per literas Ulyſſiponem miſſas conſului, qui non tam probavit ſententiam, ſed humaniter ſe obtulit ad portandam Epiſtolam. Hæc vix conſcripta, juſſus ſum extempore Ulyſſiponem iter facere, ut ipſum R. Patrem comitaturus in Urbe Sacram Theogiam excipiam, qua propter itineri me accinxi, & nunc ad pedes Paternit. Veſtræ provolutus ſuſceptæ laureæ gratias ago quamplurimas, cum collata ſit ex cauſa, quæ rariſſimum, & venuſtum habet exemplar; & ut mihi ſummo ſit in pretio, ſatis eſt a Paternit. Veſtra donari. Hujus audaciæ meæ prolixe ſcribendo veniam ſuppliciter exoro, & Paternam benedictionem amantiſſime efflagito.

Paternitatis Veſtræ

Filius minimus & Obſequientiſſimus Servus.
Emmanuel de Azevedo.

Scripta Eboræ 3. *Decembris* 1741. *Inchoato ſtudio Theologiæ anno primo: humiliter oblata Romæ eodem anno Scholaſtico, vix ibi perveni Menſe Majo, Anno* 1742.

Digressio Jocoseria de Præcedentia Metri ad Laudes & Musicam.

Si juvat Heroum digne gesta inclyta Cantu,
Et gravibus celebrare modis, se Carminis offert
Majestas, gaudetque Heroum a nomine dici.
A oitava he hum verso magestoso,
Heroico nos assuntos, que descreve,
Que por grave por sutil por engenhoso
O assombro a respeita, como deve.
Nenhum poro sutil, e estudioso
A taö sublime versejar se atreve;
Onde somente goza gloria tal
Italia, com Castella, e Portugal.
Si pede (nec dubites) Elegeja claudicat uno,
Nil nisi mellifluum, nil nisi dulce sonat.
Dulce quidem carmen, nec Apolline dignius ullum,
Cui veniunt faciles ex Helicone Deæ.

Naô ha cousa mais suave
Que hüa Decima elegante;
Na jecoserio he galante,
No serio he verso mui grave.
Per tanto ninquem se agrave
De que seja preferida
Nos outoiros; repetida
He sempre, sempre estimada,
Naô deixando por usada
Da ser a mais applaudida.

At altiori personat impetu
Alcæa forti digna metro lyra,
Ausuque vates eloquenti
Ingenii spatiatur arvis.
Quintilhos, Soltos, Sextas e Cançoens
Tudo se pode ver no gram Camôens.
Aut sonos dulces lyra grata Sapphus
Edat arguta modelantis arte,
Quæ potest sævos cohibere læto
Carmine tigres.

O lauvor naô se ligou
A verso determinado;
Todo o verso he elevado,
Se o poeta o sublimou.

Seu

Seu mage ridet
Carmen Adlonis.

Poeta agudo
Com verso breve
E pode e deve
Fazer bem tudo.

Cothurno Jambus convenit superbior,

Con quattro versos se ageita
Hũa nobre redondilha,
Que se tem por maravilha
Da Idea mais perfeita.

Seu te Musa Glyconica
Sive Anapæstus juvat ad laudem.

E ja que na fantasia
Buscamos hum verso grave,
Nos brinda com munto gosto
A fluides de hum Romance.

Quid tamen Cytheræ laudibus immoror?
Quisquis se lyricis Vatibus inserit.
Sublimi feriet sidera vertice.

O Soneto de hun verso singular,
He sobre si, por so, por elevado.
Hum pensamento agudo bem tratado.
He hum Epigramma nobre, sem desar.
Quatorze verços tem, sem se affastar
Do conceito que foi ja começado,
Que nos quartettos fica preparado,
E nas terzettos deve resaltar.
He serio, he jocoserio, he elegante,
He altivo, he suave, he engenhoso,
Da brio â fantasia penetrante.
He hum poema em fim conceituoso,
He hum rajo do engenho fulminante,
He hum clarim da fama glorioso.

Quanquam Epigramma breve est, brevitas Epigramma venustat,
Adde quod in *Verbis* est anagramma *brevis*.
Omne metrum parili sibi Musica vindicat arte,
Cantibus, & Cytharæ convenit omne metrum.
Musicus, & vates tenui descrimine distant;
Alteruter partes alterutrius agit.
Arguta carmen modulatur arundine Vates,
Musicus arguta carmina Voce canit.

Car-

Carminis ad modulos cytharæque lyræque sequuntur ;
Ad Cytharæ modulos nectitur arte metrum .
Versibus & lyricis lyra præbuit aurea nomen ,
Et grata Heroum Carmen arundo sonat .
Insignis metro , Cytharaque in signis Apollo ;
Musa potens cythara , Carmine Musa potens .
Dicitur Amphion Lapides flexisse canendo ;.
Qua lapides flexit , Musica carmen erat
Orpheus in sylvis , inter delphinas Arion
Pectinat arte fides , illigat arte metrum .
Ars numerosa metrum est , ars est numerosa canendi ;
Ista suos sonulos complicat , illa suos .
Altera deficiat , non gratia deficit omnis ;
Utraque jungatur , tum lepor omnis adest .
Musica dulce melos , melos est quoque dulce poesis ;
Auris ad arbitrium ducis utrunque melos .
Musica nunc medio sistit modulamine , rursus
Solicitat resonas voce sequente fides .
Nunc medio versus pede sistit , & alta repente
Verborum pompa tollit in astra gradus .
Et modo serpit humi , modo tendit in ardua carmen ;
Sic pariter surgit , deprimiturque sonus .

ARTIS POETICÆ FINIS.

Hactenus hanc placuit præscribere Vatibus artem :
Majus erat nostris viribus illud onus .
Selige quæ prosunt , quæ sunt mage grata legenti ,
Cætera maturo respue consilio .
Nunc exempla damus , quanquam non cuncta probari
Digna leges , aliquid plurima laudis habent .
Selige quæ prosunt , quæ sunt mage grata legenti ,
Cætera maturo respue consilio .

FINIS

E X-

E X E M P L A.

SERENISSIMO PRINCIPI

PAULO RAINERIO VENETIARUM DUCI.

E P I G R A M M A.

IN folio veteres colis Officiosus Amicos,
  Sedulus & populo vivis, & inde tuis.
Libera quæ summæ permittunt otia curæ
  Non intermissæ tradis amicitiæ.
Regia non mutat, sed dat cognoscere mores,
  Quos nihil ulterius dissimulare juvat.
Te celebrata diu Regno merita ampla locarunt,
  Sic Tibi crevit honos, utilitas aliis.

In ejusdem Effigiem affabre depictam.

E P I G R A M M A.

VIvaces oculi, tranquillo gratia vultu,
  Frons placida, ingenuo risus in ore gravis.
Omnia conciliant tenerum reverenter amorem,
  Regia Majestas, forma venusta simul.
Visa loqui facies nullis obnoxia damnis,
  Labra genasque ostrum, cætera candor habet.
Aspicis ut propria ludant in Sede lepores,
  Dum cuncta Adriaco Principe digna notas?
Accessu facilis, visuque affabilis, omnes
  Allicit, ut docta noscitur effigie.
Nec bene discernis, dum Principis ora tueris,
  Ante oculos Princeps, vel sit Imago tuos.
Nobilitas operis trepidantem instruxit Apellem
  Lætum felici se superasse manu.
Sic animi fulget speciosa latentis Imago;
  Hæc tamen externi signa decoris erunt.
Sublime ingenium, pietatem, & mentis acumen
  Non ars ulla potest, non color exprimere.

In distributione præmiorum Victoribus in Grammatica, Rectorica, Poetica, & Doctrina Christiana. Coram Augustiss. Lusitaniæ Rege Joanne V.

PROLOGUS.

Adeste, Rex ter maximus, Felix, Pius,
Adeste magni, parvuli, medioxumi,
In hoc Minerval annuum, in Palestricos
Labentis anni ludricum versorium.
Sed quis facete bombilat? quis abnuit?
Favere linguis? bovinantur? mussitant?
Ecquis susurrat? ecquis adrumat pede,
Dupus maligno? Tussiunt? risus cient.
St: conticete paululum, fultri date
Operam loquenti; nuntium paucis dabo,
Brevitas placebit: date potestatem, ut mihi
Liceat Statariam agere per silentium.
Quid ora corrugatis? animum advortite.
Io! Stat omnem vortere in grates precem?
Sedata vultu murmura intento premunt,
Mutire nullus audet! Oh tandem silent.
Ad institutum pergimus, primum, hospites,
Salvete Sospitesque facio, & indies
Lysiæ virete flosculi; sæculi decus
Juventa nostri: proxuma est ad præmia,
(Præmia labore digna solicito peti)
Palladis alumnos, æmulum Laudis genus
Allicere cura: Regia ubertim manu
Donanda meritis publico certamine
Parata specitis: Cuique promeriti sua
Elargientur Judices æquissimi.
At inquietum palpitat tibi corculum?

Tibi,

Tibi, cui calore gloriæ pectus flagrat?
Animumque meriti conscium exhaurit pavor?
Morare; forsan; lætus excedes: modo
Fecisse floci præmium te pœnitet?
At primus est tibi, proxumus tibi labor?
Primo frueris præmio, tu proxumo.
Tu quid vagaris aula, & ardelio locum
Servare nescis? Sive somno deditus
Seu philogeli inter philologos parteis agis;
Præripuit alter quidquid expectas miser?
Tu dum Magister prælegit, cimbas leves
Tenui papyro construis? Muscas capis?
Nil hic moraris, ad merendam pergito.
Pensastis æqua lance, sed primum tamen
Non vostra potuit, Judices, Themis dare
Debetur illud Domino, & accipiet dator.
Hic inter omnes optime de litteris
Meretur, omniumque calculis locum
Sibi vendicabit maxumum, & primas feret.
Igitur Joanni præmium primum optimum
Laudis coronam sistimus; gratos vicem
Testantis animos, nec aliud Regem decet
Præter coronam, laudeque excepta nihil
Sistere clientes munere accepto solent?
At singulare præmium! ita primum, ut simul
Careat secundo: Laudibus parco tamen,
Audisse quas hinc sæpe vos memini, & quidem
Non magna possunt tempore includi brevi.
Sed quis coronam? præmium quis afferet,
Regique sistet poplite inflexo suum?
De plebe nullus audeat; at ex quatuor
Religio, Grammatice, Metrum, Eloquentia;
Cum Rege dignas facit honorando loqui,
Postquam ipse magnas fecit, at vostrum tamen

Sit

Sit utra vincat: Voſque, quos prima fovet
Rex in juventa mutuam primum invicem
Inire pugnam: præmium inſurgens novum
Ligata cum ſoluta ineat Oratio.
Quæ maxumos quidem decent Scholaſticos,
Sedebo tacitus, & interim attente audiam.

GRAMMATICE.

IN ego Grammatice, fax prævia mentibus, author
Ingenii, nutrix ſedula prima, Comes.
Nanque ubi prima manu finxiſſe elementa juventus,
A juſtis didicit nectere verba notis,
Me petit, & timidas a limine provida mentis
Dirigo, mille animis inſinuanda modis.
Et doceo in varios inflectere nomina Caſus,
Aptaque temporibus ducere verba ſuis.
Et doceo ignotæ pueros commercia linguæ,
Ut latiis reddant Lyſia verba ſonis.
Sæpe tamen dolui, quod in otia prona juventus
Devovet ad Stygios noſtraque, noſque lacus.
Aut ferula (ut monitis non eſt locus) imminet ultrix;
Pigram animo (credas) excutit ipſa luem!
Ne mala deſidiæ vires contagia ſumant
Linea ſæpe vices flagra medentis agunt.
At quoties ſeros extorquent verbera fletus,
Et ſtupet indocili mens laqueata metu.
Supplicia irritant animos, ubi clara juventus
Igniculos altæ Nobilitatis habet.
Præmia dant animos, mihi gloria creſcit in illis;
Auget enim pretium Regia dextra ſuum.
Vidi ego (mulcerent animos niſi præmia) leges
Sæpe juventutem deſeruiſſe meas.
Ergo feram laudis Regi modo grata Coronam,
Et referam meritas obſequioſa vices.

RE-

RELIGIO.

SIſte quid injuſta me garrula voce laceſſis?
Ingratam obſequio me facis ipſa tuo.
Illa ego Religio, ſuperum decus, una juventæ
Fida comes, terris cælica jura fero.
Jura fero, gemino mihi ſunt commercia mundo,
Ille ſequitur, quiſquis tendit in aſtra, Ducem.
Sæpe animis injecta, nefasque, ſcelusque repello,
Per me legis amor, fas que, decorque vigent.
Ut vigeant, noſtros Rex inclytus auget honores;
Ille meos cultus promeret, ipſe colit.
Ille mihi ſedem, (quid enim prius acta revolvam)
Extruit, invidiat quam mihi Roma potens.
Sive opus eſt auro, ſine limite confluit aurum,
Sive opus exemplo, ſe probat eſſe meum.
Digna Deo domus eſt (mihi credite) digna Joanne
Cura meo, Regem nobile ſpirat opus.
Cernis ut eniteat circumfluus ordo Senatus
Ut rubros munit Sacra Corona gradus?
Purpureosque Patres,quos infula ſignat, & oſtrum,
Queis niveam cripſat plurima ruga togam.
Turba miniſtrorum, quam candida veſtis adornat,
Numinis in laudes irrequieta ſedet.
Ut tamen a primis bene mentibus hæreat annis
Religio, donis Regia dextra vocat.
Ergo feram laudis Regi modo grata Coronam;
Et referam meritas obſequioſa vices.
Gr. Io! certa manet me Laurea; Vicimus Io!
Rel. Io! Judicio eſt Laurea certa meo.
Gr. Præmia quid jactas? Quid Regis honore ſuperbis?
Præmia ſunt nobis,eſt quoque ſummus honor.
Rel. Aſt ego ccmmunes pro te gratabor honores
Fida

Fidaque, quam mittes, nuntia laudis ero:
Gr. Nuntia laudis ero; ſcimus bene condere laudes,
Quo licet ire gradu, qua licet arte loqui.
Rel. Emicat in noſtro peramæna modeſtia vultu,
Illa meas voces diriget, illa gradus.
Gr. Claudicat in medio tua ſæpe modeſtia paſſu;
Nec tuto agnoſcit, qua ſit itura pede.
Rel. Eſto fluant certo ſemper tua verba tenore,
Nulla fides verbis eſt adhibenda tuis.
Gr. Ipſa tamen noſtro mens eſt exculta labore.
Rel. Ipſa tamen noſtra corda moventur ope.
Gr. Sæpe quidem in dubio mens anxia fluctuat, adſum
Rel. Sæpe quidem frigent pectora, mitto faces.
Gr. Quando Sacros jactas in Numinis æde Miniſtros,
Ex me quod docti rite probentur, habent.
Rel. Quando ſacros jacto de Numinis æde Miniſtros,
Ex me quod juſti rite probentur, habent.
Gr. Edoceo, ſuperis quæ ſunt pro tempore laudes,
Signo, regat dubios quæ nota certa ſonos.
Rel. Edoceo caſtos quæ regula moribus apta,
Signo, fides cultis quæ ſit habenda meo.
Gr. Quæ ſtruis in præſens te tempus omittere vellem,
Hæc mihi debetur, non tibi, tota dies.
Rel. Semper grata adero;namRex mihi ſemper amantem
Se præbet. *Gr.* Nobis aptior iſte locus.
Rel. Aptior anne tibi locus eſt ſacra Numinis aula?.
Dic age: cui noſtrum ſit magis apta domus
Gr. At majora meis hic dona parantur Alumnis:
Rel. Nil mihi,quam quod ſint Regia,majus habent.
Gr. Cultam cultus amat; nil laus incondita, Regi
Quo tua commendes verba, decoris habent.
Rel. At ſine te placeo. *Gr* Plus me comitata placeres.
Rel. Nuda placet fuco laus. *Gr.* Bene compta placet.
Rel. Quo data laus animo tantum æſtimat; accipit ultro

Quam-

Quamlibet incultos auris amica sonos.
Gr. Et sibi sunt cordi qui Palladis arma sequuntur.
Rel. Et mihi sunt cordi, qui Themis arva colunt.
Gr. Ergo age, jungat amor, quas Rex sibi jungit amore,
Fœdus amicitiæ contrahe. *Rel.* Fœdus amo.
Gr. Accipe, daque fidem, mihi junge in fœdera dextram,
Rel. Rixa nequit litem solvere, solvet amor.
Gr. Apta feres. *Rel.* Laudisque feres simul apta coronam,
Gr. Ipsa meas dotes accipe. *Rel.* Et ipsa meas.
Gr. Neutra ferat (laudat, quod non satis altera) palmam:
Gr.& Rel. Utraque (quod causa est par in utraque) ferat.

RHECTORICE.

SIstite, quid temere nobis infensa paratis
Fœdera? Rhetorice rostris sat cognita dicor
Romulei Regina fori, cui sedula curas
A teneris, vigilesque sacras studiosa labores.
Exue Grammatice natu minor, exue mentem
Relligio, haud nostra laus Cæsare dignior ulla est.
Ille quidem me me ante alias primo ornat honore;
Grata vices referam, fluidos sine compede gressus
Tendo soluta modis: nostram miraberis artem
Sponte animum trahere; Hircanas imitantia rupes
Pectora commovisse, & mentem inflectere dictis.
Parva loquor, nostras jam dudum assueta per artes
Heroas Cælo evehere, obsequiosa Joannem
Laude sequar, fato eripiam, super astra reponam.

POESIS.

ILlustres Heroum animos, facta inclyta Regum
Carminis auspicio venturis tradere sæclis
Cura mihi, sacro sum Numine ducta Poesis.

Sublimis tango alta poli confinia; noſtros
Ipſe Deos quondam eſt Cicero veneratus Alumnos.
Eſt tibi primus honor? Forſan tua præmia noſtris
Præludunt, neque enim tempus metitur honores,
Sed Regis metitur amor. Nos more clientum
Regali fovet ille manu, quem dexter Apollo
Naſcentem celebraſſe inquit, prædicere noſtro
Mæcenatem ævo, & plauſu excepere Sorores.
Eloquio vis nulla tuo, me me invida cernis
Demulcentem iras, & triſtia corda levantem.
Saxa Orpheus aurita trahit, Delphinas Arion;
Tanta lyræ, tanta eſt metro conceſſa poteſtas.
Sive inter Proceres aula ferar; aut ego magnos
Laudatura Viros cingar de more cothurnos,
Non intrare aulam, non dignior ulla theatrum.
Seu prius Æneas ævo, ſeu fortis Achilles
Detur, in Heroum laudes fluere apta Joannem
Laude ſequar, fato eripiam, ſuper aſtra reponam.
Rhet. Sunt quoque ſublimi nobis decora alta theatro
Utque loquor, ſonat aula modis gravioribus; aures
Allicio, blanda inſontes, furioſa nocentes
Veſtigat mea cura, & longum extendit in ævum
Heroas, dignaque ornat præconia laude.
Poeſ. Quid tamen ingratus præco? ne jurgia laudes
Litigioſa fori, mihi Caſtalis unda ſuſurrat,
Muſarumque choros inter mihi rura benigno
Vere fluunt, recreant me Teſqua loquacia Pindi.
Rhet. Iſta decent pueros, quid enim ſublime Poëſis?
Rhetorice venit apta viris, nam ſeria tractat,
Non falſis vera immſicet, non ſacra profanis.
Quid tamen illicium pueris? quid amabile? Carmen.
Seria quid laſſo tollit de pectore? Carmen.
Quid paſſim per rura ſonat per compita? Carmen.
Et juvat ancillas Carmen data penſa trahentes,

Et

Et juvat artifices, & vilia guttura Carmen.
Poes. Audiat hæc Phœbus! quondam tua tela, Sagittæ,
Jonio valuere mari: quid Phœbe moraris?
Pone metrum si cura metri; Cape tela, furores
Indue, & ultrices... *Rhet.* Vocem compesce, nec ulla
Palladios decet ira animos, sed Martis alumnos.
Poes. Quod numeras, pingui deductum forte Minerva
Carmen erit, nullam exquirunt mala Carmina laudem.
Laus tamen est omni Carmen placuisse; probatur
Cælicolis Carmen. *Rhet.* Mea verba soluta probantur,
Nam Superum fastus pro rostris laudibus orno.
Poes. Sed comitante metro, nec sunt sine carmine laudes
In Superos; num festa dies sine carmine fluxit?
Reth. Quid Superis in te placuit? *Poes.* Si consulis aures,
Quæ numerosa meo majestas effluit ore?
Rhet. Esto, nec inficior, niteat te Judice verbis
Majestas numerosa tuis: quid more nocentum
Illaqueant data vincla pedes? *Poe.* Dant vincla decorem.
Gariophila virent media inter vincla. *Rhet.* Poesis
Quid nisi mancipium vile est? Cæsura flagellat
Plurima. *Poes.* Jucundosque facit pulcherrima versus.
Rhet. Stat quoties sinalepha vorax! *Poes.* Sinalepha venustat
Carmen, at ipsa modos nescis. *Rhet.* Est aurea nobis
Libertas, late ingenii spatiamur in arvis;
Nec curo invitas aptare in carmina voces.
Sponte sua sine lege fluunt, sine compede voces.
Poes. Castigata fluo, laus est mihi magna, nec arti
Libertas placet ulla, aut primo Carmina verbo
Fracta velis, mediove, cadens procumbat humi vox;
Aut grato ad finem lapsu ruit, aut pede versus
Suspenso consistit, & alto in sidera rursus
Appetit ire pedum sonitu; sic ductus equestri
Sermone effertur vates; modo tendit habenas,

Jam lento juvat ire gradu, jam præpete cursu?
Cernis ut acer equus, gemmisque, auroque ligatus
Intumeat, qua vincla regunt? spumantia mandit
Fræna ferox, nectitque moras, faustuque superbo
Quam calcat, fastidit humum; ferit ungula pandum
Ad numeros contracta femur, nunc dulce resistit
Huc, illuc iter obliquens, similisque furenti
Ipse sibi pugnat, nunc fulminis ocior alis
Cum strepitu movet arte pedes, cursuque repente
Nunc medio consistit, ovans sese ipse micantem
Perlustrat, tollitque arrectum in sidera pectus.
Rhet. At portum spectanda fugit, vix anchora navem
Ire dedit, dat vela notis, maria aspera ridet,
Quam sæpe assultu prensam invasere procellæ
In portu, longoque situ consumpta dehiscit.
An objecta decet rivum mora? Currit ad instar
Fluminis eloquium, virides interfluit oras,
Festinatque undis per amœna sonantibus arva
Flumen, & impatiens sisti, oblitusque morari
In mare conspicuos volvit grato agmine fluctus.
Siste undas, annecte obices, quid flumina turbas?
Abrupto (ni liber eat) furit impete; donec
Secum una involvens objecta repagula, tollat
Unda moras, solitoque fluat placidissima lapsu.
Utque ratem vincla impediunt, ut flumina cursu
Turbat obex, sic jura metri mixto ordine laudes
Nectit, & intorto cogit verba aspera sensu.
Poes. Desine plura loqui: multis quam nescia jactas,
Libertas nocitura fuit: dumque unica nostræ
Cura artis mulcere animos, & solvere curis,
Ars tua, quem primo Ciceronem extollis honore,
Damnavit capite; atque ultrici Fulvia linguam
Ter transfixit acu, nec mors satiaverat iras.
Rhet. Quid, male sana, tua fuit arte nocentius unquam?

Non miser ipse suo Peligni furis Alumnus
Ingenio perit, & Latiis procul exulat oris
Sauromatasque, Getasque inter? *Poes.* Quæ sæpe saluti
Est medicina, necem vitiato in corpore ducit.
Excidat Ovidius, nostra quod abutitur arte;
Ingenium fœdi turpant contagia morbi.
Supplicio affecit Cæsar, decoravit honore
Virgilium; nostra ante alios sublimior omnes
Arte fluit, doctis decus immortale Camænis.
Non virtutem animi, aut palmas invidit Achilli
Magnus Alexander; Laudantem invidit Homerum.
Mæonium quot Vatem Urbes civemque, decusque
Contendunt numerare suum, tot carmine laudes
Heroo crescunt, nostri decora alta triumphi.
Prol. Poesis oblita docile ingenium furis?
Compesce furias. Quid modo, Eloquentia
Inimica Vatum, Vatem agis? Amicum decet
Fœdus Sorores, mutuo quas vinculo
Pallas catenat; jungite unanimem gradum
Relligio, Grammatice, Metrum, Eloquentia,
Laudis coronam sistite; affectæ pari
Quævis honore, gratias habeant pares.
Laudare vestrum quælibet digna est, licet
Laudando vires penitus exhaurit suas;
Nec merita laus æquat, sed exsuperat tamen
Merita Joannes vestra, inexausto affluet
Torrente; namque regia vobis manu
Dat præmia, libros, grata studiosis; gradum
Quo nova merebis dona, donando facit.
Rhet. Inclyte Rex, Latiæ qua se facundia linguæ
Explicat, assiduo seu cui bene nosceris usu,
Gestit ovans, fluere in laudem, ornamenta tuarum
Virtutum evehere; hæc longos post Nestoris annos
Immortale dabunt nomen, quod Cæsare digna

Laude sequar, totoque mihi laudaberis ævo.

Poes. Dum Pindi nemora alta virent, dum Castalis un-
Lætaque Pierides habitabunt rura sorores, (das,
DumCharites,dumPhœbus erit,dum plectra sonabunt,
Laudem Musa feret nostri vectigal amoris.

Gr. En mea jura tua firmabo laude, tuique
Haustus cum primo lacte vigebit amor.
Fas erit a teneris nomen dedicisse Joannis,
Illud in ingenuo gratius ore sonat.

Rel. Te pietas super astra feret, qua parte corona
Emicat, hinc Orbi nobile Sydus eris.

Prol. Cuicunque cordi sit Metrum, Eloquentia
Relligio, Grammatice; Pius, sapiens amat
Audire, vivet memor in æternum tui.

Rhet. Per te Rhetorice. *Poes.* Per te firmata Poesis.
Gr. Per te Grammatice. *Rel.* Relligioque vigent.
Rh. Est tibi Rhetorice. *Poes.* Simul est tibi grata Poesis.
Gr. Grammatice grates. *Rel.* Relligioque refert.
Gr. & Rhe. Euge Parens Patriæ. *Rh. & Poes.* Rex in-
clytus euge Joannes, *Omnes* Euge.
Prol. Parens Joannes Patriæ; Rex inclytus *Omnes* Euge
Rel. A Lusis dignus semper amore coli.
Prol. Amore dignus semper a Lusis coli.
Omnes Euge.
Gr. Posteritas equidem præco perennis erit.
Prol. Perennis equidem præco posteritas erit.
Omnes Euge.
Rh. Dona adsunt. *Poes.* Tua major adest præsentia merces.
Omnes Euge.
Rel. Felix sub tanto Principe turba sumus.

Omnes
Euge Parens Patriæ, Rex inclytus, euge Joannes
Nostrum cura, decus, gloria, fautor, honos.

Cum

Cum poſt 35. annos vidiſſem dulciſſimum amicum Joannem Veras, mihi in memoriam revocavit fuiſſe unum ex actoribus in hoc Dramate, & primum verſum quod ſolum memoria ſervabat, recitavit; miratus eſt, quod reliquos ego recitaſſem; cui hoc Epigrammate reſpondi.

TE tandem invenio ſeptem poſt luſtra, Joannes,
    Quem docui Latii limen adire fori.
Noſcere vix poſſem, proh quam mutatus ab illo!
    Quantum ætas faciem mutat, & ora virum!
Tunc candor, roſeæque genæ, tunc gratia vultus
    Fulgebat, Regi digna placere tuo.
Auguſto placuit tunc vox argentea Regi,
    Sæpe in te placidos fixerat ille oculos,
Et mea quæ nunquam meruerunt Carmina laudem,
    Digna cani Angelicis viſa fuere choris.
Ille tibi facilem protendit ad oſcula dextram,
    Laudibus innumeris præmia miſta dedit;
Aſt unum Carmen retines in mente repoſtum,
    Cætera ſorte pari non meruere frui.
Cuncta mihi ſubeunt, ſed non queror: omnia ſpernam
    Dicere; plus unum te recitante valet.

REGIUS CHRISTINÆ CURRUS

ERgo Quirites plaudite, plaudite,
    Sertis revincti tempora ducite
        Lætas choreas, lucidiſque
            Tecta hominum redimite flammis.
Imber roſarum depluat ædibus,
    Veſtita pulchro flore ſuperbiat
        Tellus, & obtentu comarum

Laurus ubique fores obumbret.
Dent æra plauſum, miſta tubis ſonent
Ærata circum claſſica, gaudium
Teſtentur omnes; laureato
Dum vehitur media Urbe Curru
Chriſtina; Sacri dum Capitolii
Victrix ſupremum ſcandere verticem
Parat, triumphalemque pompam
(Qua medius rigat arva Tybris)
Spectare gaudet; turba frequens ruit,
Quam fama Cornu per populos ciet
Late ſonoro; dum rejectam
In fidei obſequium coronam
Mirata ſummis vulgat honoribus.
Io, triumpha, Chriſtiadum decus,
Favente conclamat ſuſurro,
Et geminat ſtudioſa plauſus.
Franciſce, laudes ingeminat tuas;
Tu primus Author; ſemina gloriæ
Tu prima jeciſti futuræ;
Quæ dederas documenta, corde
Accepit imo; Hinc ſacrilegum ſcelus
Chriſtina pellit; pectore Regio
Tu primus inſtillas amorem
Jeſuadum, fideique ſacræ.
Franciſce, curru te video, decus
O Luſitanæ gentis, at inclyta
Chriſtina vultus obſtupentes
Una vocat meritis refulgens.
Et ecce pronos jam video procul
Montes reclini vertice, lucidos,
Currus adorare & micanti
Circum obeunt nitida aſtra gyro.
Io triumpha, ter reſonabilis

Responsat echo; Sæva protervia
Subsidet, auratisque bigis
Alma Fides loca prima pompæ
Sortitur; ater luctus, & horridis
Uis dira centum juncta furoribus
Mordet cruentatas catenas
Et revomit rabido ore flammas.
Dissentionis Livor adit comes,
Dura revinctus compede; nec procul
Et impetus cæcos Libido,
Et Furiæ comitantur iras..
Plausu faventum tristibus Hæresis
Excita regnis impia, noxiis
Cinctum Colubris, & Cerastis
Squamigeris caput alta tollit.
Sed dum triumphos ducere Regios
Ducique prolem sub manibus suam
Videt, reformidatque jungi
Præda novæ miseranda pompæ;
Æstu furoris concita flammeo
Ambo momordit Labra, & ahenea
E fronte serpentes revulsæ
Pestifera in sua damna torsit.
Tandem redivit sub piceum rogum;
At dum feroces ad specus igneum
Gressus retorquebat, triumphum
Egregium maledixit atrox.

IN LAUDEM

BENEDICTI XIV.

Nicandri Jaſei Paſtoris Arcadis & in unum ex duodecim collegis Arcadiæ aſſumpti Carmen extemporale in publico Arcadum conventu a Mireo Roſeatico Cuſtode Generali Recitatum, & ab eodem in Lucem Editum Anno MDCCXLVIII.

SAncte Parens, Sanctæ Decus Urbis, & Arbiter Orbis,
Accipe, quæ facili fluxerunt carmina vena
Sponte ſua: dum me Domina procul urbe remotum
Ruris grata quies ſtudia ad graviora pararet;
Tu quamvis ſemper meditaris grandia, quamvis
Cælum ipſum Te ſemper habet, dum tartara claudis,
Monſtrataque via, & vires mortalibus ægris
Adjiciens, clave aurata ſupera aſtra recludis,
Hoc tamen obſequium (nam dos innata benignum
Te gerere; orta ſimul Tecum clementia, Tecum
Perſtitit, in ſolioque ſedet comitata ſupremo)
Hoc tamen obſequium, & meriti vectigal amoris
Projecta poſtquam cithara, mihi ſeptima fluxit
Æſtas, dum redeo deſueta in carmina, vultu
Aſpice pacato, Majeſtatemque parumper
Inclina, & tenuem ne dedignare laborem.
Non ego Te Petri leges in Sede ferentem
Admiror, ſed quod tanto ſis dignus honore;
Nec genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi
Extollam, quanquam notum Te reddidit orbi
Lambertiniadum genus alto a ſanguine Divum,
Quos

Quos fuſis precibus ſacras veneramur ad aras.
Inſignes pietate viros, ſeu fulmina belli,
Præclaroſque Duces, Moderatoreſque Senatus
Dexteritate animi celebres, claroſque ſagaci
Conſilio (quorum præclaro a ſanguine fluxit
In Te Nobilitas, & Avi numerantur Avorum
Conſpicui, ſeries rebus clariſſima geſtis
Longa retro) celebranda aliis decora alta relinquo
Vatibus, ille meis labor eſt conatibus impar.
Ad laudes, quas jure Tuas, BENEDICTE, merendo
Feciſti, cantu accingor; Tu grande potitus
Ingenium, ſublime, amplum, proclive ſeveris
Atque aptum ſtudiis, jam primo a limine vitæ
Conſueſti tacitus doctis incumbere libris;
Atque inter claros primis verſatus ab annis
Sæpe viros, quidquid longa experientia multos
Edocuit, quæcumque libris inſperſa leguntur,
Tu memori retines mente, & gravitate referto
Eloquio exponis; pendent dicentis ab ore
Quicumque interſunt, neque ſat diſtinguere poſſunt
In Te quid melius, ſeu quid, ſeu quomodo dicis.
Ah quoties cætu Comitum admirante tuorum
Jura tuebaris, valde exagitata, Clientum;
Nec Tibi quid poterant ſolidum objectare loquenti!
Sed poſtquam inſtruxit teneram ſapientia mentem
Romano plaudente foro, juvenilibus annis
Proludens inter lites; ad Sacra vocatus
Munia, Promotor Fidei doctiſſimus æqua
Pendebas cauſas trutina; non aſper inique
Nec nimium indulgens, quanquam indulgere paratus
Semper eras, ſi jura dabant; quæ deinde Tridenti
Collecti ſanxere Patres, ſi conſulat Orbis,
Cura Tibi reſerare fuit; tunc nomine plena
Fama Tuo, doteſque animi, & reſponſa ferendo
Ne-

Nescio quid magnum de Te præsaga canebat.
Jam sat nota Orbi fuerat sapientia; jussit
Curares ut Pastor oves, qui Sede suprema
Te Pastor præcessit, & huic aptabat honori.
Ne satis hæc; caruit vix docta Bononia Patre,
Te revocat Natale solum, atque ascendere jussus
In solium, Sacras patriæ moderaris habenas.
Hic Tu purpurei decus immortale Senatus
Prototypus virtutis eras, pietatis asylum,
Deliciæ populi, sapientum gloria, sacræ
Dulce Urbis desiderium, & celebratus ubique,
In dubiis toto consultus ab Orbe fuisti;
Et claram Tua sæpe dabat sapientia lucem.
Nec minus exemplo pietas Tua luxit; in uno
Cuncta patent; clare facto dignosceris illo.
Forte Reum infami plectendum morte monebant
Solliciti pietate Viri ventura cavere
Damna, opportuno commissa piacula fletu
Diluere, & mystæ veraci mente fateri.
Heu devota Erebo renuebat præda, futuram
Pertæsus vitam, superis convitia fundens,
Atque oculos cælo avertens rabido ore fremebat.
Hinc mæstus tacet, obtutu defixus acerbo
Evomit ignem oculis, flexu quos deinde tenaci
Fixit humi; magno quasi pondere pressa deorsum
Palpebra decideret; nec motu agitata frequenti
Libertatem aperit solito de more pupillæ.
Quis furor oh demens, quæ dira insania mentem
Occupat? Exclamant (sacro suadente Ministro)
Circumfusa cohors populi; saltem effuge mortem,
Quam potes effugere; est vita felicior ista
Vita; mori citius parva est jactura, sed ingens
Est lucrum, vitam si hæc commutatur in illam.
Quæ rabies animum, quæ mentem insania turbat?

Non

Non tortor, tu stulte) tui crudelior hostis
Rejicis æternam, satis est quam velle, salutem.
Tempus adest; tamen hoc si perdis, non erit ultra.
Quis furor insanus, quæ te dementia cœpit?
Æstuat impatiens, & acerba concitus ira
Dentibus infrendit; post impia signa furoris
Infelix Reus, hæc confusis vocibus inquit:
Vix unus, nostram posset qui flectere mentem,
Prosper erit; multis similem Te forte putavit,
Queis labor invisus, soloque fruuntur honore;
Aut quæ vis menti, quantum Tibi robur inesset,
Senserat, aut quid flexanima delcedine posses.
Hæc ubi dicta, Tuas rumor pervenit ad aures,
In prædamque volas subito; vultuque benigno
Solicitæ matris patientem imitatus amorem
Improvisus ades, Fili charissime, Fili,
Ne dubites, venio æternam tibi ferre salutem,
Lætus ais; tandem perituri gaudia mundi
Amittunt homines; finis tandem omnibus idem,
Seu vili de stirpe orti, seu sceptra gubernent;
Summe animos, ultro mortalem desere vitam,
Et fletu, & precibus reddens tibi Numen amicum
Non peritura unquam Cælo tibi gaudia quære.
Cernere erat tigrem rabidam, sævumve leonem
Sponte Tuos cadere ante pedes, sub Principe tanto
Cernuus erubuit, tenero mansuetior agno;
Quæ fuerat devota Erebo, fit victima Cœlo.
Præteritæ vitæ, compressa voce, dolorem
Testatur fletu, & singultibus interruptis.
Per fora, perque vias lateri comes additus illum
Insequeris; quam grata dabas spectacula Cœlo!
Purpura nunquam alias meliori splenduit usu!
Ad loca supplicii pia sensa, & verba ministrans
Per longum comitatus iter, dum pendulus alte

Exspiravit, ades; nec solum in morte relinquis.
O utinam simili felix in morte fuisset
Quem parili cura, eventu sed dispare, quondam
Tentasti frustra allicere, at crudelior ursis,
Sævior Hircanis Tigribus nulla arte domari,
Nec precibus flecti potuit; non in Cruce pronum
Numen ad amplexus; non cor per vulnera certæ
Dans aditum veniæ, quoties tantum illa petatur!
Nil valuere Erebum minitantia verba, futuræ
Nil quoque spes vitæ; manet alta mente repostum
Conculcare animam, atque æterno perdere letho.
Cælum ipsum, curasque Tuas, zelumque probavit,
Atque Tuis pondus, sed frustra, hortatibus addit;
Namque improviso, quin prævia signa procellæ
Ulla forent, densa tegitur caligine cælum,
Horrendumque tonat; scintillant undique flammæ;
Vindictæ clarum indicium; at mens impia tantis
Prodigiis immota manet; moriturque tot inter
Monstrum Erebi signa irati metuenda Tonantis.
Curabas sic Pastor oves, BENEDICTE, futurus
Pastorum caput, & tanto auspice cuncta fluebant
Prospera, præclarisque æquabas nomina factis.
Tempus erat, quo Christiadum viduata supremo
Gens Duce, dignum aliquem tanto poscebat honori
Purpureo e cœtu; spatioso extensa Theatro
Vaticana Domus Patres collegerat omnes;
Sed Tu, Sancte Parens, cum dignior omnibus esses,
Volvebas nil tale animo; quæ plurima fiunt
(Æqua licet) ductura alto tentamina sceptro,
Ignota omnino fuerant Tibi, Te Deus ipse
Electum e multis, laudum merita ampla Tuarum,
Unica Te virtus ad summum evexit honorem.
Scis etenim, & memorare potes, tantus Tibi venit
Improvisus honor; Tua rara modestia nunquam
Tan-

Tanto aptum te permisit cognoscere Regno.
Quid referam unanimes Urbis per compita plausus?
Vivat io, ter vivat io, resonabat ubique
Plebis amor, vivas felices Nestoris annos
Lambertine Parens, felixque Bononia Mater
Cive suo incolumi per tempora longa fruatur.
Atque ubi ad Italiæ tractus cita fama volavit,
Et transalpinas sensim pervenit in Urbes,
Quis verbis æquare potest, quot ubique dederunt
Lætitiæ argumenta suæ? Tua scripta per Orbem
Jamdudum vulgata Tuos dignoscere mores
Et facile ingenium, & mentem effecere profundam.
Hic ille est (Lysias vulgabat fama per oras)
Hic ille est, magnam cui summa negotia mentem
Semper habent, nunquam impediunt, Orbique docendo
(Quamquam ovibus directa suis) edicta frequenter
Plena magisterio, & grandem spirantia mentem
Vulgabat; dignos tanto Pastore labores!
Lambertinus hic est, per quem celebranda Tonantis
Et magnæ Matris festa annua, & annua festa
Divorum, nostræ sint quanquam impervia menti,
Redduntur facili eloquio, & claro ordine rerum
Tanquam oculis depicta, rudique accommoda plebi;
Pastores sic ille gregum stimulare minorum,
Atque humiles potuit trahere ad cœlestia mentes.
Prosper hic est, discit per quem sacra rite Sacerdos
Pertractare manu, verbisque potentibus uti,
Queis homini (in niveo gaudens Velamine claudi)
Filius ipse Dei, rerumque Creator obedit;
Immensusque brevi Deus occultatus in orbe
Sponte salutiferas offertur victima ad aras,
Victima sacrilegi quondam spolia ampla furoris
Indigna mactata manu, nunc prompta subire
Mille neces, si nostra salus hoc rursus egeret

Auxilio; at victa æternum de morte triumphans
Nos misero exilio, diraque tyrannide vinctos
Ad caram invitat Patriam, & vincla omnia solvit.
Nam quoties venit ante aras oblata, Parentis
Indignantem animum, & conceptas comprimit iras;
Ac miro arcano jam non moritura cruorem
Sub specie vini, sub panis imagine corpus
Occludens, tota in quavis manet hostia parte.
Edocuit Prosper ritu celebrare decenti
Sacra ministeria, & dubios dissolvere nodos
Anxia si qua sacros agitasset cura Ministros.

Hic ille est, per quem fastis adscripta leguntur
Nomina Sanctorum; qui vel super æthera notus
Quo ritu statui cultum, quo thuris honorem
Cælitibus deceat, quam clara, atque ubere vena
Scripserat, auctores veteres ut quotquot eodem
Versatos stadio longe superaverit unus.

Non ego Te novi, nisi postquam in sceptra vocatus
Jura dabas populis solio sublimis ab alto,
Te novisse tamen, Tua scripta legendo, putabam;
Jure quidem; cum sint victuris tradita chartis
Scripta animi vera effigies, manifesta latentis
Indolis indicia, & secreti cordis imago.
Ipse Tuos mores, & cor dulcedine plenum,
In scriptis, Benedicte, Tuis, Te denique totum
Depingis; clarum nec tantum effulget in illis
Ingenium, vastæque ostentas mentis acumen!
Quam bene de reliquis sentis authoribus! ultro
Funderis in laudes, & eorum scripta frequenter
Commendas; si qua occurrunt damnanda, modeste
Arguis, & rationum apte momenta recensens
Dicta probanda probas, & contemnenda refellis;
Si quid in hoste tamen cernis laudabile, laudas,
Non verbis dire objiciens; sed testibus apte

Ad-

Adductis, certæ maturo examine penſa
Hiſtoriæ monumenta refers, arteſque doloſas
Agnoſcens retegis cooperta ſophiſmata rerum
Pondere, & ignoſcens facile ad convitia nunquam
Declinas nimio vincendi raptus amore.
Sæpe mihi videor, nec fallit opinio viſum,
Cernere collectam Tua docta volumina circum
Aligerum turbam, & chartis (queis gloria Divum,
Crevit honor Templis) pronis deffigere labris
Oſcula certatim; Vos quorum nomen in album
Divorum retulit, communia vota Tonanti
Offerte unanimes; votis id poſcimus omnes:
Ut regat, ut doceat longo, & venerabilis ævo.
Hæc, ubi ad auguſtum regimen, mundique gerendi
Imperium eligeris, fuerat vox omnibus una.
Tunc ego, qui pueros aptare in carmina voces,
Rhetoricæque modos, & mitia jura docebam,
Te volui celebrare; inopem me copia fecit.
Laudabam Heroas ſæclis decora ampla duobus
JESU adum; & felix in tertia ſæcla canebam
Augurium; intererant duplicis confinia ſæcli
Inter utrumque annum Cytharæ, plectroque ſacratum.
Deſieram, atque œſtro ſpirantia corda recenti,
Arripuere novos animos, Te laudibus unum
(Laus Tua in immenſum elapſo jam creverat anno)
Materiam elegit claros aſſueta Poeſis
Laudare Heroas; ſed prima exordia laudum
Vix cecini; inſolito torpebant plectra ſtupore:
Te quoque pro roſtris verbis laudare ſolutis
Tentavi, verbis ſed tanto Principe dignis;
Argumentum ingens me terruit, ac mare magnum
Naufragium intentare, levemque fatiſcere cymbam
Experiens, alio ſum flectere vela coactus.
Nunc tamen audacem Tua me clementia fecit,

Fecit ut ad Solium sequerer Te carmine, at ultra
Extendi prohibet laudum seges ampla Tuarum.
Tu magnos ne damna ausus; parce, inclyte Princeps;
Nec donum aspicias; animum donantis, & ausus.
Quo sint forte orti, vultu perpende benigno.
Conditio, qua nulla Deo tam proxima, nullis
Indiget obsequiis, sed solum acceptat amorem;
Nec sacra res hominum, nisi cor, sibi Numina quærunt.

D I X I.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. PETRO BARBADICO

Senatori Amplissimo Auctor descriptionis Venetæ Urbis.

ODE ALCAICA.

Quis rumor aures vellicat insolens?
Quæ densa nubes occupat aera?
Frementis iræ signa cerno,
Signa simul sociata plausu.
Hinc passu Honestas candida libero
Incedit ultrix criminis impii;
Hinc fædat insano catenas
Ambitio scelerata morsu.
Tu stringis, Heros, fræna licentiæ;
Cæli Paterni Sidus amabile,
Urbis Saluti qui superstas
Barbadicum generosa Proles.

Ho-

Hostis dolosam providus Aleam (*a*)
Arcere quaeris finibus Adriae,
Sortique descerpsit coronam
Justitia, & pede saeva trivit.
Leo tonitru rugiit horrido,
Et sacra ludis contremuit condomus.
Flatu procelloso volantes
Causa mali per inane Chartae
Lucem abstulerunt lampadis igneae.
Sed inde fulsit laeta serenitas,
Atque utiles servato in usus
Jam domini potiuntur auro.
Texta indecoro pulvere sordida
Captura muscas retia complicant
Stultae aemulatrices Minervae (*b*)
Qua vitrei micuere Lycni.
Secura ludunt agmina murium
Obscura in aula, qua populus freqtiens
Jactabat horas, & crumenam
Spe dubia, indubioque damno.
Tu laude major me, Petrus, excitas
Vulgare dotes; sed Patriae datum (*c*)
Caeleste donum te vocare
Sit satis, & sceleri flagellum.
Seu te bonorum praesidium vocem,

Quo

(a) *Exc. D. Petrus Barbadicus (Familiae clarissimae ultimus superstes, de claudenda domo Aleatoria optime meritus.* (b) *Aranca: Nota fabula.*

(c) *Plurimi alii laudum fontes indicantur, & nominatim exprimuntur tria discussionum capita nuper EE. DD. Correctoribus, inter quos Exc. D. Petrus Barbadicus, injuncta.*

Quo tota virtus, quo Sapientia
Blande quiescit, prævidetque
Tempore difficili triumphos.
Namque illa morum candida suavitas
Transfusa dulci monstrat in indole
Ex oris aspectu sereni
Magnum animæ indicium eminentis.
Nec signa fallunt; nunc Sapientibus
Ceu stella fulges additus, & tuæ
Sæpe in Magistratu supremo
Accumulas decora ampla famæ
Monere prudens rebus in arduis.
Habenda victus seu ratio exigat,
Seu norma formandæ juventæ,
Seu vitii cohibendus error,
Haurire gaudent lumina consili
Quicumque habenas imperii regunt;
Se sponte tradunt temperandos
Mentis ad arbitrium magistræ.
Sic perspicaci clarus acumine
Torrente vocum protegis aureo,
Quæ digna Rectoris Supremi
Relligio, utilitasque poscit.
Urbs, oh virorum laude celebrium
Fœcunda Mater, Virgo sed hostium
Furoris expers, tot vigebis
Præsidiis sine fine victrix
Edacis ævi; Sæcula se Throno (*a*)
Ter quinque sistunt; innumerabiles
Menses & anni dum recurrent
Adriaco potiere Sceptro.

VA-

(a) *Recurrit annus quinquagesimus nonus post quatuordecim Sæcula completa a primi templi Veneti fundatione.*

VATES
IN DESCRIBENDA DOMO ALEATORIA
PRINCIPIS SENSUS
Videtur præocupaſſe. Ad eundem Epigramma.

LAudibus innumeris Venetam celebravimus Urbem;
Attamen ultra aliquid velle coegit amor.
Principis Auguſti cognoſcere ſenſa videbar
Præſcius, hęc noſtro laus in amore fuit.
Sed quod nec Muſę, nec viderat augur Apollo,
Servabant meritis provida Fata tuis,
Magne Hęros, felici eventu a Principe quęris
Ut laus nulla Urbi deficiat Venetę.

CARMEN

GRatulor, o Cives, quod carmina noſtra benignis
Dignati luſtrare oculis, merita ampla notaſtis
Propria; natorum in matrem laus magna reſultat.
Namque aliæ non a genitis adquirere laudem
Sæpe ſolent, non ipſa poteſt; laus unica matris
Vos eſtis Veneti Heroes, tam pace potentes
Quam bello; vos conſilio & victricibus armis
Illuſtres, pietate Deo, & candore probati.
Nec non ſubjecti populi, quos indole clara
Ducit amor, facile obſequium, & reverentia legum.
Sed mihi non tenuis (liceat modo plaudere Vati)
Adſcibendus honor, quod mens præſaga futuri
Principis auguſti cognovit præſcia ſenſus.
Omnia propoſui ſumma digniſſima laude,
Sed tamen admonui, nocuo quæ damna theatro
Proveniant, tibi ne noceat, ſed dulce levamen
Excipias: ſimul in ludum fera fulmina jeci,
Ludum oblectantem, quo nummis retia tendit
Alea venatrix; atque inſidiantis ad inſtar
Aurea fallaci nectit commercia viſco.

Nam, facile in vitium cum Bacchanalia ducunt
Flexibiles animos, Moyſis prope templa, canalem
In magnum Vatem arripuit Phœbejus ardor
Plura ſimul volventem animo; deſcripſimus aulam
Prædatricem auri; metuenda pericula ſortis,
Magna quidem victo, victori maxima; nempe
Plus animum illaqueat vultu fortuna doloſo,
Cum faciles aditus in primo limine pandit.
Urbs Veneta, aurato quæ tunc pulcherrima curru (a)
Ante oculos ſeſe objecit, mea dicta probabat,
Arridens placidis oculis, vultuque modeſto.
Non tamen explicuit, quos alta mente repoſtos
Servabat ſenſus: ſed nunc ſub nocte ſilenti,
Lucidior ſolito ſe præbuit ipſa videndam.
Ceu cum forte ſolet tenebris abſcondere lucem
Atra dies, totuſque obduci nubibus æther;
Tum dubiæ pendent ex omni parte procellæ,
Omnia terrorem incutiunt; timet ire viator
Ulterius; mœrens circumſpicit arva colonus,
Et cymbam in litus deducit nauta propinquum:
Vix Zephyrus placidam violentior explicat auram
Lætitiam allaturam agris, toto æthere nimbi
Diffugiunt, tunc ſol reduci poſt nubila vultu
Pulchrius ingenitam lucem oſtentare videtur.
Non aliter Venetæ facies mihi viſitur urbis,
Virtutum plaudente choro, quas ipſa regebat
Provida conſilio; nam quamvis ſemper in omnes
Gaudia diffundat, nunc me dulcedine complet
Ma-

(a) *In deſcriptione Urbis Venetæ lib.* VII. v. 1235. *deſcribuntur damna ex Alearum ludo provenientia, &* v. 129. *inducitur ipſa Urbs in Regio curru, & ejus forma, & comitatus explicantur.*

Majori, & miros instillat pectore sensus.
Pulchra oculos, rubicunda genas, & flava capillos
Regale ornabat sceptrum fulgentibus astris;
Sic dixisse juvat gemmas Oriente profectas.
Serica vestis erat subtegmine ductilis auri, (*a*)
Quam Phrygiæ pinxere manus, & docta colores
Multiplices variavit acus; circumque fluenti
Auro intertextas miro discrimine formas
Monstrabat: quæ non. prævisa in veste nitebat,
Abripuit pictura avidos pulcherrima visus.
Consilium magnum spatiosa vidimus aula (*b*)
Collectum, Patriæ Patres, Proceresque togatos,
Ordine quemque suo: solio Dux ipse supremo
Præsidet; Heroes, lateri quos jura sodales
Adjungunt; distinctæ ornant subsellia vestes;
Augusti gravitate senes, generosa juventus,
Omnia spirabant cum majestate decorem.
Parte alia sunt quinque viri; de vertice visus (*c*)
Fundere lumen apex, & circum tempora pasci.
Sensa animi simul exponunt, & mutua versant
Consilia, & rebus quærunt adjungere lucem,
Singulaque intenti maturo examine pendunt.
Zenum observavi liquidum pro vocibus aurum
Fundere; Barbadicum, cui rectum, & culta venustas
Labram ovet; dum verba Emus suadentia profert,
Umbram exultantem patris blanda oscula nato
Figere conspexi, & circum dare brachia collo,
Gau-

(a) *Hic describitur sola vestis pictura, vulgo* Ricamo *ex auro, & miris coloribus.*

(b) *Describitur Magnum Consilium pulcherrime expressum in ipsa vestis pictura.*

(c) *Quinque Exc. DD. tunc temporis correctores.*

Gaudet enim magna renovatum in prole parentem.
Ad voces, Juliane, tuas sua gaudia læti
Adriaci ostendunt genii, manibusque vicissim
Udique plaudentes monstrabant indice Romam.
Longe aliis, Flangine, modis tibi proxima ludit
Alma Fides vestem ostendens, cui forma, colorque
Est Venetis peregrinus aquis; tamen exprimit undas
Cæruleas, rubro quam tingere destinat ostro.

Tum placidam vidi cælo descendere lucem, *(a)*
Et læva cælum intonuit; sed signa probantis
Lætitiæ sonus ille fuit; circumspicit omnes
Urbs Veneta, & dulcem ambrosiæ dispergit odorem:
Auratas calamo arrepto Prudentia fingit
(Justitia dictante) notas; legit utraque chartam,
Et quinque assensere viri, nam scripta notarunt
Quæ discussa diu jam proponenda parabant.
Ipsa etiam voluit proprio, quæ scripserat, ore
Reddere Consilio in magno manifesta, sonoque
Elato, quæ quinque viri statuere, legendo
Se digna ostendens, folium venerabile vulgat.
Intentis oculis cuncti dicentis ab ore
Pendebant, nutuque animi repetita probantis
Signa dabant. Niveos numerari vidimus orbes, *(b)*
In quibus unanimis Patrum sententia constat.
His etenim tantum spectat firmum addere robur
Legibus, & vitium stabili compescere fræno.

Vi-

(a) *Quod proponendum discutiunt, voluit dictante Justitia, scribere, & in Magno Consilio legere Prudentia.*

(b) *Unanimis assensus.*

Vidimus exultantem Urbem, quæ brachia pandit, (*a*)
Ceu genitos velit amplecti, plaudentis ad inſtar
Labra movet, ſignatque manu loca proxima cordi:
Conſilio magno tunc forſan in æthere viſa
Laudavit Patrum aſſenſum, laudavit amorem;
Quo populos ſibi ſubjectos gens provida ducit;
Non tamen hoc potuit Vatem pictura docere.
Vidimus exiguos libros, qui forte jacebant (*b*)
Neglecti, chartas ſive appellare ſeorſim
Disjunctas placet, ac folio involvente ligatas;
Quemque quater tredecim, aut decies quater ordine certo
Faſciculum abſolvunt, queis Vaſa, atque aurea Nummum
Emicat effigies, Baculique notantur, & Enſes,
Sunt Rex, Miles, Eques, ſunt ſola inſignia Chartis;
Quas numerus reddit varias, & reddit imago.
Ut Leo magnanimus, Venetæ qui proximus urbi (*c*)
Obſequioſus adeſt, Dominæ ſenſa intima novit,
Has omnes ferus arripiens in fragmina mille
Dividit, hinc celeres iterato concutit alas,
Et late inſperſas jactat ludibria vento.
Cuncta expreſſit acus, qua non ſtudioſus Apelles
Vividius poſſet naturam imitarier arte.
Hactenus in cunctos Proceres mea Muſa volavit (*d*)
Ex-

(a) *Venetæ Urbis, quæ ſuſpenſo in aere ſolio omnia obſervabat, lætitiæ & exultationis ſigna.*

(b) *Deſcribitur Alearum faſciculus* 49. *vel* 52. *chartis; in quibus vel ſoli Aurei, Vaſa, Baculi & Gladii diverſo numero, vel cum Rege, Milite, & Æquite.*

(c) *Leo alatus, qui Venetæ Urbi inſervit, Chartas aleatorias arripuit, fregit, & excuſſis alis diſperſit.*

(d) *Plurimæ cauſæ, cur ſumma Laude & admiratione ſint digni omnes Veneti Proceres.*

Exſolvens meritis laudum obſequioſa tributum;
Et nullus ſine laude fuit; celebranda manebit
Gloria, quæ nullo poſthac delebitur ævo.
Obſtupuere omnes; tam quos pontum inter utrumque
Auſonia includit gremio, quam diſſita longam
Regna per Europam, propria quaſi ſede locatos,
Nobilibus caros, quibus ampla palatia dudum
Otia ſacrarunt, hominum plaudente corona
Inductos, longoque receptos tempore ludos
Damnari, vitioque aditus, & limina claudi.
Queis placuit, queis diſplicuit, cum ſede ſuprema
Judicis inſidunt, & res proponitur, amplo
Conſilio, quid jura velint, quid poſtulet æquum
Quiſque animo verſat, non quod privata voluntas
Admonet, ecce perit fraudum numeroſa propago,
Larva dolo exuitur, mœrens ſine fomite languet
Ambitio, ſcelerum ſtimulus depellitur, aulæ
Clauduntur, gravibus proſcribitur Alea pœnis;
Nec dubia incerta pendent ſuffragia lance,
Dignaque profertur Venetis ſententia: Ludus
Unanimi aſſenſu, & ſtudio damnatur eodem.
Deficiente auro jam non pretioſa ſupellex
Vile ſubit pretium, aut diuturna in pignora cedit.
  Sæcula, dum veteres evolvitis ordine faſtos,
Conſilio in magno laudum perpendite fontes,
Et factum eximium toto celebrabitis orbe.
Sæcula, præſcribunt ſtabili jura omnia lege
Quod claros inter ſenſim indulgentia cives
Admiſit: noſtris quæ ſit vigilantia regnis
Diſcite, qua regnant leges, & jura triumphant.
Sæcula, in humanis vitium ſi ſerpere rebus
Sæpe ſolet, recto ſi ſæpe averſa voluntas
Deviat, a Venetis nunc diſcite civibus artem,
Quæ docet infecto radicem evellere trunco.

Diſci-

Diſcite, & exemplum ſæclis ſervate futuris.
Tu mihi nunc Petrus laudum ſeges ampla recurris (*a*)
Barbadica de gente Heros, Te veſtis in urbe
Multicolor medio fundentem verba Senatu
Exprimit, & cauſam nunc carmina noſtra docebunt.
Non ſimili ſemper facie ſeſe Alea prodit, (*b*)
Sed ſæpe Ingenium dextra, Sortemque ſiniſtra
Accipiens, jucunda hominum conſortia reddit,
Ingrediturque domos ſine ſorde innoxia, & omne
Deponit virus ſociis conjuncta duobus.
Immo etiam quandoque poteſt ſibi laudis honorem
Quærere, & in medio virtutum incedere cœtu.
Si primum amittat ſocium, tunc proxima Sorti
Ambitio ingreditur ſitibunda, & ſemper habendi
Inſatiatus amor; tunc gignitur acre venenum,
Atque hominum miſeras agitat vertigine mentes.
Deſertos retinere locos petit Alea ſupplex,
Et ſpondet vitio intactos ſervare Penates.
Jam faciles aliqui præbere rogatibus aures
Incipiunt, ſumitque novas ſententia vires.
At Petrum Venetis carum, & venerabile nomen (*c*)
Non latuere doli vitii oblectantis, & artes.
Natura ingenui, ſed ſunt tamen indole luſus

Fle-

(a) *Peculiaris laus Exc. D. Petri Barbadici.*

(b) *Deſcribitur luſus alearum licitus, immo aliquando laudabilis, qui poteſt etiam vocari Virtus Eutropeliæ, ſi debitæ circumſtantiæ accedant. Debet eſſe duobus Sociis conjunctus, ſi primum amittat, nempe Ingenium, ſemper eſt vitioſus.*

(c) *Exc. D. Petrus Barbadicus curat, ne domus Aleatoria ad luſus licitos inſerviat ad omne periculum vitandum, & in pleno Senatu cauſam eloquentiſſime perorat.*

Flexibili; veteres ſemper Domus illa triumphos
Commemorat; primum timidos reverentia Legum
Frænabit; vires paullatim audacia ſumet;
Quoque imbuta ſemel fuerat, ſervabit odorem
Aula diu; utque phthiſis miſera qui tabe laborant,
Quas coluere domos, morbo inſidiante, relinquunt
Infectas, muriſque hæret fatale venenum:
Sic præbere nequit vitiorum Regia ſedem
Virtuti. Proceres metuenda pericula noſcunt,
Et ſatis eſſe negant nocuas decerpere frondes,
Ni totam evellant plantam radicibus imis.
  Hæc bene perpendens Petrus conſcendit in altum
Providus excelſo ſua ſenſa exponere cœtu.
Dum loquitur, regit ingenuos Prudentia ſenſus,
Juſtitia elata dextra tenet alma bilancem,
Relligio illibata thronum obtinuiſſe videtur,
Hinc decor, hinc pietas, illinc ſapientia voces
Suggerit, atque comes Charitum circumvolat aulam
Gratia; dumque Lepor flores inſpergit odoros,
Tam mentes, quam corda beat ſermone diſerto
Urbis honor Petrus. His donis ornavit ab ortu,
Quem cælum ad patriæ columen formabat alumnum,
Maxima cui gaudent concredere munia cives.
Non doctos haurire ſonos, atque aurea verba
Conceſſit pictura oculis, ſed aperta notabant
Ora, quod intentas raperet facundia mentes.
Auguſti Patres Petro aſſenſere loquenti,
E Veneta urbs læto ſubriſit præſcia vultu.
  Atque ego dum volvo attonitos per ſingula viſus, (*a*)
Ve-

(a) *Urbs Veneta quæ probare oſtenderat me veſtis picturas obſervaſſe, cum loqui vellem, diſparuit; ſed hæc cum mihi evenirent dum poema de Urbis deſcriptione legerem; cognovi gratum illi fuiſſe.*

Veſtem obſervari ſignis Matrona benignis
Viſa probare fuit: poſtquam ſtupor inde receſſit,
Promere tentavi gratis mea gaudia verbis;
Attamen ex oculis ſeſe velocius aura
Subtrahit, inque ſui ſe luminis occulit umbra.
Cum tamen hæc fierent, dum nuper tradita prælo
Attentis volvebam oculis mea carmina, novi
Adriacæ placuiſſe urbi, ſive omnia laudem,
Sive unum vitii deſcribam ab origine fontem:
Laus quoque Vatis erit juſtam prænoſcere mentem
Principis, atque omen triplici præcedere luſtro.
Vos quoque Conſilio in magno decor inclytus Urbis,(*a*)
In quibus unitis toto ſplendore coruſcat
Majeſtatis honor, queis eſt conceſſa poteſtas
In commune bonum revocare, & condere leges,
Atque Magiſtratus certis augere recentes
Temporibus, priſciſque novas præſcribere curas;
Vos tutela Urbis, quos extera regna ſtupore
Mirantur, ſemperque novam dignoſcere laudum
Materiam, mentiſque altæ nova ſigna fatentur,
Vos huc lege nova (parvo quamquam illa videtur
Verſari ſtadio) dubiæ ludibria ſortis
Pellitis, & populi ſæpe in ſua damna ruentis
Intactas ſervatis opes: ſic veſtra docebit
Quæ regere incautas debet prudentia mentes.
Dive, ſalus Patavum, queis fidus amabile fulges, (*b*)
Quos pius auxilio, factiſque illuſtribus ornas
Paſtor amans, & adhuc ſuprema in ſede paternam
Sollicitus curam exerces, ſuperaſque tuorum,
Præ-

(a) *Laudantur iterum Proceres Magni Conſilii.*

(b) *Apoſtrophe ad B. Gregorium Barbadicum, cujus laudes in Nepote reviviſcunt.*

Præcediſque preces, Venetæ quoque gloria gentis
Numinis ante thronum natalem protegis Urbem:
Non ignota tibi cari merita ampla Nepotis,
Et forte ætherei Genii, queis Numina credunt
Adriacæ tutelam urbis, lætantur in illo
Influxum celebrare tuum, geſta inclyta narrant,
Lætaque per totum vulgantur nuncia cælum.
At tu magne Nepos Patrui veſtigia felix (*a*)
Perge ſequi; nam tempus erit (ſed plurima lento
Numina concedant paſſu decurrere luſtra)
Quo vicin a togæ ſimul inſula ſacra niteſcat.
Non quia tot gladii decorent, tot tela, tot enſes
Illuſtres virtute Duces, vexillaque ſævis
Hoſtibus erepta, atque externas ſplendor in aulas
Sæpius eniteat; nec quod toga plurima ſummos
Conſilii laude ad patriæ conſcendit honores;
Quod cornu Regale duos de ſanguine claro
Ornavit; Baculo incedant, Oſtroque nitenti
Quos pietas quondam Romana in caſtra vocavit;
Non quia tot meritis, tot honoribus aucta propago
Conſpicua Adriaco prima inter Sidera cælo
Splenduerit, patriis ſemper celeberrima faſtis;
Nec quia tot recipis præclaro a ſtipite dotes,
Materies mihi laudis eris: ſit maxima laudum
Eſſe Deo carum, meritis æterna parari
Præmia, conceſſum Venetis a Numine donum
Reſpondere animo vigili, atque illuſtribus actis,
Sit cineres decorare Atavum (nec ſanguinis almi,
Sed virtutum Hæres Majoribus addit honorem)
Sit meritis ſuperare tuis merita ampla tuorum,
Sit Patruo non ſacrum aris conferre Nepotem.

Cum

(a) *Alloquutio ad Exc. D. Petrum Barbadicum.*

Cum de descriptione Venetæ Urbis sermo inciderit, placet hic ex plurimis amicorum congratulationibus duas inserere, ad memoriam conservandam nominum charissimorum.

Emmanueli de Azevedo Lusitano
Amico dulcissimo
Poetæ elegantissimo
Venetæ Urbis Descriptionem
A se carmine concinnatam
Dono afferenti
Lauri Corniani Gratiarum actio.
Hendecasyllabi.

QUis mihi nitidum novum libellum,
Laudes quo Venetæ exhibentur urbis,
Pol! gratæ auribus omnium optimorum,
Urbis magnificæ, atque toto in orbe
Unicæ, cui fata perbenigna
Concessere mari thronum atque terra,
Et dabunt, licet ut mihi augurari,
Intactum innumeris tenere sæclis
Deinceps: usque adeo Deo probatur
Candor, justitia, indolesque gentis
Comis, suavis, amica, liberalis!
Quis, inquam, nitidum novum libellum,
Laudes quo Venetæ canuntur urbis,
Munus detulit aureum? Putarem,
Quæ voces Helicon, docente plectro
Cynthii, repetit beatiores,
Camænas faciles, amabilesque
Carmine hoc Venetos tulisse ad astra.
Et sane decet hoc melos Camænas,

Et

Et Phœbum decet hoc melos magiſtrum.
Verum qui faciles rear Camænas
Tantum mi miſero dediſſe donum,
Ipſæ quem juvenes juventæ in ipſo
Flore lauriferi juga æſtuoſa
Tentantem ſuperare Pindi acutis
Furcillis ſubito arcuere, & alto
Eheu! præcipitem dedere monte?
Oh factum male! Tu quidem inter omnes
Quot ſunt, quotque fuere, eruntque poſthac
Antiſtes mihi candidus ſodales;
Idemque Adriacæ urbis, atque rerum
Amator Venetarum, amare quantum
Tam claram patriam, Deiſque amicam
Ipſa vix potis urbe natus Heros:
Tu mihi Emmanuel novum libellum,
Quem quondam Latiæ tibi Camænæ
Dictarunt proprio ore, Cynthiuſque,
Amico tenero, tuo & ſodali,
Quem tu plus oculis tuis amaſti,
Qui te & plus oculis ſuis amavit,
Nuper nobile munus attuliſti.
Hoc mi delicias dabit perennes,
Verſus dum legero Marone dignos:
Quin & nomina ſola me beabunt
Nicandri teneri mei ſodalis.
In libri nivea notata fronte
Hunc Dii ſuppliciter precor ſodalem
Servate incolumem in dies, & annos
Plures, Lyſiadum decus futurum,
Quantum olim decori fuit Camonus.
At vero Venetæ, libelle, & urbis
Laudes qui canis, inter auſpicatos
Marci præcipuos ſacros libellos

Au-

Auro, purpureaque veste tectum
Locent magnanimi Adriæ nepotes.

Vates, qui Hendecasyllabos numquam aut raro scripsit, utpote qui Virgilium, Horatium, & Ovidium imitari juvenis studuit, ut respondeat, optat suavitatem & elegantiam Clarissimi vatis omni litteratura egregii, Illustrissimi Comitis Joannis Baptistæ Roberti, & Illustrissimi Comitis Camilli Zampieri, qui Hendecasyllabos venustate plenos nuper ediderunt.

Amico Dulcissimo Lauro Corniani.

QUeis me carminibus, rerum dulcissime, laudas;
Respondere tibi nequeo, juvenilibus annis
Intactum vati, cur nunc labente senecta
Ausus ero metrum tremefacto ludere cantu?
Tu mihi, deliciæ Musarum, & Apollinis alma
Gloria, mellifluos insueto suggere cantus,
Queis bibulos recreare animos, & corda, Roberti;
Sæpe soles, tu vel cultum superare Catullum
Diceris, ut resonis mulces sermonibus aures.
Tu quoque quas sacro hausisti de fonte, Camille;
Spargere non renuas me circum Aganippidos undas,
Ut dignum dulci rescribam carmen amico.
Cum tamen hæc vati, mi Laure, negavit Apollo;
Accipe quas facili solvo tibi carmine grates;
Pone tamen laudem, quam non meruisse fatebor;
Nec meritum sed dictat amor, sit gloria vati
Materies operis, nam Te celebramus in illa,
Quæ tibi felices Urbs inclyta præbuit ortus.

Nicandro Iasseo P. A.
Suo olim in Rhetoricis Præceptori,
Joannes Vignier
Parvum sed officiosum Minerval
D. C.

EDita vix prælo, mihi bina Volumina mittis,
Accipioque tui Monumentum, & pignus amoris,
Optime Præceptor: Venetam prius exhibet urbem,
Et Gentis decora, & mores; cuncta ordine pulchro
Carmina bissenis referunt distincta Libellis.
Posterius, laudem quæ carmina Thusca merentur
In Latium transfert Epigramma, ut gratia nulli
Natiuus lepor, aut primęvum desit acumen;
Sic facili, quæcumque velis componere Musa
Ipse soles, sic dexter adest tibi semper Apollo!
Mirarer comptumque stylum, purgataque mentis
Sensa tuæ; verum ipsa oculis subjecta frequenter
Nil ultra novitatis habent portenta: Magistro
Assuetus præeunte sequi vestigia tyro,
Illius qua surgit Opus, quaque explicit arte,
Novit, & attonito non amplius excipit ore.
Lustra equidem jam pene suos bis quatuor orbes (a)
Explerere; & adhuc nimium jucunda recordor
Tempora, Rhetoricen cum te didicisse Magistro
Sorte datum, bibulis tum temporis aurea crebro
Usurpare oculis poteram tua Scripta; libenti
Illa animo addebant stimulos, & nobile calcar;
Monstrabantque viam Parnassi ad culmina: Vates
Ipse novus (memini) studio meditabar inani
Ductorem te pone sequi, sed vana fefellit
Spes juvenem, & tantis impar Mens obstitit ausis.
Attamen infixa est animo, vivitque superstes
Forma tuæ, quidquid meditabitur illa, Minervæ;

N c-

Nota mihi ex facie est: geminos, tua dona, libellos
Nulla prius quanquam retulisset fama, Nicandri
Et licet inscriptam simulato nomine frontem
Objiciant, qualis tamen hos compegerit author
Non ignara tuę retulit facundia Musę.
Sit satis ad laudem reliquis, si forte disertum
Authorem comendet opus; tua maxima laus est,
Ipse quod author opus comendes: carmina, tantum
Quod tuā sint, plausus notum est laudesque mereri.
Quid superest igitur? Nisi quod tibi debita pręstem
Officia, & grates habeam: Nova porrigis ultro
(Quis neget?) argumenta tui Pręceptor, amoris;
Forsan ut ex ęquo reddam? par reddere munus
Non opis est nostrę; longe distamus ab illo,
Nec dixisse pudet, quod te totum occupat, œstro.
Excipe tranquillo tamen incultissima vultu
Carmina: tum quidquid peccant, velut ante solebas,
Corrige, sicque tuo rursum indulgebis Alumno,
Ut te digna canat: studiis desuevit amœnis,
Tristitięque animus cedit, tantisque laborat
Dum Mens pressa malis, ingrata per otia torpet.
Vos tamen interea, Thuscę ornamenta loquelę,
Vos, inquam, Aonię decus immortale Palęstrę,
Quorum sensa animi Latio donare Nicandro
Cura fuit, ruite in plausus; interprete tanto
Quandoquidem antiquum non amisere decorem.
Tuque oh! pręcipuos cui devovet ille labores,
Adriaci Regina Maris, si carmine dignas
Ipse tibi laudes intexuit, atque benignum
Imperii regimen, tum Relligionis amorem,
Et studia, atque artes, partosque ex hoste triumphos,
Et jura, & mores plectro complexus eodem
Singula virtutum cecinit merita ampla tuarum;
Nunc age, quodque soles, judex ęquissima Vati

Præmia digna tuo jubeas: Epigrammate parvo
Si, te Romuleę dum prętulit Actius Urbi,
Magnificę quondam meruit largissima dextrę
Munera, bisseni quid non meruere libelli?
Dic, ut Apollinea cingantur tempora Lauro,
Dic, ut Iasseo, quos sera recenseat olim
Posteritas, meriti actutum referantur honores;
Incisi Vultus, incisum marmore, & ęre
Stet Nomen; tum scripta notis majoribus adde
Hęc circum: Huic tantum debet mea gloria, quantum
Virgilio Æneas, vel Achilles debet Homero.

PLA-

(a) *Quod quondam asserui, quanquam tunc dispare causa,*
Nunc post lustra octo commemorare juvat.

Programma.

Pater Emmanuel de Azevedo Primarius Rhetorices Professor.

Anagramma.

Oh Poesis amor, & peritus defensor, i, laurum carpere mereas.

Epigr.

Propugnata tuis facunda Poetica verbis
Exigit ingenio præmia digna tuo.
Laurea, ne dubites, tibi carpere serta laborat
Frontis honor, vatum cura, poesis amor:

Ad Cl. virum
D. Joann. Vignier
Epigramma jam ab anno 1739. concinnatum
Cum Auctoris Rhetoricam tradentis
Auditor esset.

Nunquam discipulus potuit superare Magistrum,
Missus ab ætherea sede Magister ait.
Sed Pręceptoris cum sim neque nomine dignus,
Glorior eximiis cedere discipulis.

PLAUSUS ET CONCURSUS POPULARIS,

DUM EXCELLENTISSIMUS D. D.

FRANCISCUS PISAURUS

Divi Marci Procurator Procerum Corona ſtipatus ad Regiam accedit.

NICANDRI JASSEI P. A.

ELEGIA.

QUis ſonus attonitas implet clamoribus aures?
  Quæ nova non ſolitis gaudia ſparſa modis?
Ire redire homines, feſtoque undare tumultu
  Miror, ut excedens ſit venientis obex.
Corpora corporibus laqueantur, & obvia ſiſtunt,
  Hinc titubante gradu limitem agunt humeris.
Ac velut ad limen glomerata alvearia fervent,
  Sic ſeſe impediunt per fora, perque vias.
Dumque licet, clamant; dum non licet edere plauſus;
  Edere ſigna animi fauſta precantis amant.
Hic ſalit exultans, hic brachia tollit in altum,
  Hic Te, Magne Heros, aſpicit, inde polum.
Lætum præcedit murmur, reverentia voces
  Frænat, ubi tranſis, ſubſequiturque fragor.
Cernere Te certant populi, Franciſce, fluentes:
  Cauſa venis tantæ publica lætitiæ.
Pergis ad auguſtas Marci ſpectabilis ædes,
  Nuper enim Templi tradita cura tibi eſt.
Præceſſere Atavi ſeptem; gens inclyta geſtis (1)
  Hæc fuit Heroum ſemper in Urbe ferax.
Patria tot meritis genus omne indulſit honorum,

Debitus hic tandem nunc Tibi jure venit.
Perge; Togam accipies, & te comitantur euntem (2)
Urbis honos, Procerum gloria, plebis amor.
Magnatum accedis bina ſtipante corona,
Qua Te Supremi Principis aula vocat.
Circumfuſa ruit ſenibus commixta juventus, (3)
Atque oculis quærit, qua valet arte, viam.
Nauta volat poſito teſtatus gaudia remo,
Artifices penſum depoſuere ſuum.
Ipſe foro addictus, ſacras addictus ad aras
Plebem inter gaudet lætus habere locum.
Atque ubi ſunt merces (& ſunt quibus ordine miro (4).
Ars & amor comptas ornat utrinque vias.
Flumina, teſqua, feras, viridaria cernis, & hortos,
Prata, urbes, arces, mœnia, templa, viros.
Nobiliore loco tua ſunt inſignia, pulchram
Picturam implicitis mercibus eſſe putes.)
Atque ubi ſunt merces, congeſta ſedilia callem,
Altius ut poſſit cernere quiſque, locant.
Sed tamen ut pateant nitida ornamenta domorum,
Conſpicua & cupidis omnia ſint oculis.
Advena miratur, cui Te comes indice monſtrat,
Te creſcit feſtus prætereunte ſonus.
Occupat innumeras auro exornata feneſtras
Fœmina, quæ dextra mota flabella tenet.
Ac velut albeſcunt nivibus juga ſplendida, montem
Surgit in excelſum candida cæſaries. (5)
Hæc capiti plumas, amat illa adnectere flores,
Vitta cadit, ludunt retia, gemma nitet.
Certatimque omnes de Te, Franciſce, loquuntur, (6)
Tu modo materies unica laudis ades.
Cerne exultantes animos, depictaque vultu
Gaudia, & ut ſignis abdita corda patent.
Vive diu, vox una ſonat, vive, euge, triumpha, (7)

Ur-

Urbis honos, generis gloria, vive diu.
Gens mundo, gens chara Deo, celeberrima factis,
Inclyta conſilio, relligione, fide.
Clara domus magnis celebretur honoribus aucta,
Laude ſimul felix interiore viget. (8)
Quam dulces animo gignit concordia ſenſus!
Quæque intus regnat pacis amica quies!
Corpora plura vides, ſed cor tamen omnibus unum;
Quæ natura quidem dividit, unit amor.
Frater adeſt Veneti decus immortale Senatus,
Cui dare conſpicuum gratia nomen amat. (9)
Sorte pari Petrus ſequitur veſtigia Fratrum,
Delitiæ Veneti non minus ipſe ſoli.
Tu quoque carminibus quondam celebrabere noſtris
Chare Puer, tu ſpes, gloria, cura Patris.
Ut tibi naſcantur fratres, communia poſcunt
Vota; ſed interea creſce Puer Patriæ.
Moribus eſſe ſuis jam primo a limine vitæ
Conſimilem, Fratrum terna corona notet.
Incipe mellifluo Patrem cognoſcere riſu,
Dum Pater, & Patrui quid ſit amare docent.
Clara Uxor, dilecta Parens, Soror optima Petrum
Mœſta exire domo, læta redire videt.
Cæleſtis Patriæ ſi qua eſt mortalis imago,
Mutuus hanc nobis dulcis adumbrat amor.
Diſcordes memoro numeroſæ in vallibus Idæ,
Hic tamen unanimes tres habitare Deas.
Si conferre licet, ſit Mater maximo Juno,
Palladis ingenio Sponſa decora nitet.
Sed matura viro laudes modo continet omnes
Juno animis, Pallas moribus, ore Venus.
Tres aliæ Divæ jam tecta aliena bearunt,
Quaque velis, laudum naſcitur ampla ſeges.
Sic modo concelebrant exempla domeſtica gentes;

Et modo longinquis qui micuere locis. (10)
Et modo laudatur pietas, modo bellica virtus,
Nunc amor in patriam, nunc grave conſilium:
Doctrina illuſtres per ſingula ſæcla recenſent:
Eſt multis diſpar gloria, nomen idem (11)
Quos toga, quos gladius, quos infula ſacra decorat;
Non horum laudant præmia, ſed meritum.
Ille Piſaurenſes populos extollit, & urbem,
Quod dedit Adriacæ germina clara plagæ. (12)
Nos inter florent per bis tria ſæcula, poſtquam
A clara prudens urbe Jacobus abit.
Nec retinet patrio dudum meruiſſe Senatu,
Cumque opibus transfert ſeque, ſuoſque ſimul.
Nam dum Flaminiam vaſtat Federicus acerbo
Fulmine, pax Venetis aurea regnat aquis.
Dumque notat priſcæ monumenta illuſtria gentis,
Nomina ſaltem aliquot clare tacere nequit. (13)
Ut quondam ſacras Baptiſtæ extruxerat ædes
Angelus, atque pios addiderat reditus. (14)
Inde alius memorat Ligures, qui noſtra ſuperbi
Cærula verrebant navibus innumeris.
Mittitur hinc Lucas, & læta per æquora Ponti
Adriaci Venetis vindicat imperium. (15)
Græcia nonnullis præbet ſermonibus anſam,
Qua laude ornavit bellica claſſis evos.
Nam celer Odryſios properat Benedictus in hoſtes, (16)
Et ſubitæ ſtrages, non fera pugna fuit.
Captæ arces, ſubjectæ urbes, & in æquore naves
Submerſæ: Venetis gloria priſca redit.
Supplicium ſceleri, virtuti præmia confert,
Nec jam piratis ſunt loca tuta mari.
Sic ſæpe Adriacis Hieronymus imperat undis, (17)
Pugnandumque uno non tamen hoſte fuit.
Non terrent Aquilæ, aut Lunæ vexilla Leonem,

Quip-

Quippe triumphali claſſe vagatur aquis.
Si regnum invadat validis exercitus armis,
Belligeræ Petro cura cohortis erit. (18)
Doctus apud Reges tractare negotia belli,
Sæva inter curis proderit arma ſuis.
Europæ memorant alii per regna Joannem
Principis excelſum munus obire ſui. (19)
Utque repugnanti ſceptrum merita ampla dedere,
Ut populi fulſit dulcis in urbe parens.
Omnigenis illum ornavit facundia donis,
Quæ reliquis parca dividit illa manu.
Græcia doctiloquo felix Demoſthene cedat;
Jam poſthac Italis Tullius alter erit.
Ille ſtylo preſſo claris celebratur Athenis,
Hic fluido Romæ ſplenduit eloquio.
More utroque inter Proceras ſua ſenſa Joannes
Exprimit, ut nitidis nobile flumen aquis.
Nam præceps anguſta inter modo litora fertur,
Nunc amne expanſo lata per arva furit.
Auguſtus pendet dicentis ab ore Senatus,
Et bibit attonitis aurea ſenſa animis.
Dulcis amor patriæ, prudentia, candor, honeſtas,
Aſſidui comites, dum loqueretur, erant.
Poſcit honos? ergo Odryſios mittantur in hoſtes (20)
Cornua qui Lunæ frangere dira queant.
Deficit æs? ſponte exemplo præcedit, & offert,
Ne fera langueſcant prælia, largus opes.
Cætera tum belli, tum magna negotia pacis
Provida ſolliciti cura Joannis erant.
Nec referam utilibus geſſit quæ munia curis;
Ante oculos Pario marmore ſcripta patent (21)
Sæpe ſepulcralem novus adſtupet hoſpes ad urnam;
Qua magnis certat ſumptibus artis honos.
Quatuor Æthiopes humeris ingentia ſaxa

Sustentant; pressos grande fatigat onus.
Spirantes vitam statuæ longo ordine surgunt;
 Et Leo magnanimus stat Ducis ante pedes.
Utrinque indignum damnat Libitinia triumphum,
 Æs ossa, & pellem, sed sine carne notat.
Te, Franciscе, animo versat, dum clara Joannis
 Singula gesta Hospes marmore scripta legit.
Et postquam attonitus tua gesta illustria confert,
 In magno Te nunc vivere clamat Avo.
Tum populo immistus Te cernere quærit euntem,
 Et volat in laudes non minus ipse tuas.
Alter adest, magnam appulsus qui nuper ad Urbem,
 Marmoream mira viderat arte domum. (22)
Constitit in magno, vehitur dum lintre, canali,
 Atque ædes magni Principis esse notat.
Stat latus immensum, facies pulcherrima, duplex
 Pergula, & ante fores nobile vestibulum.
Exornant statuæ latere ex utroque fenestras,
 Monstra situ ostendunt inferiore caput.
Marmora quadra prius puncto extenduntur acuto,
 Gemmę instar, frontis gratia, & artis honor.
Et quacunque oculos advolvas, mente recurrunt
 Magnanimi sumptus, artificum ingenium.
Certatim extollunt hic ędes, ille sepulcrum,
 Hic Patrem, hic Fratres laudat, & alter Avos.
Sed modo fausta dies Franciscum agnoscere cogit (23)
 Virtutum hęredem, nobilitatis, opum.
Laudentur veteres, sed tu laudaris in illis,
 Nam modo laude pari, qua nituere, nites.
Sic Tibi concedant sacra Numina Nestoris annos,
 Nam, Francisce, salus publica semper eris.
Vidimus augusta Sapientum in sede locatum, (24)
 Hoc sibi promeruit culta juventa decus.
Militiam, Classesque regi recto ordine curat,

In

In miſeros tenero ſemper amore vigil.
Dedita vos duro venalia corpora remo
Sponte infelices commemorare juvat.
Franciſci pietas, Procerum clementia fecit
Ne deſperatos ſęva triremis alat.
Dum Venetas cuſtodit opes a lege probandum
Curat in antiquis cenſibus eſſe modum.
Sic quę majeſtas, quę ſubditus exigit Heros
Novit communi conciliare bono.
Nec mirum in populis ſolito majora notari
Gaudia, dum certant officiis Proceres.
Te quondam unanimi celebravit Hetruria plauſu, (25)
Parma exultanti ludere viſus aqua.
Hoſpes ubi fueras, omnes, Franciſce, triumphant:
Nunc Patriæ ſenſus experiere tuæ.
Acceſſu facilis, viſuque affabilis omnes
Allicis ingenio, dexteritate, fide.
Sive adeas magnos Reges, ſive excipis urbe,
Extollunt dotes tempus in omne tuas.
Conſpicuum Adriaci nunc Principis accipe donum,
Æqua facit meritis præmia dantis amor.
Sed quamvis hominum plaudat tibi quilibet ordo,
Non animi pariter prodere ſigna queunt.
Qui guſtare ſolent liquidas Aganippidos undas, (26)
Qui lucro incumbunt mercibus expoſitis:
Hi, qua ducis iter, latera omnia mercibus ornant,
In queis materiem nobile vincit opus.
Appenſis illi vulgant ſua carmina chartis,
Et legitur tota nomen in urbe tuum.
Cur modo, communes quibus attinet edere plauſus,
Inſolitis certant ſe ſuperare modis?
Rem teneo: alliciunt benefacta recentia pectus;
Majus ab his animo pondus ineſſe ſolet.
Carmine qui laudem, qui lucrum mercibus optant

Cer-

Certa patrocinii signa recentis habent.
Quæris ut his lucrum, sic illis quæris honorem,
Ad latus eximii cum modo Regis eras.
Gratia ut Hispanos, & mentis acumine Vate (27)
Hetruscis dignos auribus esse vides:
In Latios modulos plures invertere curas,
Ft selecta paras carmina danda typis.
Carmina Regali Lector nitidissima prælo
Agnoscet dextræ dona fuisse tuæ.
Interea merces dubio bona credita ponto
Belligeræ classis præda vagantis erat. (28)
Heu quam difficile est, dum bella reciproca fervent,
Non irritandis quærere jura modis!
Vos Veneti, sensistis enim, & memorare potestis,
Dicite quas curas vulnera fortis alant.
Navis ludus aquæ ventis agitatur, & undis;
Nec satis est: hominum subjacet insidiis.
Dum tamen Hesperia vigilat Franciscus in aula,
Nulla potest Venetus damna subire Leo.
Vindicat Adriacis prudens sua jura carinis,
Nec sinit invisam rebus inesse moram.
Libera navis abit, non una, vel altera tantum;
Ter decies Venetis enumerare licet.
Sæpe etiam infecto veniunt a litore naves,
Pestis ubi rapido sævit iniqua gradu.
Mense opus est, excurret adhuc pars tertia mensis,
Dissipet ut nocuam purior aura luem.
Tunc postquam optata nautæ potiuntur arena,
Qua vocat utilitas, mercibus ire licet.
Sed satis in primo ratibus mora debita portu,
Nullaque, si justa suspicione carent.
At Venetæ naves, quod litora forsan Eoa
Sæpe adeant, longa condoluere mora.
Condoluisse tamen pateris, si jura requirant;

Cæ-

Cætera consilio rumpere vincla potes.
Tantum magnanimi valuit Tibi gratia Regis,
  Et tantum Patriæ profuit illa tuæ!
Augusto placuisse viro Tibi maxima laudum:
  Sic nostra utilitas gloria summa Tibi est.
Perge precor, generose Heros, per culmen honorum:
  Quo pede cœpisti, sic bene semper eas.
Perge precor Patriæ cura servire fideli,
  Atque alios titulos laudibus adde tuis.
Perge precor: Te noster amor, plaususque sequentur,
  Præcedens factis fama diserta novis.
Luce benigna astrum Veneto splendescere cælo
  Perge diu, influxus mittere perge tuos.
Non Tibi, sed reliquis Te vivere noscimus omnes;
  Quo vita utilior, plus Tibi dulcis erit.
Noscimus a summo concessum Numine donum:
  Da modo concessa commoditate frui.
Adde quod ingenium Patrum penetrabile vero
  Mille juvandi artes quærere semper amat.
Est aliquid doctis communia quærere curis
  Commoda, cum Princeps viscera Patris habet.

---

(1) *Ex præclarissima Familia octavus est D. Marci Procurator.*

(2) *Toga Procuratorum D. Marci est distincta.*

(3) *Affluentia populi.*

(4) *Innuitur viarum apparatus, sed pergit Vates in describendo visendi studium.*

(5) *Ornatus mulierum e fenestris spectantium, præcipue in capite.*

(6) *Lætitia, & communis applausus.*

(7) *Omnes merita Excell. Procuratoris extollunt.*

(8) *Lau-*

(8) *Laudant in primis concordiam domesticam.*

(9) *Joannes significat Gratiosus.*

(10) *Effunditur populus in laudes hujus Familiæ.*

(11) *Plures in hac clarissima Familia ejusdem nominis diversa laude floruerunt: nempe Franciscus Episcopus Jadrensis, qui interfuit Concilio Lateranensi sub Leone X. & Franciscus ad Clementem VII. Orator in Philosophicis studiis versatissimus: Joannes Episcopus Torcellanus insignis Theologus, & Joannes Dux, de quo infra: Angelus piissimus Civis, de quo etiam infra, & Angelus frater Hieronymi in navalibus expeditionibus celebratissimus. Sic plures alii.*

(12) *Jacobus Palmieri Pisauriensis (unde Familiæ nomen) Vir ditissimus, & nobilissimus anno 1224 quum Federicus II. Imperator bellum contra Romanum Pontificem gereret, Venetias se contulit.*

(13) *Locus hic esset indicandi plures insignes viros præclarissimæ hujus Familiæ; sed cum ad laudes Excell. Procuratoris plausus populi dirigatur, hic aliquos celebriores dumtaxat nominat, quorum memoria etiamnum apud omnes in Urbe viget.*

(14) *D. Joanni Baptistæ, vulgo,* Decollato, *propriis sumptibus.*

(15) *Lucas Genuenses anno 1443. ab Adriaco mari fugavit.*

(16) *Benedictus hic Classis Venetæ Imperator anno 1500. cum Cæsare gloriari poterat:* Veni, vidi, vici. *Tribus diebus gloriam Venetam restauravit, debellatis hostibus, recuperatis in Græcia urbibus, &c. Proditores supplicio affecit, & Piratas fugavit.*

(17) *Anno 1512. Hieronymus Classis Venetæ Ductor contra Carolum V. Imper. Iterum contra Turcas variis expugnationibus illustris.*

(18) *Petrus anno 1510. ad Reges Legatus: hinc difficil-*

ficillimis temporibus pro Republica Provveditore, *ut vocant*, di Terra ferma.

(19) *Immoratur populus in laudibus Sereniss. Ducis Joannis, cui similem depradicat præsentem* Procuratorem. *Is enim & multiplici apud Reges legatione functus est, & eloquentia floruit singulari; eaque varia, prout argumenta postulabant.*

(20) *Innuitur celebris Joannis ad Senatum allocutio, cum adhuc esset D. Marci Procurator. Patres enim Conscriptos induxit ad bellum contra Turcas, quamvis Dux, & plerique Patres renuissent: & exhausto publico ærario, magnam summam obtulit; quod exemplum reliqui Cives ultro imitati sunt.*

(21) *Hospes recenter ingressus Templum PP. Conventualium, miratur magnificum Ducis Joannis Pisauri Mausolæum, quod describitur, atque inscriptionem legens, laudesque Excellentissimi Francisci animo reputans, Avum in Nepote superesse existimat.*

(22) *Hæc cum secum deinde populo stipatus cogitaret, alium audit advenam, qui Palatium Excellentissimæ Familiæ summopere admiratus, hujus exteriorem faciem describebat.*

(23) *Omnium voces ad laudem Excell. Procuratoris restringuntur.*

(24) *Cum munera vulgo* di Savio alla Scrittura, *&* di Savio Cassier *exerceret, in primo curavit ne miseri despenati ad trireme sponte sua sese mancipare, vili, & inhumano accepto pretio; in secundo obtinuit a Senatu, ut antiqui Census in minorem summam redacti redimi possent.*

(25) *Florentiæ, ac Parmæ a Regiis illis Principibus magno in honore habitus est, ab iisque Regibus, & Ducibus, apud quos Orator fuit, vel quibus Venetiis obsequia præstitit.*

(26) *In*

(26) In ingressu Procuratorum D. Marci soli Poetæ, & Mercatores possunt animum suum factis exprimere. Quærit Vates, cur in utroque hominum genere, quod valde dispar est, signa obsequii solito majora splendeant.

(27) Cum Hispanica Legatione fungeretur, ut celebriores ejus gentis Vates in Hetruscam linguam verterentur, plurimam operam dedit.

(28) Mercatores illi debent, quod supra triginta naves prædæ subjectas ab imminenti periculo liberavit: & quod in portubus Hispaniæ non sit deinceps subeunda mora Venetis Navibus, vulgo Quarantena. *Usque adeo is gratia valuit apud Regem optimum magnorum virorum æstimatorem.*

Eminentissimo Principi S. R. E. Cardin. Quirino cum munus misisset questus quod Auctor diu ad ipsum non accederet. Excusatur Poeta quod occasione Anni Sancti Pœnitentiarii munus tunc temporis supplebat.

Maxime Vir Princeps, Præceptor, Amice, Patrone,
  Nomina sunt meritis omnia digna tuis.
Parce precor, dudum quod corpore cogor abesse,
  Nam præsens animo tu mihi semper ades.
Bis volui sacræ reverenter ad oscula dextræ
  Accedens monitis discere digna tuis.
Sed toties alio me jussa inopina vocarunt,
  Nullaque promissis debuit esse fides.
Promisi, fateor, cum me tua dona querelis
  Plena, quasi oblitum commonuere tui.
Indolui posse ingratum mihi crimen inuri;
  Visa est suspicio pondus habere suum

Pro-

Promisi, voluique brevi te quærere, gratus
  Ut saltem obsequiis proderer esse meis.
Vaticana vocor sed bis ad Templa, nocentes
  Pacato ut possim conciliare Deo.
Scis bene quot populos vocat acceptabile tempus,
  Sese ipsi impediunt per fora, perque vias.
Bis centum currus intrare aspeximus Urbem,
  Inque ipsa peditum millia quinque die.
Templa quidem plena invenies, Pars maxima Petrì
  Supplex ante aras oscula figit humi.
Mille inter gemitus, inter suspiria mille
  Præteritum exhorret vox lacrimosa nefas.
Si nosces quam mæsta venit, quam læta recedit
  Turba frequens Domino reddita chara suo,
Quod procul absuerim, gauderes: Semper amicos
  Hæc utinam impediat causa videre meos.
Parce ergo, aut potius grates age; Lætus utrumque
  Efficis, hoc pietas imperat, illud amor.

Plausus Fanensis Urbis ob felix faustumque nuntium de Marco Antonio Marcolini ad Romanam Purpuram a PIO VI. P. O. M. adlecto. Carmen Encomiasticon Comiti Joanni Gastonio Marcolini Fratri Optimo, Equiti Priori Ordinis S. Stephani, Mariæ Antoniæ Electricis Saxoniæ Magno Domus Præfeto,

Ab Emmanuele de Azevedo

Inter Arcades Nicandro Jasseo

Obsequenti Animo Dicatum.

Stemma Gentilitium: Rosæ & Lilia

Indumenta Rosæ ostendunt, & Lilia mores;
Ingenium, & mentem nil valet exprimere.

Stemmatis Parergon: Leones.

Magnanimum referunt latere ex utroque Leones;
Hæc dignum Marci nomine signa probant.

Librorum Argumenta.

Nuntia fert missus Fanum lætissima Cursor.
Adventu exhilarat nimium expectasse querentes.
Ultra abit, & causas etiam celebramus eundi.
Mille modis certatim omnes sua gaudia produnt.

PLAUSUS FANENSIS URBIS

CARMEN ENCOMIASTICON.

LIBER PRIMUS.

LÆtitiæ affectus subitos, cum prima tulerunt
Nuncia Purpureum, Te, Marce, ornare Senatum,
Nunc canere est animus, laudum merita ampla tuarum
(Quamquam impar) celebrare velim; sed pondere rerum
Opprimor; angusta licet obluctamus arena,
Mens refugit; Vatem trepidantem, & adire timentem
Solve metu; & patriæ dum nosces Urbis amorem,
Nulla tibi laus major erit, non gratior ulla.
Vos Nymphæ, incolitis quæ proxima rura Metauro,
Nereidum affines Sociæ, queis luditis udo
Littore, mellifluas aptate in carmina voces,
Ne descripta minus placeant, quam visa placebant.
Ad plausum excitas & vos plausisse putandum est;
Me quoque Fanensem (namque hic duo lustra peregi)
Annumerate aliis; vestro mens percita dono

Cun-

uncta notet: Vidistis enim, & memorare potestis.
At tu, Magne Heros, Marci dignissime Frater,
Qui jussus regna Europæ juvenilibus annis
Lustrasti, Benedicto olim, qui Sceptra regebat
Auctore, & docti meruisti exponere causas
Excursus, sacro circum spectante Senatu,
(Mirandum visu!) pro Relligionis honore;
Tu quondam dilecte Patri, tu gloria gentis,
Inclyte Męcenas studiorum, & nobile calcar,
In quo Nobilitas, in quo Sapientia sedem
Constituit; sensa ingenii depone parumper,
Et quæ continuis immensa volumina curis
Nocturna versare manu, versare diurna
Indefessus amas; & qua pietate rogantes
Excipis, in tenui dono sensa indue cordis,
Gratum agnosce animum, atque audacibus annue cœptis.
Ut quondam insignes Urbes pro laudis honore
Decertasse ferunt, quæ jactaretur Homeri
Patria, quæ tanto dederit cunabula Nato;
Haud aliter plures, sed tres melioribus ausis
Urbs Vetus, Eugubium, Fanum, Te, Norma Pisauri,
Gloria Romulidum, & generosi sanguinis hæres,
Contendunt numerare suum; cum prima vetustos
Clara Monaldescos (Italæ celeberrima gentis
Nomina) protulerit; gens illa excelluit olim
Dives opum, Patriæ columen; seu pace salubri
Consilio; seu dum bello implacabile fulmen
Dux fuerat; semper strages, & damna ferebat;
Certa sequebatur semper Victoria dextram;
Innumerosque viros, & avos numerebat avorum
Nobilitate pari, merito nec dispare laudum.
Rebus in humanis nequeunt firmissima quæque
Stare diu; cuncta instabili ratione moventur,
Et variat Fortuna vices; gens nata triumphis

In partes divisa duas civilia bella
Excitat, inque alio statuit splendescere cælo.
Contigit, Eugubium, tibi sors; tu nobile præstas
Hospitium profugis, qui dum patria arva relinquunt,
Antiquum pariter voluere relinquere nomen;
Dumque altos servant generoso in sanguine sensus
Se Male-Corinos mutato nomine dicunt.

Longa virum series, præclara illustribus actis
Tam bello, quam pace potens, Tibi junxit honorem
Nobilis Urbs, mediis qua montibus Umbria vallem
Objicit; atque oculos prospectu pascit amœno;
Nec procul antiquæ visurus mœnia Romæ
Pauper aquæ Tybris, sed qui ditescet eundo,
Effluit; oppositum patrii de vertice montis
Prospicis Oceanum, & pluvias in flumen ituras
Ipse Metaurus aquas rapido secum excipit alveo.
Sed majora tamen (quid enim celebrabimus undas?)
A te gaudet ovans dona accepisse Metaurus.

Qua via dividitur dominantem adeuntibus Urbem,
Altera per montes brevior, per littoris oram
Altera, vernantes in gyrum assurgere colles
Observas, oculisque simul geniale theatrum
Planicies spatiosa offert, nec noscere posses
Qua Ceres, aut Bacchus, seu qua Pomona triumphet
Fertilior; rapido oblitus decurrere fluctu
Inclyta Romulidum palmis rigat arva Metaurus,
Donec in Oceano duplicem divisus in alveum
Emoriens nec signa sui, nec nomina servat.
Hic, ubi lætus ager salsis supereminet undis,
Nobilis Urbs surgit Romanis clara Colonis,
Cui nomen Fortuna dedit; Fortuna dolosas
Quondam inter numerata Deas; veniamque meretur
Prisca superstitio; tractu collegit amæno
Divitias natura suas; cælique benigna

Tem-

Temperie dat posse diu sua dona potiri.
Magnanimos, & mente habiles producere cives
Gaudet, & externis morum dulcedine charos.
Plura patent sacra templa Deo; servataque Divum
Pignora, queis populi pietas innata fovetur.
Objicit hic pelagus sinuosum flexus in arcum
Et cymbis habilem, & facilem ad commercia portum,
Dum studium, dum cura loco responderit ipsi;
Adde situm in medio, qua late extensa recurrunt
Adriaci vada salsa maris; subsultat ubique
Vena salubris aquæ, qua nulla salubrior altis
Montibus excurrit; quin ipso in littore surgit
Pura, levis; nec eam lædit vicinia Ponti.
Vicinas circum adde Urbes; qua præpete curru
Qui veniunt, iter instituunt supra æquoris undas;
Altera ludentes fluctus, rota sulcat arenam
Altera; stare procul juvenes in gurgite mersos
Aspicis, ut sapido quærant conchylia succo.
Dumque trahunt stolidos in littus retia pisces,
Innumeræ expandunt cymbæ sua carbasa ventis,
Quas propius numeras, quas vix discernere possis;
Squamigeræque movent fatalia prælia turmæ.
Quid memorem spatiosam aulam, qua nulla cothurno
Aptior; hic miræ portentum agnoscimus artis,
Et quamquam artis opus, sese ars superare videtur.
Quid memorem dignam non uno Cæsare Molem
Grati signum animi, quo Gens generosa triumphos,
Bellipotens Auguste, tuos, & euntibus annis,
Constantine, tuos fremitu celebravit ovanti?
Tempora præcinctos lauro comitatur euntes,
Desuper huic ornans, quem primo extruxerat arcum.
Miserat huc plures meritis, & sanguine claros
Eugubium; quos inter, Avos, o Inclyte Princeps,
Lætamur numerare tuos; gens prædita mente

Magnum auctura decus, meritum cognoverat Urbis;
Urbs quoque grata fuit; sobolemque illustribus actis
Egregiam non illa semel celebravit ovanti
Applausu, variisque ostendit gaudia signis,
Non semel ornavit festivis ignibus ædes,
Vota precesque Deo templis unita profudit,
Dum resona elatis in turribus æra sonabant,
Dum cytharæ, vocesque simul mira arte canoræ,
Et Lyra mulcebat lętis concentibus aures.
Quid tamen antiquas opus est describere causas
Obsequii? quid opus veteres evolvere fastus?
Non mihi sublimes mens est tentare volatus;
Da veniam Vati; superant decora inclyta gentis
Ingenii vires, dum Te laudare vetamur
Magne Heros, memorare juvat, quæ gaudia nobis
Expectata affers; aliis majora licebit
Audere: hic humilis, quod cernere contigit unum,
Musa refert; hæc parva mihi provincia tantum
Sumitur; inque tuam venient ea gaudia laudem.
Jam Pius e Solio Marci decora ampla recenset
Purpureos inter Patres, quibus additur Heros,
Sic jubet ipse Pius, sacro applaudente Senatu:
Exultat veterum sedes generosa Quiritum.
Dumque loquor, ventis, & fulminis ocyor alis
Discedit Cursor Fanensem missus in Urbem,
Fortunatam Urbem! præcedit Fama sonoram
Docta inflare tubam, plausus comitantur euntem,
Perque viam Zephyrus roseos inspergit odores.
Optaret Fanum, optaret Gens clara Pisauri,
Urbinum, Eugubium, & quotquot regis arbiter Urbes,
Ad latus esse tuum, & famula circumdare dextra,
Cum veste indueris pretioso Murice tincta;
Explicuisse alii, atque alii distendere vestem,
Atque humeris aptare tuis, & quisque potiri

Pa-

Partem opere in tanto exigeret; Tibi, Marce, placeret
Undique ſollicitæ certamen amabile gentis
Obſervare diu, nec gratior ulla voluptas,
Nec ſibi majorem Princeps acquirere laudem
Jure putat, quam ſi cunctis ſe noſcat amari,
Et virtus ab amore auſus, non crimina ſumant.
Ah populos ſi, Marce, tuos, dum Purpura ab Urbe
Mittitur, aut Urbem patriam, quæ conſcia laudum
Te colit, aſpiceres præſens, manifeſta notares
Mirificis expreſſa modis a corde profecta
Signa animi, inque ipſo legeres communia vultu
Gaudia, & ingenuos plauſus: ſibi Roma reſervat
Hanc ſortem, & charo triſtes privamur honore.
Urbs vetus interea præclaram ob origine gentem
Perge quidem numerare tuam; tua dicitur olim
Eugubium, affines partem ſibi quærere laudis
Decertant Urbes; ſed Fano eſt gloria major,
Gloria nunc noſtra eſt: noſtris ſua gaudia jungant.

LIBER SECUNDUS.

Viderat ingenio clarum, virtute probatum
Alma fides ortum præclara ab origine Petrum,
Et florentem annis (cui certa paraverat Oſtrum)
Per varios iviſſe gradus ad culmen honorum,
Ceu rapidum flumen, ſed curſum ex fonte notabis.
Namque Palatinæ vix limina contigit Urbis,
Mittitur in Lyſiam conceſſi Nuntius oſtri;
Sed quæ ſecreto commiſſa negotia Clemens
Injunxit, ſuperant annos, non mentis acumen.
Injunxit, Regem Anglorum, quod dogmata ſervat
Romulidum, Patria pulſum, Romaque receptum
Jungere Matronæ regali ſanguine dignæ
Curet, ne Regum pereat generoſa propago.

Auxilium injunxit Venetis ad prælia quærat;
Nam tunc victrices Ægea per æquora naves
Imperio Veneto strages, & damna ferebant;
Sola quidem poterat tanto Germania damno
Objectare obicem, & fortes opponere turmas;
Ut faceret, curandum etiam ne castra moveret
Gallia, & a nocuis diverteret hostibus hostes.

Cogitur hinc juvenis tantarum pondera rerum
Mente agitans, magnos Reges, magnosque Dynastas
Regna per Europæ cunctis gratissimus hospes
Visere, & injectis habilem sermonibus ansam
Quærere, ut optatam valeat contingere metam.
Hos si sancta Fides collegit ab arbore flores,
Conjice quos potuit sibi jam promittere fructus.

At Petrum amisit, nam cum graviora parantur
Munia, ut extincto servaret sanguine gentem
Egregiam gentem, felicem linquere cursum
Cogitur invitus, patriosque revisere fines.
Spes videt indoluisse Fidem, cum præscia rerum
Adfuit, & simili solatur voce Sororem:
Magnum erat, ut longo monstrabunt sæcula tractu,
Heroum servasse genus; socialia jungat
Vincula, primitias qui jam tibi destinat; inde
Plura addit, sed non licuit plus discere Vati.

Atque ea, cælestes quæ tunc dixere Sorores,
Mente agito; nam Te quamvis Benedictus amavit,
Et merita ampla licet Clemens agnovit uterque,
Plura retardarunt tibi præmia, & insuper Ostrum
Ter meruisse datum est; sic non fortuna, sed ingens
Te meritum sacro vestit (nec fallor) amictu.
Ipsa Pio Magno tandem servata manebat
Gloria concilio Patrum conjungere Marcum.
Noluit ille tamen clarum tibi mittere donum
Purpuream vestem; atque absentis texere laudes;

Sed Te, dum merita accumulas, nec præmia curas,
Intentum reparare vias, impervia saxa
Scindere, corroso divertere flumina cursu,
Otia spernentem; per valles, per juga celsa
Solicitum, tua sit quanti præsentia, certum,
Cum minus expectas, sacram revocavit in Urbem.

Interea nostræ, missis ad Numina votis,
Impatiens erat Urbis amor; pars solis ad ortum
Itque, reditque viam; pars, quam construxerat olim
Flamminius; passu adveniat si quisque citato,
Si currum Aurigæ solito velocius urgent,
Tortile si flagrum vacuas diverberat auras,
Accedunt, & siqua ferant nova nuntia, quærunt.
Nota dies fuerat, qua Te expectaverat Ostrum,
Magnanime o Princeps, nec jam spes nostra timebat.
Sæpe etiam edocti, cupidam quò tempore in Urbem
Adventare queat Cursor, numeravimus horas.
Sed (prævisa tamen nobis) mora longa videtur,
Quæ mœrorem aliis, aliis commoverat iras;
Currere tunc visum est longos breve tempus in annos.

Missivis ut signa darent communia flammis,
Per juga, per colles, perque intervalla locorum
Accurrunt alii; citiusque per aera fulgor,
Quam Cursor, quamvis præceps, properaret in Urbem.
Dumque alios alii pacto splendore monerent,
Signa dedere quidem, sed inania signa dedere,
Sæpe fefellit amor; ceu cum venator in agro
Observat, si forte lepus de cespite currit;
Jam leporem currisse putat, quà sibilat Eurus,
Qua frondes levis aura movet, qua frondibus ipsis
Ludit avis, querulo qua labitur unda susurro;
Sic dant signa aliqui, quoties procul ungula campum
Quadrupedante quatit sonitu; sed signa retardant
Qui melius vigilant, neque erat culpabilis error;

Quod

Quod nimis optat amor, non raro cernere credit.
Nec tantum de plebe homines, erravimus ipsi,
Quos prope Te felix duxit fortuna, Joannes,
Quem fratrem appellare suum sibi ducit honori
Marcus, & ornamentum Urbis cognoscimus omnes.
Hic casu explosos cum forte audivimus ignes,
Vidimus accursu Primatum undare fenestras,
Ferventisque foro populi super æthera voces
Effusas aure intenta, vultuque silenti
Observare diu; sæclum brevis hora videtur.
Eugubium, nostros in te convertere questus
Mens fuerat, Te Cursor adit, rectaque moratur
Accelerare via; sed te pręcedere plausu
Jure licet, nam tu nobis pretiosa dedisti
Pignora, quæ cunctis communia gaudia reddunt.
At tandem tormenta procul manifesta dedere
Signa adventantis magnas Cursoris ad ædes;
Fit rumor; crescunt voces; jam tortile flagrum
Adstantes sonitu exhilarat; miramur ovantem
Alipedis cursum, veluti cognoscat honores
Ipse suos; rapidoque simul velocior Euro
Apparet, sistitque gradus; Te, Magne Joannes,
Cursor adit, chartamque offert, reliquosque salutat.
Qui Tibi nunc sensus, quę gaudia pectus inundant?
Dum fratris merita ampla notas, dum pręmia cernis
A magno collata Pio: dum pectore amoris
Affectus teneros, & dulcia vincula noscis?
Tu memorare potes, nec sunt mea carmina tanti;
At fallor; te sensa animi suavissima mulcent;
Concessum tibi posse frui, non prodere verbis;
Quin, nimium exultante animo, sensa obruit ingens
Torrens lętitię; & voces amor intercludit.
Atque ego tantarum stupefactus turbine vocum
Late exultantis populi, circum omnia lustrans,

Abripior, Geniumque ſequor ſuper aſtra volantem.
Ille mihi laudes, quibus omni floruit ævo
Marcolina domus, memorat; ſeu pace togatos,
Sive Duces bello, ſacris ſive Urbe Miniſtris
Romulea adſcriptos quæram, tum quattuor addit
Eximios fratres, qui nunc virtutibus ornant
Progeniem; hic ſubito clari genitoris imago
Viſa mihi, qua parte Polum via lactea ſignat;
Quique præit, ſequiturque nitor, latera omnia cingit,
Atque probat lætum Sedes habitare beatas.
Tum quas vivus adhuc quondam luſtraverat Urbes
Et Patris adventu, & geniti proſpexit honore
Commotas varia cauſa, nec tempore in uno.
Hinc Marcum evolvens animo, merita ampla recenſet,
Oh mihi dulcis honos, inquit, mea viſcera, Nate,
Ingenii ſpecimen jam prima ætate dediſti;
Teſtis eras, Benedicte Heros, Benedicte ſupremum
Chriſtiadum Caput, & decus immortale tiaræ;
Hoc ſæpe, effuſa in laudes, tranſmiſſa notabat
Littera, de genio qua ſpes in Patre fovebas.
Oh mihi dulcis honos, repetit, mea viſcera, Nate,
Te quondam Reges vultu accepere benigno,
Et nuper comitem accivit clariſſimus Hoſpes,
Hoſpes cui ſummos Germania præſtat honores,
Ut veteres Romæ obſervet, moleſque recentes;
Templum auguſtum inſigne ingens miratus, in illo
Et curas probat ille tuas, & mentis acumen.
Oh mihi dulcis honos, inquit, mea viſcera, Nate,
Te memorant, nomenque tuum venerantur Hetruſci,
Cum tibi commiſſa eſt Romanæ gloria Sedis.
Applaudit tibi Roma potens; te judice novit
Cui bene Juſtitiæ lances committere poſſet.
Oh mihi dulcis honos, repetit, mea viſcera, Nate;
Clara Metaurenſis tecum Provincia felix

Dicitur .... at longum est voces memorare paternas,
Nomina, queis tanti repetebat dulcia Nati.
Tum Fanum, Romamque notat; Marcumq; Joannemq;
Aspicit, ut corde alterius sese explicet alter
Observans; unamque animam, duo corpora noscit.
Qui sumus uniti simili ratione, solemus
Divisam a nobis partem plus semper amare.

LIBER TERTIUS.

Navis ut Oceano, cum flante impellitur aura,
Scindit iter liquidum, atque inflatis turgida velis
Circum obluctantes calcat rapidissima fluctus:
Haud aliter Cursor populo stipatus ovanti
Impatiens sisti, dum læti plurima quærunt,
Transvolitat responsa negans: hæc dicere tantum
Dignatus: properare licet, gens clara Pisauri,
Mutina conqueritur, Solio Federicus ab alto
Increpat usque moras; hæc cursu audire citato
Concessum, & celeri citius disparuit aura.
Tunc ego perspexi, dum præceps littora lambit,
Delphinorum agmen festo revolubile gyro
Pone sequi, dorso unius modulatur Arion
Tractus ab Elysiis campis in luminis auras,
Ut Cythara mulceret aquas, Marcique notaret
Egregias laudes; arrectis auribus adsto,
Atque ea dulcisoni spargebant carmina venti.
Frodosos inter montes pulcherrima vallis
Luxuriat, qua lambit agros, & prata feraci
Exhilarat sinuosus aqua, falsisque Pisaurus
Proximior, statio curvis bene fida carinis
Sternitur, & demum pro ripis littora pulsat,
Littora stagnanti sæpe exundantia fluctu,
Nunc Procerum curis ad justos reddita fines.

Mo-

Nobilis Urbs patrio sumens a flumine nomen,
Vel fonte ex græco, vel ab auri pondere tractum
Circum quinque aperit venientibus hospita valvas.
Urbs ea clara viris Romana Colonia fulsit,
Et nunc plura ævi jactat monumenta vetusti;
Principibus sedes quondam fuit, at modo priscas
Servat adhuc leges, Romano subdita sceptro.

Tu quoque Principibus quondam celeberrima sedes,
Urbinum, immensa quod celsa palatia mole
Objicis, & claros numeras grata indole Cives,
Laudis eris fæcunda seges, cum Sirius agros
Usserit, æstivos cum Sol violentior æstus
Intendet, Zephyros præstabis, ut aura canentem
Mulceat irriguas queruli torrentis ad undas
Rupe sub excesa, aut patulæ sub tegmine quercus;
Insignisque lyra te natus Apolline viset,
Et parili studio Marci decora alta notabunt
Orpheus in sylvis, inter Delphinas Arion.

Ad sua me revocat laudum argumenta Pisaurum,
Sese Urbs felicem tanto sub Principe noscit,
Felices vocat illa urbes, quibus imperat Heros.
Jure quidem: videt illa animum ad sublimia natum,
Imperio dignum, cui summa negotia mentem
Semper habent, numquam impediunt; sic cuncta seorsim
Discutit, in medio tamquam vacet agmine rerum.

Quis tamen egregias ausit numerare canendo
Mentis opes? Cui semper honos, & maxima recti
Cura fuit; mira in dubiis prudentia rebus,
Relligio illibata, & morum ante omnia candor;
Inde magis sibi conciliat reverenter amorem,
Quod prompta est, fæcunda simul reperire benignas
Mille juvandi artes, & quæ mens suggerit ampla,
Prona sequi gaudet felici sorte voluntas.
Sic gentis commune bonum, communia quærit

Com-

Commoda; tam Procerum, quam plebis jura tuetur.
Principe ſub tanto viget obſervantia legum,
Pulchrior apparet virtus; amor ipſe ſceleſtum
Demulcet, ne forte aſſuetam ad præmia dextram
Cogat in inviſa nomen ſubſcribere charta.
Artibus auxilium præſtat, ſolamen egenis,
Aſpectu facilis, viſuque affabilis omnes
Excipit, & juſto Primates ornat honore.
Blanda quies, ſincera fides, pax aurea regnat;
Cumque aliis vigilet, reliquis tuta otia reddit;
Nobilior pars inde hominis, tanto auſpice, florent
Ingenia, & doctos gaudent producere fœtus.
Noverat ipſe Pius, quam magnum Sæcula dicent,
Cui potuit tanti committere certus habenas
Imperii, & Regni partem conferre gerendi.
Gens claris aſſueta viris, queis nobile ſceptrum
Traditur, ut reliquis Solio dominentur ab alto,
Aſſueta eſt pariter merita ampla agnoſcere, & artem
Regnandi; ſic vota omnes ferventia mittunt
In Superos, & fauſta rogant, ſi jura teneri
Intacta obſervent, noſcantque in Principe Patrem.
Nunc novere quidem; ſi cum revocaris in Urbem,
Romulidum ſedem, gentis te Marce, ſequuntur
Effuſæ ſuper aſtra preces; doluiſſe videntur,
Et gaudere ſimul, dubiiſque affectibus hærent.
At ſaltem, exclamant, celeri velocius aura
Nuntia præveniant, vix eſt decoratus ab oſtro,
Nuntia ſollicitis præſtent ſolamina votis.
Nec vos pręteream, Proceres, quos impulit ultra
Dulcis amor, qui Fanenſem veniſtis in Urbem,
Ut citius veſtras recrearent Nuntia curas.
Lesbius hęc vates bibulam pſallebat in auram;
Tum Thetis, & viſus domitor Neptunus aquarum
Pone ſequi, numeroſa hæret cum Doride proles,

Ne-

Nereidumque pater; Proteus caput extulit undis,
Cum grege ſquamigero; ſi numquam ad retia pontus
Fertilior, jactu hæreret piſcator in ipſo;
Quę ſtolidos mulcent piſces, vaſtumque profundum,
Plus novi mulcere homines; celebrare Piſaurum,
Et quæ ſparſit ovans adventu gaudia Curſor,
Pergit, & immotus vocum dulcedine paſcor,
Sed mihi facundos rapuit diſtantia cantus.
Me vocat interea, qua Brutum Antonius olim
Strinxerat, Eſtenſis celeberrima Principis Aula,
Silvia qua Proceres numerat ſibi ſanguine junctos,
Inſignes meritis, Patrios ſortita Penates,
Silvia magnanimi conjux dilecta Joannis.
Fortunate Parens! dnplices tua viſcera natas
Volve animo, duplici noſces in imagine Patrem;
Nam vigili mores gaudent didiciſſe Magiſtra
Nobilitate pares, & jam juvenilibus annis
Florentes claro ingenio, & pietatis amore.
Volve animo, dum Curſor adeſt, dum publica cernunt
Gaudia, quam dulces noſcant in corde tumultus!
Nam dum mente ſequor properantem, & adire volentem
Italiæ poſt Regna equitem, me ridet Apollo,
Atque inopem reddit magnarum copia rerum.
Trans Alpes video ſtimulis pungentibus uti
Curſorem: en varias, habitant quas Theutones, oras
Veloci penetrat curſu, ſpargitque per omnes
Lætitiam, jamque a tergo fugit Auſtria felix,
Regnaque Bojemum, metamque illuſtre viarum
Saxoniæ Caput appellit, fauſto omine Dreſdam
Undique conſpicuam natura, atque arte ſuperbam
Ingreditur miris claram ſplendoribus Urbem;
Non illum interea veteriſque, novæque morantur
Ornamenta Urbis, medius quam dividit Albis,
Miſniaque hanc tenet, atque aliam Luſatia ripam;

Non

Non nitidi calles, laqueata palatia, pontis
Magnifici species, turrita aut mœnia, moles
Navalis plena artificum, fora, templa, frequentes
Marmore de pario statuæ, Zephirove jacenti
Umbrosi lucus, tangentes sidera turres,
Areolis secta, & gratis viridaria xistis.

Omnia preteriens aulam petit, inde benigno
Accessu admissus Solium reverenter adorat;
Ac primum attonito similis, tremebundus,& anceps
Subticuit, tandem alloquitur, causamque viarum
Exponit, gaudet Princeps, & blanda Camillo
Lumina convertit, Majestatemque parumper
Inclinans, totam plausus diffundit in urbem,
Ipse Camillus adest; germanos quatuor olim
Aula diu excepit Fratres, sed perstitit unus
Principis Augusti jam primo a flore juventæ
Obsequiis ultro addictus, cui maxima laudum
Semper erit Federico olim placuisse, probari
Nunc quoque; nam minimos sensim præsentia nævos
Detegit, & primos frigescere cogit amores.
Semper at hunc lateri comitem tibi jungere gaudes
Nobile Regnantum exemplar, Federice, tuorum
Deliciæque, decusque, & nostro gloria Seclo.
Ille tibi semper placuit, semperque placebit:
Nam placet ingenue penetrabile mentis acumen,
Integritas vitæ, prudentia, candor, honestas,
Gratior & pulchro veniens a corpore virtus:
Namque rosæ pinxere genas, & lilia vultum,
Et duo scintillare oculis nitida astra videntur.

Huic commissa datur Regali digna paratu
Principibus servanda suis pretiosa supellex.
Huic cura Artificum, per quos celebrantur in Orbe
Saxones, & sensim vilescere noscimus auro
Distinctos, varioque colore, & mille figuris

Or-

Urceolos, calices, diſcos, & vaſa Sinarum
Lucida, convivis queis gratior eſca paratur,
Et queis nobilium ornantur latera ampla domorum:
Nec ſatis eſt; majora addit tibi munia Princeps:
Namq; inter Proceres, dum ſumma negotia tractant,
Unus ades, pendent populi dicentis ab ore,
A Te communem læti ſperare ſalutem.
Jam qua fama volat, laudum monumenta tuarum
Commovere animos Regum, Tibi Ruſſia prudens,
Te niſi ſubtraheres, magnos conferret honores;
Ruſſia, quæ claris celebrata Heroibus, ævo
Ornamentum ingens nunc eſt, & gloria noſtro:
Ruſſia, qua ſolio ſplendet ſublimis ab alto,
Quæ ſi regnaſſet ſeclis Regina vetuſtis,
Prima inter celebrata Deas venerabile nomen
Linqueret, at faſtis vivet celebranda futuris.
Ad ſolium, Rex magne, tuum, cui Viſtula ſervit,
Quem meritum ſublime ingens ad Sceptra vocavit,
Pervenit vaga fama viri; tu ſingula verſas
Tecum una, Italiæ gaudens accreſcere laudes;
Nec majore potes dono exornare Camillum,
Quam quo illuſtre genus primi tibi tempore Reges
Ornavere tuum; per Te nitet ipſe Polonis
Additus indigenis, Primorum adſcriptus in albo.
Non hic Primores, quales regna omnia jactant:
Purpureos tantum Romana agnoſcimus Urbe
Diſſimiles non eſſe Patres; aſcendere poſſunt
Hi Solium, ad Solium evehere, & dare jura Polonis.
Magna quidem Latiis quondam nova gloria Regnis
Accrevit, quando in ſeros fluxura Nepotes
Eſt atavis conceſſa tuis ea gratia, Regno
Plaudente, & toto circum exultante Senatu.
Gens tua floret adhuc Italas diviſa per Urbes,
Fanenſes inter dudum clariſſima Cives,

Civibus hinc illustre decus Fanensibus addis;
Qualis Luna suos adverso a Sole nitores
Excipit, haud aliter nobis tua lumina mittis.
Nunc habilem tanto si reddis honore Camillum;
Forsan tempus erit, seclis cum clara futuris
MARCOLINA Domus Solium conscendat in altum,
Atque novis titulis Itali celebrentur in Orbe.

Nec magno tantum Federico, ast ipse probatur,
(Quod testor, quod dulce mihi meminisse) Camillus
Augustæ Matri: Fanensi audivimus Urbe
Effusam in laudes, Latias cum vecta per oras
Undique munificæ monumenta illustria dextræ
Sparsit, & unanimes meruit magna Hospita laudes.
Regnantum hospitium licet appellare, Joannes
Inclite, quas habitas ædes, nunc omnibus unam
Anteferam, quam mente memor, quam corde reservo.
Regia Majestas vultu sedet, & decor oris
Regius, at pariter jucunda modestia ridet,
Inque oculis stabilem fixit clementia sedem.
Si loquitur, charites circum gestire videntur,
Et lepor, & gravibus regnat facundia verbis.
Colloquium alternans Europæ natus in oris,
Concivem putat esse suam, si prisca Quiritum
Verba loqui placeat, culto sermone reponit:
Illam inter Musas adscribere gaudet Apollo,
Dulciaque inspirat placituris carmina scenis;
Nec tantum vocem docta est variare canoram,
Sed leges etiam signare canentibus aptas:
Plura quidem monumenta typis impressa vagantur
Cum plausu excepta, & seclis servanda futuris.
Aspice, quot fructus arbor fœcunda ministret!
Aspice, quot fluvii de fonte oriantur eodem!
Relligio in templis illam comitatur ad aras;
Per fora, per calles, seu cum Fanense Theatrum

In-

Ingressa est, Orientis opes in veste refulgent,
Evibrare procul lucem nitida astra putares,
Et cecidisse polo, & varios sumpsisse colores.
Tu memorare potes felici sorte, Joannes,
Cætera, nam velox Italæ ad confinia gentis
Obvius accedis, curru discedit, & intrat
Ipsa tuum, comitemque viæ Te seligit unum:
Matronæ, & Proceres Italum per Regna sequuntur:
Tantos excellens meritum sortitur honores!

LIBER QUARTUS.

QUas quondam Fortuna sibi construxerat ædes,
Deseruit, meritumque loco nunc regnat eodem.
Testis adest gravium series numerosa virorum
Ingenio, & virtute pari, queis clara superbit
Prisca ætas, quos nostra etiam lætissima jactat.
Testis adest Europa: at nunc tibi, Roma, sacramus
Nostrorum egregias laudes, quos grata beasti;
Atque tuos nunc, sancta Fides, celebramus honores.
Nam cum purpureo dignos distinguis amictu
Heroas, confersque decus, recipisque vicissim,
Exornasque viros, atque exornaris ab illis;
Nec referam nostræ monumenta illustria gentis;
Cætera, quisquis adest, exemplo discat ab uno:
Enumerat Fanum plures in ovilia partes
Divisas, Pastorque suum regit almus ovile;
In quo magnus habet sacras Antonius ædes,
Heroum fœcunda Parens, & tempore in omni
Urbs felix, jam tres ostro splendescere vidit.
Tertius illustre est modo carminis argumentum.
Illa viros merito insignes producere gaudet,
Sic quoque collatis applaudere honoribus optat,
Sæpius applausit; nunc se superasse videtur.

Vidimus innumeras, queis ſeſe exercuit, artes
Tam procerum quam plebis amor; nunc laude Joannem
Extollunt, quod ſpes amplas in fratre locarit;
Nunc generis merita ampla notant, nunc debita MARCO
Præmia, nunc clari memorant geſta inclyta Patris.
Aſcendunt alii turres, & ubique per Urbem
Pendula in excelſo, atque ingenti pondere verſi
Fuſa inſtar Calicis quatit æra ſonantia ferrum,
Quæ longo exhilarant cæli ſpatia ampla boatu.
Gens commota ſuæ, qua ſit quiſque indole, certat
Lætitiæ dare ſigna, & vocibus omnia miſcent.
Vidimus exultantem urbem, depictaque vultu
Gaudia, & unanimes attollere in æthera plauſus!
Vivat io! ter vivat io! vario agmine clamant
Per fora, per calles populi; reſonabilis echo
Feſtivas repetit voces; plus Neſtore vivat,
Et repetunt; ter vivat io! vive euge, triumpha;
MARCE decus Patriæ, Procerum generoſa propago;
MARCE decus Romæ, rebus clariſſime geſtis:
Et MARCUM loca cuncta ſonant; per tecta domoſque
Vivat io! ter vivat io! per compita clamant.
Pars celeres movet arte pedes, pars altera ſaltus
Non bene compoſitos, ſed queis ſua gaudia profert,
Sæpe iterat, rapidoque volat pars altera curſu.
Attollunt alii confuſis brachia verbis,
Inde iterum repetunt, felices vivat in annos,
Vivat io! ter vivat io! digniſſimus Heros;
Terra Metaurenſis plaudat, quæ chara vocari
Mater amat; tanto quæ Principe læta ſuperbit.
Et MARCUM loca cuncta ſonant; ſed vocibus ipſis
Vividius clamant facunda ſilentia gentis,
Quæ velox ſacra Templa petit, quæ fervida ad aras
Vota offert, ſupplexque alios expoſcit honores.
Me voces iterum revocant; & ubique per auras
Vivat

Vivat io! ter vivat io! resonare videtur,
Dum simul expandunt ludenti candida vento
Lintea; pileolos, vestesque per aera jactant,
Et repetunt: ter vivat io! simul undique mulcet
Tibia, Testudo, Calamus, Lyra, Barbiton aures:
Ille auras sonitu exhilarat, callesque frequentes;
Ille triumphali circumdat mœnia cantu.
Seque addunt alii vicina per arva colonis,
Naucleros alii, vicinaque littora quærunt,
Et Marcum loca cuncta sonant; per prata, per hortos,
Per virides segetes, salsasque per æquoris undas
Vivat io! nostræ Urbis honos; plus Nestore, clamant,
Vivat Purpurei decus immortale Senatus,
Et repetunt, ter vivat io! sic omnia signis
Lætitiæ plena exundant; sic quinque videntur
Momento fluxisse horæ; Phæbumque putarem
Splendidius radios lætam sparsisse per Urbem.
Ast alii in dulces lacrymas (quis credere posset?)
Effusi latebras quærunt, ne gaudia turbent;
Et merito; neque enim ad fletus ea tempora ducunt.
Non pudet hos inter Vatem numerare, sed unus,
Dum latebras quæro, præclara exempla notavi.
Magnum est lætitia in tanta Primoribus ipsis
Immaduisse genas; quo plus diversa videntur
Signa animi, magis unanimem testantur amorem.
Plurimus interea disponitur ordine longo
Cereus, ut magnis sit nox expulsa fenestris;
Inque foro rapidis alimenta perennia flammis
Continuum fecere diem; tum Bacchicus humor
Effluit, & fontes viridantibus undique ramis
Plebs læta aspexit; pars hinc rubicunda susurrat;
Concolor hinc auro, argenti numerosa paratur
Copia (bisque decem quævis habet uncia nummo 9)
Dona quoque & Cereris populo spargenda fluenti.

Nox etiam eſt expulſa domo; quacumque vagaris
Apparent faculæ ardentes, ubi cera liqueſcit;
Exornant menſas faculæ, & latera ampla domorum;
Ramoſi pendent lycni laquearibus altis,
Strata pavimentum decorant, & ſerica muros
Texta ornant, diſtincta auro; pretioſa ſupellex,
Et tabulæ eximiæ ſpectantia lumina mulcent;
Splendorem, & rerum duplicant ſpecularia formas:
Sed tua conſpicuo (Pie magne) apparet imago
Obſervanda loco; noſtros prædatur amores,
Corda, animoſque rapit, dulcique ſtupore moramur.
  Hic Proceres turmatim adſunt, de Fatris honore
Cum fratre exultant, atque omnia fauſta precantur.
Nec noſtri tantum; at plures velut agmine facto
Urbibus ex aliis illuſtrem auxere coronam.
Matronæque graves gemmis decorantur, & auro
Huc curru advectæ, qua ſit via vocibus, inter
Commiſtam turbam accedunt, quas Silvia miris
Officioſa modis poſtquam excipit obvia, ſedem
Circum offert pulchro ornatu, ſed pulchrior ipſa
Enitet, in Marci laudes effuſa modeſto
Aſſenſu, adſtantes recreat dulcedine vocis,
Læta oculos, rubicunda genas, & candida vultum.
  Tum mille undantes fervent famulantibus aulæ,
Ut potus de more ferant, quos Mexica tellus
Tranſmittit, vel Regna Arabum, vel Regna Sinarum.
Præcipue gelidos chryſtallina vaſa liquores
Includunt, nive conſtrictos, & nectare plenos,
In quibus oblectant varii mira arte colores,
Et variæ formæ; nativis frondibus uvæ,
Perſica, Mala, Pirum, Poma aurea, Caſeus, alis
Expanſis volucres, habitanteſque æquora piſces.
Parte alia plures arcu, vel pectine chordas
Vel digitis feriunt, recreat diſcordia concors,

Voſque

Voxque ſonora aures grata dulcedine mulcet.
Nec minus inflato, qua plebs effuſa recurrit,
Ore audis reſonare tubas, nam muta metalla
Aeris impulſus late vocalia reddit,
Et ſonus excurrens tota diffunditur Urbe.
Utque Deo grates (animi pia cura fidelis
Hæc quoque prima fuit) digno ſolvantur honore
Concentus inter varios, ſacra templa Joannes
Curat, ut eximio ſint exornata paratu.
Utque Sacerdotes iterato ad Numinis aras
Maxima Divinæ renovent miracula Cœnæ.
Quo feror! haud ultra fas eſt excurrere metam,
Nec tua geſta rudi deſcribi carmine poſſunt,
Marcolinæ Heros; nec quæ longo ordine rerum
Exhibuere alii Proceres, quos ſanguine junctos
Conceſſi Marco propius pars tangit honoris.
Dum tamen hæc noſtræ ſubita obſervavimus Urbis
Gaudia; quæ primo adventu Curſoris ovantes
Commovere animos; quæ nunc ſpectacula nobis
Læta paret, diſcuſſa diu, tu conjice, Lector.
At tu, magne Heros, qui publica gaudia nutris,
Utere ſorte tua; virtutem extendere factis
Perge libens; eſt ipſa ſibi ſua præmia virtus;
Perge libens Romæ, & mundo te reddere charum;
Non ego felicem quod te ſacra Purpura veſtit,
Admirer, ſed quod tanto ſis dignus honore.
Inclyte vir, Stephani clarus de nomine miles,
Cuique Metaurenſis commiſſa eſt gloria tractus,
Macte animis, tibi lætitiæ pars maxima noſtræ
Contigit, & lætos tecum, & Tibi plaudere Cives
Vidiſti aſſuetus ſinceros noſcere gentis
Affectus animi; parce infelicibus auſis,
Si vitio ingenii (neque erit damnanda voluntas)
Viſa prius deſcripta metro vileſcere noſcas.

IN PUBLICA LITTERATORUM ACADEMIA A FANENSI URBE MAGNIFICE CONVOCATA.

IN STEMMATE GENTILITIO. *ROSA.*

Symbolum Emminentiſſimi Principis Academiæ noſtræ Mæcenatis.

Regina hortorum, viſu pulcherrima, cernis,
  Ut Roſa florigero vivida ridet agro?
Sic reliquos inter regnas, clariſſime Princeps,
  Lætitiamque animis ora benigna ferunt.
Sed Roſa contactum ſpinis armata profanum
  Reſpuit, & cauti ſigna timoris habet.
Sic quoque, ſumme Heros, cum te reverenter amamus,
  It pariter dulci miſtus amore timor.
Illa inter flores caput altius omnibus effert,
  Fronde poteſt amplum conficere una nemus.
Principis in Roſea miraris imagine dotes,
  Propria conſpicuis ſunt ea ſigna viris.
Cum regem aſtrorum pelago Tritonia conjux
  Evocat, ut reduci cuncta nitore beet;
Illa magis gratos Zephyro diſpergit odores,
  Pulchrius oſtentans luxurioſa comas.
Cum nimis alta petit, ſeu vergit in æquora Titan,
  Tum Roſa deciduos languida cernit equos.
Sic cum felices reddis, tibi gaudia creſcunt,
  Sic langues noſtris, Marce, doleſque malis.
Illa quidem triplici vernat ſpecioſa colore,
  In viridi gazas clauſerat ante ſuas.
Purpureum ſenſim (veluti ſubrideat ore)
  Explicat, & viridem purpura aperta tegit;

Spes nostras viridis designat, & insuper ostrum
  Ostendit meritis præmia digna tuis.
Præsulis indicium crux aurea pectus adornat,
  Ipsa Rosæ jungunt aurea fila decus.
Hoc discrimen inest, quod pompa brevissima florum
  Sole oriente oritur, sole cadente cadit.
Restat odor tantum, & virtus innata medendi,
  Ut tua gesta orbi nobile calcar erunt.
Nunc te felicem producere longius ævum
  Magno in nos superum gratulor auxilio.
Sic tibi concedant pia Numina Nestoris annos,
  Vivus & in nostro pectore semper eris.

S' allude al titolo Cardinalizio di sua Eminenza.
Ottava in Portoghese.

OH excelso Senhor, de mundo amado
De Pedro vos conhece o successor; !
Na Purpura vos deixa premiado,
Na circumstancia mostra o seo amor;
O titolo vos da, comque exaltado,
E distinto mereçeo fama, e loavor;
Premio com justiça, muntos tem;
Con justiça e amor, a vos convem.

E. D. Andreæ Gabrieli Patritio Fanensi Em. D. Card. Marcolini consanguineo,

CARMEN SCRIPTUM An. 1744.

NON ego præclaros Atavos, decora ampla tuorum,
Quos toga, quos gladius, quos purpura vestit, & (ostrum,
Annumerem; tu laudis eris Gabrielius Heros
Ampla seges: primoque hærere in limine cogor
Mente vagus dubia, qua laudum exordia ducam.
Laude omni tu major ades; neque nostra probabis
Car-

Carmina, qui cantus Muſis, & Apolline dignos
Hetruſco ſermone ornas, ſermone Quiritum.
  Eſt locus autumno ſedes dilecta tuorum
In formam conſtructa arcis, ſub collis amœni
Vertice, qua cælum ſpirat Ripa alta ſalubre.
Flaveſcunt ſpatia ampla ſolo, & tibi frugibus implent
Horrea, luxuriant ulmi, generoſaque vina
Suppeditant hauſtus, rami curvantur olivæ.
Hic quondam Andreæ genitus (cum nomine laudes
Nunc renovas) claro ſacras moderatus habenas
Urbino, ſtudiis animum excoluiſſe ſeveris
Aſſuerat; locus extat adhuc, ubi miſſus ab Urbe
Romulea curſor, Gabriel dum rure vagatur,
Obvius occurrens conceſſum traddidit oſtrum.
Hic ille eſt ſacri decus immortale Senatus
Qui pingues reditus, quotquot dedit Umbria, Princeps
Cui præerat, ſummo properavit ſiſtere Patri
Contemptor generoſus opum; ſic ſponte reliquit
Nobile inauditum exemplum, & memorabile ſeclis
Venturis: ſic veſter honor communia præfert
Commoda privatis; veſtræ eſt ea gloria gentis.
Aſt ibi, dum læti capimus blanda otia ruris,
Culta juventutis recitantem carmina vidi,
Carmina primitias plectri immortalis, Apollo
Quo largus tenero jam te ditavit ab ungue;
Quæque etiam major virtus, & grandior ætas
Addidit, unanimi circum plaudente corona.
Nam ſimilis tibi ſemper eras: me talia ſæpe
Miratum cantare pudet; cum fila ſonoræ
Excurras citharæ, tenui quid paſtor avena
Ipſe auſim miſcere ſonos? Quidve inter Olores
Expers conſilii crocitem temerarius Anſer?
  Parce tamen, tantis cum ſis laudabilis ipſe
Dotibus, in minima laudum ſi parte tuarum

Im-

Immoror: antiquas dulce est meminisse procellas,
Nautarumque ausus, & cui tribuenda salutis
Parta quies; majora aliis celebranda poetis
Ornamenta patent, nam mecum exercita firmo
Pectore fixa manet pietas tua: nec dolor ingens
Olim permisit, quid sit sapienter amaro
Noscere, & ingenium perpendere amoris, & artem.
Nam cum Jesuadas percussit fulmen ab alto,
In lacrymas abii: tristes in pectore motus
Persensi, nulla afflictum medicina juvabat,
Nulla animo poterant solatia ferre levamen.
Cernere erat populum undantem, juvenesque, senesque,
Insignes pietate viros, patriæque Parentes,
Præclaros cives generoso e stipite ductos
Flamineæ decora alta plagæ noctuque, diuque
Solicitos manifesta animi argumenta miserti
Præbere, & miseris studiosa assistere cura.
Sed tua dexteritas, oppressaque corda juvandi
Gratia præcipuam meruit, me Judice, laudem.
Laus ea non cunctis, quibus est sincera voluntas
Contigit ingeniis; sunt qui mortalibus ægris
Mœrorem lenire putent; si vulnera sortis
Aut damnent, aut forte minus crudelia pingant.
Interea sentis agitato in corde dolorem,
Et quamvis parcente manu, liventia tactus
Labra cicatricis cruciatu exasperat acri.
Sunt qui numquam audent inflictum tangere vulnus,
Quando opportunis inspergi balsama curis
Debuerant, medicaque cruorem abstergere dextra.
Sic opus est gravibus, dum tractas seria, dictis
Jam lepidos miscere sales, jam grata vetustæ
Historiæ monumenta sequi, decora alta priorum
Tangere, qui celebres eadem vexilla sequuti
Non intermissos meruerunt laudis honores.

Jam-

Jamque Oratorum facundos promere ſenſus,
Præcipue quos noſce datum juvenilibus annis;
Et reſonos recitare modos, & carmina vatum.
Jam, qua bella fremunt, dubiæ diſcrimina ſortis
Narrare, & partos terraque, marique triumphos;
Sic animus varia diſtractus imagine rerum
Paſcitur, & lacero quamvis in pectore vulnus
Sentiat inflictum, veluti dormitat in illo.
Aſt eadem cunctis non eſt medicina ſaluti;
Sic genium indagare juvat, moreſque dolentis,
Queis veniat cauſis, qua creſcat origine morbus.
Tum cognoſcet amor, cum quo prudentia ſemper
It ſocio conjuncta gradu, quæ balſama proſint,
Queis dictis mulcere animum, quo tempore cures.
Nobiſcum ars oritur, ſtudio non diſcitur ullo.
Floret in hac, nec vana cano, Gabrielius arte,
Ut me perſpicuis docet experientia ſignis.
Sed quod Jeſuadas tenero conjunctus amore
Oh mihi chare quidem ſemper, ſed tempore duro
Cognite, ſic niteas, quorum conſortia lætus
Quærere, quos inter teneram excoluiſſe juventam
Et mores didiciſſe pios tibi ducis honori,
Non miror, dignus virtutum, & ſanguinis hæres
Præclara ex proavis exempla illuſtribus hauris.
Hic illum memorare juvat de ſtipite claro,
Qui mundi illecebras, perituraque gaudia tempſit,
Erexitque domum ſacræ pars ipſe cohortis (*a*)
Qua Magni vigeant leges, & norma Philippi.
Nec tantum pietatis amor tanto auſpice in urbe
Floruit, at mirum ingeniis & nobile calcar
Addidit, ecce adſunt victuris tradita chartis
Tranſlata in varias Divina oracula linguas,
Ut verum agnoſcas antiqua ab origine ſenſum.
Utque etiam charus fuerat Loyole Philippo

Ille

Ille Patris sibi dilecti documenta sequutus
Loyolæ prolem donis, & honoribus auxit.
Hæc modo te stimulant exempla domestica, & altum
Per virtutis iter, Procerum qua vera resultat
Gloria, præcedis charos, tua viscera, natos,
Instituisque simul: tua post vestigia læti
Sed tamen ut currant, Patremque referre laborent,
Longo intervallo semper te pone sequentur;
Satque erit egregii si sint Patris æmula proles,
Queis non æquandum dulce est habuisse Parentem.

(a) *P. Hieronymus Gabrieli natus* 19. *August.* 1561. *mortuus* 15. *Oct.* 1629. *ex Congreg. S. Philippi Nerii, cujus domum fundavit, omni virtutum genere Cl. ac de Jesuitarum Ordine optime meritus. De editione SS. Bibliorum vide Mabill. in* Bibliotheca Ecclesiastica, ceu catalogo meliorum editionum ad Bibliothecam ex materiis Ecclesiasticis comparandam, *ubi ait*. Biblia Latina variarum translationum studio Fortunati Fanensis Venet. 1609. 2.vol. in fol. *Editio a dicto F. Fortunato Ordinis Erem. S. Augustini edita est apud Antonium Pinellium, & dedicata Em. Cardin. Scipioni Burghesio Nepoti Pauli V. tunc regnantis. In præfatione ita legitur.* = Dum hos cuderem libros, oculos fere amisi; nec non etiam recordare, & gratias plurimas habeas Illustr. ac Reverend. Dom. D. Hieronymo de Gabrielis Civi Fanensi, viro pio, & de pietate optime merito. Mittam nunc plurima, quæ de illo, deque ejus Pietate, Religione, Zelo, amore in pauperes, ac charitate dicere possem; vivit adhuc, laudandus post vitam, glorificandus post consumationem vir optimus iste: qui præter reliqua bona, quæ pie consumit, in hoc opere cudendo ad tria fere millia scutatorum expendit, ut studiosis sacrarum litterarum prodesset.

Cum

Cum Em. ac Rev. D. Sylvio S.R.E. Card. Valenti Gonzagæ Vates obtulisset quadraginta tabulas ex ligno Brasilico, quæ sufficiebant ad portas & interna opera pulcherrimi Palatii in Villa sua ad Portam Piam.

EPIGRAMMA.

OMnia conspicuo peregrina notantur in horto;
Nil Italum (muros excipe) terra dedit.
Sunt etiam externis ornanda palatia lignis,
Queis pariter niteat gratia & utilitas;
Arte quidem mira depicta armaria credes,
Nec foribus Titan, imber, & aura nocet.

De Villa S. Martini E. D. Jo: Gastonis Marcolini; in qua additis ab eo viginti quatuor cubiculis; vulgo Otto Sale, e sedeci camere di letto; *Nihil in fabrica additum apparet.*

EPIGRAMMA.

COllis in excelso spatiosa palatia clivo
Assurgunt, villæ gloria, ruris honor.
Octo domos jungis, bis octo cubilia, & hospes
Nil ultra, quam quod viderat ante, videt.
Conspicuæ molis si pars, tam magna latescit,
Quæ se oculis affert obvia, qualis erit?

De-

Describitur villa Excell. D. Angeli Quirini in oppido Althichiero *ditionis Patavinæ*.

Divitias alii quærant, dum rure vagantur
Sumptibus immodicis; erecta palatia cælo,
Aularum series, camerataque porticus auro
Splendeat, atque oculos recreet pretiosa supellex.
Scrinia, tecta, aditus, aulæa, sedilia, mensæ,
Picturæ, areolæ, statuæ, viridaria, fontes,
Omnia magnificum ostentent rutilantia fastum.
Villa mihi magis ante alias arridet, ab arte
Quæ plura accipiat; si commoda ruris habentur
Omnia, sive domi lateas, sive inter amicos,
Ceu miscere sales, ceu docto fallere tempus
Colloquio placet, atque umbram captare salubrem
Sole sub ardenti, aut campo spatiaris aperto.
Angele, quo tendat vates jam noscis in ipso
Limine,quoque animus rapitur,quem carminamonstrent.
Nulla quidem fateor sine sumptu villa paratur
Prospectum allatura oculis, curisque levamen;
Cum tamen Alticheri quæro solatia ruris.
Vix circum intueor, stupefacta mente revolvo
Non quantum, at quanta prudens expenderis arte;
Quam bene naturæ non aptum munus amœnis
Deliciis aptare vales; quin optima curis
Instrumenta tuis, siquid nocuisse videtur
Reddis, & ad nutum distendi rura videntur.
Non ego quod mirer, sed quo delecter, in agro
Exquiram; non divitiæ, sed amœna voluptas
Quæritur, & quamvis comitum consortia rure
Prima salutiferæ sunt blandimenta quietis,
Unde tui ruris tu pars jucundior extas,
Angele, laus magna est reliquas superaddere dotes:

Sic

Sic pariter domino comites, & rure beantur;
Otia qui quærunt Veneta procul urbe remoti.
Ipse domum ingressus, silvas venator adire,
Antra feris habitata, altos conscendere montes
Rebar, & infido distendere retia ponto.
Ante oculos genus omne avium, genus omne ferarum
Objiciunt sese, tum parva animalia, mirum
Naturæ ludentis opus, conchylia vestem
Queis præbent, quæ fluminibus, vel in æquore degunt.
Sed ne longa avidos fallat distantia visus,
Filo observabam magnas pendere tabellas,
Quæ possent vel ad ima vehi, vel ad ardua duci,
Constantesque loco firmat remeabile filum.
Dumque alios quæro, qui rure morantur, amicos,
Regna per Europæ tractu spatiabar amœno;
Præcipuas urbes nam quælibet aula ministrat,
Et quod præcipuum cupidi miramur in illis;
Signata est nostro Florentia pulchra cubili;
Francigenæ Princeps populosa Lutetia gentis
Est socio signata meo, dum tertius urbe
Romulea veterum observat decora alta Quiritum,
Et nova quæ surgunt fastu ornamenta superbo.
Sed jam tempus adest tectis discedere, & amplum
Observare solum; qua parte incedere mavis,
Callis adest, valvæ panduntur, & ordine recto
Quatuor ostendunt oculis latera omnia metas.
Si petis incessu spirantem frigora caurum,
Arboribus late implicitis velut ardua surgunt
Mœnia, tum denso camerantur fornice rami.
Sunt statuæ per utrumque latus, quæ pulchra viarum
Ornamenta micant passim, decorantque columnas
Diversis erecta locis; hic candida visus
Marmora delectant viridi confusa nitore;
Atque aditum frondes radiis solaribus arcent.

Ædi-

Ædicula in parva hortorum tutella Priapus
Præsidet; e duro sunt plura sedidia saxo,
Inque vias totidem triplex se porrigit arcus.
A læva si carpis iter, sua munera Bacchus.
Pampineas frondes, & lectas jactitat uvas.
Tum circum pueri ludunt, sed pinguior ipse
Cernitur insanis animum exhilarare cachinis.
Artis opus servat Græcas in marmore laudes.
Sed si mensæ herbas amor est adhibere salubres,
Non procul hinc,quascumque cupis,cum fœnore carpes.
Si dextra incedas, qua flexo tramite vertis,
Flumen erat, nunc signa sui cum margine servat.
Principio stat flava Ceres, cui spicea crines
Serta ornant, nitidæque volant ad tempora fruges.
Circum insculpta basi monstrant emblemata dulcis
Pignora amicitiæ, quæ rure foventur aprico.
Hanc etiam firmant, si forte incedere pergis,
Quos calle in medio sapientum in marmore vultus
Finxit Græca manus, quos recto tramite cernes.
Si tecto egrederis Boreas, qua turbidus adflat,
Terminus assurgens extrema in marginis ora
Ultima designat longi confinia callis.
Hæc via vernantes sublimior adspicit agros,
Area quæ superest, callemque domumque propinquam
Adlambit, jucunda mihi spectacula præbet.
Hic habitat varias gens gallinacea sedes
In classes divisa suas, oriente profecta,
Altera ab Hollando, seu littore venit Ibero.
Quæque domo propria, proprio spatiatur in horto,
Mutua disjungit tenuis commercia crates.
Stat domus in medio, atque avibus bene dividit ædes
Inferiore loco, sed fœmina parte superna
Invigilat, mundatque locos, & pabula præbet.
Crate pari, magnoque simul spatiatus in hortu

Se rotat in giros, & ſe miratur euntem
Verſicolore habitu, & cauda ſtellante ſuperbus,
Dum lento incedit paſſu Junonius ales:
Pulchior aſſurgit moles erecta columbis
Ædiculæ in formam, ſed aperto octangula tecto;
Nam crates, quæ diſpoſitis latus omne columnis
Exornat, viridem ſupremo in fornice ſervat
Munditiem, gratumque oculis intermicat aurum.
Jam revocare gradus, cultos intrare penates
Eſt amor, extremaſque viarum cernere metas.
  Qua modo fert œſtus, modo fert ferus africus imbres,
Jupiter arborea regnat ſublimis in æde,
Quam virides ornant ex omni parte columnæ;
Tela triſulca manu ſtringit, ſed fronte benigna
Subjectos adſpectat agros, atque ampla Quirini
Vernantes inter flores conſurgere tecta.
  Longa via eſt, ſed perge libens, nam multa docens.
Area dividitur partes in quatuor, amplo
Proſpectu, paſcitque oculos; ut amœna voluptas
Sit lento, quacunque juvat, incedere paſſu.
Rectus ubi callis tranſverſo calle ſecatur,
Alta columna viam exornat, de marmore ſurgit
Herculis effigies, animumque videntibus auget.
Multa etiam docet ipſe locus, delectat euntes
Dulce magiſterium; quo nexu blanda voluptas
Et ſimul utilitas in eadem ſede morentur,
Qua debent ratione coli; quæ rura parari
In ſegetes, quæ ſint prato ſervanda virenti
Ruſticus obſervans & commoda noſcit, & artem.
Qua nemus aſſurget flammis alimenta daturum,
Quaque minus ſegeti noceant & morus, & ulmus,
Divitias Domino quæ tantum in fronde ferentes
Planitiem exornant grata incedentibus umbra;
Diſcitur hic norma experto tradenda colono.

Sive

Sive domo egrederis facie conversus ad Eurum,
Sive hac parte velis lento procedere passu,
Invenies sacrum, quod stulte Ægyptia tellus
Numen adoravit: noscuntur in Isidis ore
Signa faventis agro; tum vestis mille figuris
Ornata ostendit priscæ deliria gentis.
Quadrato divisa solo te mulcet utrinque
Area, multiplicesque offert vestita figuras.
Adspicis ut tutas habitare cuniculus ædes
Gaudet, & insidias, quas improvisus adunco
Ungue parat fellis, vel sævo dente molossus,
Securus ridet; non turbat subdola vulpes
Tranquillos lusus, & clauso pascua septo.
Ex nive contextum video consurgere murum,
Vixque solo emergit, non me petit altior auras;
Sic possum observare intus, sed tensa superne
Ne penetrem, impediunt audacem retia dextram.
Pulchra columna etiam pretioso e marmore surgit;
Et Dea bellorum, quæ vatibus alma ministrat,
Ingenium, agricolis lanæ tractabilis usum,
Atque oleas docet excolere, & morum integra nobis
Ostendit quam pura animo det gaudia virtus.
Unica quam vitiis olim caruisse fatetur
Prisca superstitio, & falsa inter numina laudat.
Illa nitens galea supremo in vertice fulget.
Accedam; ecce notat radiis solaribus hasta
More novo, qua lapsa dies decurrat in hora.
Namque herbæ circum (sensus habuisse putares)
Ostendunt sua signa simul, quas indicat umbra,
Planta horas, vel odore notat, vel fronde comanti.
Sunt quæ vernantes solis lætantur in ortu,
Vel florum decus ostentant; augere vigorem
Post primos radios sensim, aut marcescere noscis.
Sunt quæ deciduum expectent, vel in æquore mersu

Aſtrorum regem, & foliis vel odore notantes
Admoneant, vel clauſa etiam, vel libera florum
Labra vides; ars magna tamen diſponere plantas
Ordine, & indubiis horas agnoſcere ſignis.
 Aſt ubi divini ſtatuam obſervare Platonis
Contigit, & digito obſervas *Te noſce* monentem,
Quadrato oppoſito Cynicus ſcrutatur Athenas
Solicitus, qua parte forum populoſius undat,
Atque homines inter, medio dum Phœbus ab axe
Expandit radios, hominem cum lampade quærens.
I tamen; in mediaque via te quærere forſan
Poſcet opus; portas offert labirynthus apertas,
Et facilem ingreſſum; falluntque, placentque virenti
Mœnia meandro; Creta non qualis in alta
Multiplici occurſu domuum, ſed vitibus arte
Diſpoſitis, nec murus erit penetrabilis ulli.
Carpe viam quacumque velis; fallacia callis
Ire, redire diu coget; ſi colligis uvas,
Utilitate moram reparas; ſi forſan odore
Flore cupis recreare animum, tibi quatuor hortos
Triſtis hiems, ver luxurians, autumnus, & æſtas
Monſtrat, ut oſtendat labentis tempora vitæ;
Donec ad optatam valeas accedere metam,
Qua Cynicus quondam ſolitus contemnere gentes
Irridet, ſi feſſus eris, contemne viciſſim,
Et prope cum ſociis viridanti ſede quieſcens,
Quæ minus apta docet, reproba, quæ congrua, lauda.
 Quæ te pampineo decepit ſubdola muro
Vinea, cui ſimilem forſan vidiſſe negabis,
Linquitur a tergo, & poſtquam diſcedere ſudas,
Parva manent ſpatia, & mortis ſpolia ampla notantur,
Seu quæ tempus edax noſtris in rebus acerbum
Imperium exercet; peregrina expanditur arbor
Plurima, & intonſis condenſat frondibus umbram.

Tum

Tum fractæ ſquallent urnæ, fractæque columnæ,
Rudera ſparſa ſolo pretioſo e marmore torpent.
Sed placet ipſe ordo, quo plus caruiſſe videtur
Ordine, & ingenium in minimis at grandia monſtrat.
At tu, rure quidem Comes optime, tu decus urbis
Parce Heros, ſi forte tuam deſcribere villam
Conatus meritum imminuo; non viribus apta eſt
Materies, alios vates, & carmina poſcit
Magnum opus; hinc prudens tacui, quæ maxima laudum
Argumenta forent; ruris laudavimus artem,
Sed non Artificem; primum tentare licebat,
Non mihi majores Helicon permiſerat auſus.

DUO LABYRINTHI NUPER ERECTI
ALTER IN AGRO PATAVINO,
ALTER IN AGRO FANENSI.

ARbor ut aſſurgat pulcher Labyrinthus in horto;
  Plurima difficilem cingit utrinque viam.
Tonſa placet myrthus, myrthoque ſimillima buxus;
  Inſidioſa tamen vipera fronde latet.
Laurus grata Iovi, vatum devota coronæ,
  Cui nunquam incuſſit fulminis ira metum,
Illa quidem viridi ſemper veſtita nitore
  Luxuriat muro frondibus apta ſuis.
Quæ facile oſtendunt abrupto cortice gemmas,
  Atque coronato vertice poma rubent,
Efficiunt murum, qui non penetrabilis ulli
  Proxima jucundo rura colore beat.
Quæ natale ſolum nunquam obliviſcitur arbor,
  Oh utinam hibernum ſperneret illa gelu!

Nam sæpe extendi speciosa in mænia vidi,
Tædiaque ambiguæ reddere grata viæ.
Aurea sopito male custodita dracone
Poma, decus quondam littoris Hesperidum.
Cum centum species cultis numeremus in hortis,
Quo valeas oculos pascere, lætus habes.
Plura auro miscent ostrum, sunt aurea tantum,
Magna minora quidem, longa rotunda vides.
Omnia frondescunt semper, flos omnibus idem,
Et nitidas semper jactitat arbor opes.
Pellicula nivea pariter divisa tumescit
Interius succo cellula quæque suo.
Cum spinas pariter sub frondibus omnia servent,
Munimen paries, ne temeretur, habet.
Sed nimiam curam nostris tamen exigit oris
Arbor odorifero flore caloris amans.
Adde quod Hæredes cura potiuntur avita,
Et fructus alter seminat, alter habet.
Unde tibi major laus est, mi culte Quirine, (a)
Quod semel incœptum perficiatur opus.
Fundamenta locas, annoque potiris eodem
Consilii felix utilitate tui.
Nullaque signa aderant, cum versat Aquarius urnam,
Pomifer autumus mænia densa videt.
Nam bene dispositis transfertur vinea sulcis,
Densaque virgultis sunt quoque fulcra novis.
Vinitor ampla parat numerans in vite racemos
Dolia, qua segetis signa recentis erant.
Hospes in obtutu quandoque immobilis hæret,
Cui non invisam sublevat esca moram.
Nunc quoque Fanensi novus est Labyrinthus in agro,
Tertia perfectum quem seges aspiciet.
Gabuccinus Eques, meritis & sanguine clarus,
Hoc spatia exornat ruris amæna sui.

Per

Per bis septem orbes sunt septem millia morum,
Quæsitu in medio est area difficili.
Ars illi, natura tibi plana æquora fecit,
Cum socio laudem dividere haud renuas.
Doctus uterque fuit, quod miscuit utile dulci;
Vitis habet fructu, frondeque morus opes.
Tecta ambit pratum, hinc binis via cincta cupressis
In Labyrinthæum ducere digna nemus.
Obstabat declive solum; non ubere gleba
Area, sed duro est expedienda topho.
Millia quinque tamen fossa tellure vehuntur
Plaustra boum, planum reddere certa locum.
Nec mora longa fuit, lapsis ter quinque diebus
Flava seges fuerat, nunc Labyrinthus adest.

(a) *Describitur etiam hic Labyrinthus in poemate antecedenti a Versu* 173. *laudatus*

Ad Ex. D. Equitem Joannem Octavium Gabuccini. Cum sibi cubile affabre depingi & doceret, & juberet.

Epigramma extemporale.

Non solum reditus auges, vir clare, paternos,
Sed pulchram ingenio reddis, & arte domum.

Aliud.

Quod nova dat pictura decus, non addidit omne
Pictoris virtus, sed domini ingenium:

Exc. Eques accepto calamo extemporale responsum ita scripsit ad secundum Epigramma.

Quas ego non merui, mihi dant tua carmina laudes,

Laus jussisse mihi, laus mihi posse frui.
Hos tamen accipio plausus, ut pignus amoris,
At nolo excedant carmina grata modum.
Ne quis dicat: Ego feci, tulit alter honores,
Atque ita sit pictor, bos, ovis, ales, apis.

Vates extemporali carmine ita reposuit.

Si sua pictori laus est, tibi gloria major
Convenit, hoc pictor te duce fecit opus.
Namque jubes, simul inde doces: muroque colores
Imprimere ut valeat, tu regis arte manum.
Quis docet artifices mellis distendere cellas,
Et per florigeros sugere nectar agros?
Quis vel arare boves, vel aves sibi condere nidos,
Sive rudes pecudes vellera ferre docet?
Tota illis laus est; sed laus pictoris ab arte
Pendet, & a solo nulla colore venit.
Qui pulchrum exemplar, qui singula suggerit apte
Ordine quæque suo, præmia laudis habet.
Magna triumphales exornat gloria turmas,
Sed tribuenda venit gloria tota duci.
Est aliquid laudem quacunque ex parte mereri,
Laus major meritum est attenuare suum.
Perge quidem laudare alios, sed divide laudem,
Sit sua pictori, laus tua major erit.

AD EX. D. BENEDICTAM ZAGNONI.

Elegia.

HEroum fœcunda Parens mea Felsina, gaude
Doctrina egregios tot numerare viros.
Ut tamen hinc major surgat tibi gloria, sexus

In

In partem tantæ laudis uterque venit.
Ingenio præstans non una, vel altera tantum
Hic mulier doctæ Palladis instar adest.
Tres ego cognovi (quid enim prius acta revolvam?)
Quarum te celebrem reddere quæque potest.
Cui natura manus, & opes fortuna negavit,
Dexteritate pedum supplet utramque manum;
Pingere novit acu, filum quoque ducere fuso.
Et bibit, & faciles ducit in ora cibos.
Altera naturę leges, & certa Mathesis
Scita, Juventutis facta Magistra, docet.
Heu periit nuper! quæ sensa abscondita vidit!
Quam culto Latios protulit ore sonos!
Tertia in innumeras resecare cadavera partes
Novit, & occultas sanguinis ire vias;
Qua sint forma oculi tibi monstrat, & explicat aurem,
Parsque loco exprimitur quæque notata suo.
Quo feror! hæc equidem laus est, quod fœmina possit
Ingenio claris non minor esse viris.
Laus est magna quidem, sed non rarissima; curas
Addat, & ingenio sexus uterque valet.
Te solam non magna modo, nec rara, sed ulli
Haud concessa prius dos, Benedicta, beat:
Te clarum ingenium, & penetrabile mentis acumen
Ornat, amabilibus gloria juncta modis.
Quod longo studio vix noscere possumus omnes
Intenti, mira dexteritate vides;
Sunt tibi missa quidem quocumque idiomate scripta;
Sed non consuetis scripta fuere notis;
Cæca characteres signant quoque puncta; videntur
Græca, vel Sinica scripta notata manu.
Quidquid id est, sine clave aperis, & perspicis intus;
Arcanisque notis abdita sensa capis.
Ingenii complura quidem miracula vidi,

At

At non ingenium par, Benedicta, tuo;
Hanc aciem mentis, qualis tibi convenit uni,
Non ego crediderim, ni mihi viſa foret.
Quod tibi larga dedit, reliquis natura negavit
Ingenium, & dotes addidit innumeras.
Perſpicuum ingenium gemma eſt pretioſius omni,
Aurum Nobilitas eſt ſine fœce tua;
Egregias inter dotes magis emicat aurum,
Atque inſerta auro plus quoque gemma nitet.

Hanc Elegiam ſine titulo obtulit Nicander Jaſſeus Ex. D. Benedictæ Zagnoni natæ Herculani, ſed ſcriptam ſub hac litterarum clavi ab Autore tunc excogitata, & nulli penitus cognita.

a b c d e f g h y i l m n o p q r s t u x z l . ; ,
h m g y e x ʒ ꝭ n a d b ſ r i 7 t - o l c g u 8 9 4
! ?
f 2 Diviſio Literarum p.

Primum diſtichon ita erat ſcriptum.

ꝭetrlbpxheglsyhpihtes-pbehpxed-ashpidhlye
yrgotathpeʒteʒarporopslbethteplatr-8

Cum vero totam Elegiam intra unius diei ſpatium legiſſet, ut plura alia ſub diverſis ſignis loco litterarum Italice, Gallice, & Latine ſcripta intra ejuſdem temporis ſpatium legiſſe ex viris fide digniſſimis auctor acceperat, eidem obtulit ſequens Epigramma.

UT bis viginti, bis & tria carmina cœcis
Scripta notis legeres, ſat fuit una dies.
Terminus ipſe latet vocis, nec ſigna legentem

Ul-

Ulla docent, utrum litterra. sit, vel apex;
Talia sæpe legis, spatium nec temporis unquam
Longius, ut testes asseruere, fuit.
Quod legis, hæc paucis concessa est gloria, nulli
Non terere invisa tempus inane mora.

Amico dulcissimo, Domino, & sodali optatissimo
Exc. D. Marchioni Josepho Zagnoni,
Exc. D. Benedictæ dignissimo Conjugi
S. P. D.

HIC ubi lætus ager nocuis supereminet undis,
Nec metuit fluviorum iras, cum margine rupto
Bacchantur, segetesque, & prata virentia fœdant.
Proh quantum nocuere imbres, cum turbidus Auster
Exonerat nubes, & versat Aquarius urnam.
Hic secura seges gravida flavescit arista,
Prataque cœlestis lactescunt nectaris imbre.
Nec procul excurrit Lavini littoris ora,
Marmorea tabula, & titulo signata fideli,
Qua mundum internas Romana potentia partes
Divisit, trepidique, jugum sensere Quirites.
Vix urbe egressi nitidas conspeximus ædes, (a)
Luxuriantem hortum, & muro vernante propinquas
Ruris delicias; agiles ut in arte perita
Artifices Benedicta docet, sumptusque ministrat?
Parva foris, tamen ipsa intus domus ampla videtur,
Commoda, pulchra, capax, procerum gratissima sedes
Quam sibi, & hospitibus generosa extruxit amicis
Cum non urbe procul, placeat divertere campo.
Rhenus adest; numerat bis quinque Geometra passus,
Sed breve fecit iter celeris rota fervida currus
Et comitum ingenium; postquam discedere longo
Ponte datum, calcata viæ pars tertia binos

Scin-

Scinditur in ramos; Mutinam petit altera; dextram
Arripimus, jamque ingredimur loca volanti
Alipedum turmæ, cum quisque attingere metam
Impositis dorso stimulis pungentibus instat. (*b*)
Jam locus objicitur, quo nobilis hospes ab alto
Currentes visu insequitur, ludoque potitur
Cum nova festivis redeunt spectacula flammis.
Hæc te signa probant Dominum, lata area quinque (*c*)
Qua datur ingressus portas venientibus offert;
Quatuor invitant oculos, at ferrea crates
Quæ media assurgit, valvis reseratur apertis.
Interius fœcunda virent pomaria fructu
Multiplici, nutant segetes, quas dividit arbor
Plurima, dum gradimur, series numerosa viarum
Perpetuam opponit radiis solaribus umbram.
Sunt ea pennatæ dilecta habitacula gentis,
Quæ variis oculos recreat festiva choreis,
Et resonis bibulas mulcet concentibus aures.
Parte alia in prato geniale extenditur æquor.
Quod spatiosa domus, camerataque porticus ambit
Dum licet, atque oculos prospectu pascit amæno.
Tempus erit (semel abscondat si cornua Phæbe
Lucis avara suæ, & pleno semel orbe recrescat)
Cum pratum jam non pratum, sed more capacis
In magna urbe fori, jam non ignobile fœnum,
Mutandas tamen argento tibi claudet, & auro,
Usibus humanis poteris quas quærere, merces;
Claudet equos, armenta boum, atque undantia gentis
Agmina, nec ruris solita apparebit imago.
Sed captare juvat, quæ nunc dat commoda tempus.
Hic nobis jucunda quies, hic aura salubris,
Lætitiæ ingenui fontes, sincera voluptas,
Mille modis & tristis hyems, & fallitur æstas;
Cuncta placent intus, sed si juvat ire per agros;
Um-

Umbrosi invitant colles, & amœna vireta,
Templa Deum, & latis dispersa Palatia campis,
Noctibus hic placidis, hic læta luce potimur.
Hic sapidos dat mensa cibos, & rustica fructus
Munera, lactis adest in plures copia formas;
Quæ magis arrident nivibus constricta palato,
Non desunt, non quæ grato libantur odore:
Vina addunt peregrina decus, quæ proxima cernes
Nominibus distincta suis, nunc lucidus haustu
Purpureo Cyathus, liquido nunc enitet auro.
Mexiacos latices, Arabumque, & dona Sinarum,
Salgama, Pastillos, Bellaria, vespere mane
Quæcunque in mentem veniunt, studiosa voluntas
Præparat, & facili dispensat munera dextra.
Plus tamen oblectat mira dulcedine morum
Et placidis, Benedicta, modis; Benedicta feracis
Ingenii, tam ruris honos, quam gloria gentis;
Sive tacet, vultu præclara modestia regnat,
Seu loquitur, circum charites gestire videntur,
Et lepor, & roseis vernat facundia labris;
Seu ludat, ludo nihil est optatius illo,
Digna loqui, digna audiri, seu seria tractet,
Sive jocos, pendent comites dicentis ab ore;
Sæpe juvat cunctante pedes extendere gressu,
Sponte sumus: non vincla tamen nos ulla coarctant;
Aurea libertas vigilat custodis ad instar
Præcedit, sequiturque, & singula gesta secundat,
Exhilaratque animos, augetque levamina ruris.
Non completa tamen nobis ea gaudia credas,
Quæ solus complere potes, quæ solus Joseph,
Imminuis, tamen ipse veni, sic redde fruentes
Rure tuo præsens ex omni parte beatos.
Ut mos est nobis cum jam decrescit ab alto
Prona dies, curru celeres aptare jugales,

In-

Inde viam quatimus, placida dum vescimur aura;
Ibimus excelsa qua nobis Felsina turre
Apparet, qua sæpe oculos, & corda movemus.
Ibimus ad pontem Rheni, si prævia mittis
Nuntia, rumpe moras, jam bracchia tendimus omnes
Obvia in amplexus, tecum miscere videmur
Jam voces: vel ficta animos ea somnia mulcent;
Adventu fac vera tuo; comitatus amicos
Otia ruris ama, & concordibus annue votis.
Scripta leges oculis, animo nostra inspice corda.
Jdibus Augusti tibi littera mittitur, unus
Scripsit, & unanimes addunt sua vota sodales,
Cum bis lapsa novem Christi numeramus ab ortus
Sæcula, at undenos bis demere convenit annos.

(a) *Villa S. Viola ab Ex. D. Benedicta propriis sumptibus nitide erecta, ipsa dirigente.*

(b) *Vulgo corsa de Barbari, quæ ab Ex. D. Josepho occasione festi, & Nundinarum præmiis decorat; ut in nocte festivos ignes in Villa Tavernelle.*

(c) *Describitur Villa.*

Ad Excell. D. Theresiam Spada ex clarissima familia Pepoli.

EPIGRAMMA.

EST aliis animi candor, virtutibus ille
 Emicat, huic addit forma venusta decus.
Sublime ingenium, mentis decora alta capacis
 Materies laudum pluribus esse solet.
Quemque suæ dotes, quibus est laudabilis, ornat;
 Raro, qui cunctis fulgeat, ullus erit.

Uni-

Unica communi generosa Theresia lege
 Exciperis, patriæ splendor, honosque tuæ.
Singula, quæ reliquos reddunt divisa beatos,
 Tu collecta simul, fœmina clara, tenes.
Magnanimo sociata viro, lætissima natis,
 Primorum ex veteri stipite nata venis.
Fœnore nobilitas magno dona omnia sortis,
 Si tamen excipitur non bene firma salus.
Sed virtus infracta animi, constantia, candor
 Doctrina ingenium clarius inde nitent.

In morte Excell. Dominæ & Matronæ spectatissimæ Annæ Mariæ Uffeducci Sororis Em. D. S. R. E. Cardinalis Casali.

EPIGRAMMA.

NObilitas animi, prudentia, candor, honestas;
 Religio, & larga munera sparsa manu,
Te decorant: Proceres tua docta oracula quærunt,
 Rebus in obscuris sideris instar eras.
Poscit egenus opem, tutumque oppressus asylum;
 Et facile optatum quique levamen habet.
Hæ tibi sunt laudes, non splendor sanguinis, & quæ
 A meritis fratri purpura digna venit.
Laus tua sunt Geniti, laus omni Filia laude
 Major, delicias addit uterque Nepos.
Te superi Fano donum cœleste dederunt,
 Nobilis urbs tanto gaudet honore frui.
Optabat commune bonum tibi Nestoris annos;
 Hoc unum a superis obtinuisse nequit.
Nec satis est vixisse diu; data munera cæli
 Immatura omni tempore parca rapit.

Sed

Sed cælo invigilas charæ ſtudioſior urbis
Lucrum, quod nobis pœna videtur, erit.

Excell. Dom. Joanni Sapieja novo ſodalitatis noſtræ Præfecto, cum nullibi Mexiacum potum niſi apud Poetam inveniſſet palato ſuo gratum ob odores in eo mixtos.

INclyta progenies Regum, Sapieja, Polonæ
Gentis honos, noſtri norma ſodalitii.
Mexiacam tibi mitto fabam, quam miſſus ab Indis
Cum ſale Braſilico nobilitavit odor.
Si famulas adhibere manus patieris, honori
Adſcribam famulos inter adeſſe tuos.
Ibo libens: per me ſubjecto ebulliet igne
Pars lateris, mixta dum liqueſiat aqua.
Per me etiam nigro ſpumabunt plena liquore
Fictilia ex Sinico pocula miſſa ſolo.
Si tamen hæc renuas, jam maxima gloria habere
Me ſolum, poſſes quod tibi velle, fuit.

De Sepulcro Dantis magnifice reſtaurato ab Eminentiſſimo Principe Dom. D. Ludovico S. R. E. Cardinale Valenti Gonzagæ Romandiolæ Legato, Ravennæ degente.

EPIGRAMMA.

DUM reparas clari monumenta perennia Dantis,
Dextera quam ſumptu ſit generoſa patet.
Ille novum ſtudiis fulſit melioribus aſtrum,
Quo duce nunc Italis gloria avita redit.
Quam ſtudiis etiam faveas, cognoſcimus omnes,
Mœcenatis enim nobile nomen habes.

Ne-

Nescio quid cineres animo instillare videntur;
  Magna offert moles pabula grata oculis.
Unde duas dotes facto miramur in uno;
  Forte aliquis quærat, quæ tibi major inest?
Fallitur: innumeræ, Præsul dignissime, dotes
  In te, ceu cælo sidera sparsa, nitent.
Te magni Patrui magnum appellare Nepotem
  Noster cogit amor, promeritumque tuum.
Ipse ego testis eram, quam te sapienter amabat;
  Olli deliciæ, spes quoque dulcis eras.
Dixit, ut ad primos te scandere vidit honores:
  Quo pede cœpisti, sic bene semper eas.
Dumque comes lateri præclarum exemplar habebas;
  Nota fuit tanto planta tenella viro.
Dotibus ille suis totum stupefecerat orbem,
  Virtutum Hæredem te tua gesta probant.
Fas, Decus, Integritas, Prudentia, Candor, Honestas;
  Justitiæ studium, Relligionis amor,
Omnia te decorant insignia Principe digna,
  Silvius in magno vivit Aloysio.
Nitimur hinc frustra majorem inquirere laudem;
  Quæ se oculis offert obvia, major erit.

Reverendiss. Domino ac Celsissimo S.R.I. Principi Abbati insignis, & exempti Monasterii Sancti Galli Emmanuel de Azevedo S.J.S.P.D.

ROmanæ columen sedis, celsissime Princeps
Cælestine Parens, rerum perdocte mearum,
Fama olim mihi notus eras, te prædicat orbis
Insignem pietate virum, tot adire labores
Non dubitas, ut sancta fides, quam Numine læso
Procubuisse doles, tota in regione resurgat.
Solicito stat fixum animo, non parcere curis,

Non opibus; quacunque juvat, tu providus inſtas:
Quam longe illuſtrem ſuperat præſentia famam!
Seu pietas animi, ſive experientia rerum,
Aut mentem, quam vaſta ornat doctrina, requiram.
Intra inimicam urbem, cincta hoſtibus undique ſurgit
Nobilis arx magnos cælo allatura triumphos.
Vidi ego, (nec poſſum ſine dulci ſcribere fletu)
Egregium forma juvenem, cui gratia fandi,
Pollentem ingenio, neque adhuc tria luſtra ferentem,
(Cum tamen arguta Sacra Biblia mente teneret,
Ex quibus hæreſeos fraudes perpendit, & aſtus)
Auſpiciis ſuperum, atque opibus cum Patre relictis,
Sponte tuos cadere ante pedes: tu Patris ad inſtar
Excipis, inque tua (nec jam tua dicitur aula,
Sed cæli ingreſſus) tuta ſtatione reponis.
Vidi ego (lætus adhuc depaſcor imagine rerum)
Millia quinque virum, quotquot vicina coloni
Arva tenent, ſacras turmatim accurrere in ædes,
Et feſtum celebrare diem: ſtant ordine longo
Sexus uterque ſuas propria ſtatione cohortes
Conficiens, viduæ, nuptæ, innuptæque puellæ,
Longævique ſenes, apto variata colore
Diſtingunt ſua ſigna gradus, hos ſerta coronant
Florea, diverſumque alios velamen adornat.
Ah tamen in vili quam rara modeſtia plebe
Illucet, quam grata dabant ſpectacula cœlo!
Qua methodo alternaſque preces, globuloſq. precantes,
(Queis te, virgo Parens, hominum pia cura ſalutat)
Abſolvunt, horum in medio charam aſpice prolem,
(Queis gaudere potes, per quos tua vivit imago)
De cælo, Benedicte Parens: hic pulpita zelo
Plenus adit, bibulas ille advenientibus aures
Porrigit, & cæluo totum bene militat agmen.
Tuque alios inter tanquam de plebe ſacerdos,

Magnanime o Princeps, atque omnibus omnia factus
Inſudas, cæloque doces poſtponere ſceptrum.
Quid referam ingenuos mores, quibus omnia florent!
Quamque exacta intus viget obſervantia legum!
Quam fratrum ſincerus amor! quam prompta voluntas!
Nocte, diuque preces quam juſto in tempore ſolvant!
Quam bene conveniant, & in una ſede morentur
Paupertas, & opes! nil deficit omnibus, unus
Nil habet, & nulli penitus conceſſa facultas,
Uſibus ut propriis ſint ſaltem in Præſide nummi.
Non verbum proferre audent, nunquam unus, & alter
Conveniunt, nullumque oculos attollere vidi.
Quorſum ego! Si vellem virtutum exempla referre,
Ante diem clauſo componet Veſper olimpo.
Quanta etiam illuſtrat velamine clauſa modeſto
Egregios doctrina viros! perpendere cuncti
Hebræos codices, Græca exemplaria noſcunt.
Sive opus eſt methodo naturæ arcana recenti
Indagare, aut quæ demonſtrat culta matheſis,
Non, qui circum adſunt, ſtudium, quo excellere vellent,
Hæretici jactare audent: vel mœnia torvis
Aſpiciunt oculis, ubi ſi Romana requiras
Dogmata, quam facili, quam claro examine cuncta
Diſcutiunt! Veteres cōdices, ſacra Biblia, Patres
In promptu ſapienter habent: cumque unica ſemper
Hæc ſtudiis ſit meta meis, Tu, maxime Princeps,
Doctrinæ qui laude præis, bene providus ultro
Ante meum adventum plura obſervanda paraſti,
Quæ valeant duodena ſacros per ſæcula ritus
Illuſtrare, meo proh quam pretioſa ſupellex
Theſauro exoritur! Fidei calcabimus hoſtes,
Atque mei tibi ſcribetur pars magna triumphi.
Inveni facilemque Patrem, doctumque magiſtrum
Addentem ſtimulos, methodumque, modumq; docentem.

Utilior reddetur adhuc tua gratia: grati
Nunc precor accipias monumentum, & pignus amoris,
Qua fateor debere tibi me plurima: siquid
Sint valitura olim totum mea scripta per orbem,
Semper honos, nomenque tuum, laudesq; manebunt.

In laudem Reverend. Fr. Gasparis ab Incarnatione Ordinis S. Franscici de observantia, post ipsius obitum.

PRimates alii jactent: *a Sanguine Regum*
Venimus, & nostro veniunt a Sanguine Reges.
Permultis confusa quidem, non inscia fraudum,
Sat dubiis nixa historiis, longæva vetustas
Protulit hanc laudem; quæ sunt placitura, probare
Nititur, & dubia cumulat merita inclyta laude.
Sed Reges atavos, Reges numerare Nepotes
Majores meruere tui: non Roma triumphis
Plena olim tibi finxit avos, non Græcia clari
In te Divinos generis transmisit honores.
Haud ignota cano: decus hoc Europa fatetur,
Dilectumque tuus te Rex vocat ipse Nepotem.
Quid referam invictos animos, & fulmina belli,
Præclarosque duces, clarosque in pace sagaci
Concilio; seu quos sacras veneramur ad aras,
Quos toga, quos gladius, quos purpura adornat, & ostrum?
Maxime vir, similes viventi texere laudes
Non mihi concessum est: tua rara modestia cantus
Rumperet, heu! placidæ turbarem dulcia mentis
Otia, dum memoro quos aspernaris honores.
Saltem aliquos memorare finas, quos sanguinis idem
Signat avus, queis nunc gaudes cælo esse sodalis.
Te simul & Regem sextos numerare Nepotes
Borgia lætatur, laus maxima gentis Iberæ,
Jesuadum Decus, & Romanæ gloria sedis!

Dum

Dum mentem excoluit ſtudiis Ignatius olim,
Galliaque inſtructos præbebat docta Magiſtros,
Forte tuæ gentis Rector fuit; ille repellit
Crimina, & inſontem reparato extollit honore.
  Ecce tuos illuſtrat avos, qui ſanguine clarus,
Conſilio inſignis, Romana Orator in aula
Xaverium Lyſias ſecum deduxit in oras.
Jeſuadiſque domum, & reditus dedit alter habendos,
Quatuor & JESU adſcriptos ſub ſtegmate fratres
Transfuſa e cathedris celebres ſapientia fecit,
Dulce etiam Patres fecit moderamen amantes.
Mille extant toto monumenta inſignia Regno
Templa dicata Deo, & ſtructas Heroibus ædes,
Floret ubi pietas: ubi mundo, opibuſque relictis
Illexere alios majorum exempla tuorum.
Quid tamen antiquos refero pietatis honores?
Vix tuus emoriens uxori vincula frater
Ruperat, illa ſacras ſe ſponte recepit in aras
Undique diffundens ſuperæ virtutis odorem.
  Sed tu, digne Hæros Lyſiis celeberrimus oris,
Quem nuper cælum rapuit, ſed corde piorum
Vivis adhuc, viveſque diu, dum ſidera cœlo
Fulgebunt, noctu radios dum Luna reflectet,
Naſcentemque Aurora ſinu dum prævia ſolem
Læta feret, dum ſol mittet cum luce calorem,
Flumina dum pelago current, dum fumus in auras
Senſim evaneſcet, volucreſque per alta volabunt,
Paſcua dum quærent pecudes, dum prata vireſcent;
Dum fructus culta arva dabunt, dum germina flores,
In Lyſia vives, noſtrorum ſemper in ore
Gaſpar erit: qua ſpirat adhuc dulcedine nomen!
  Non illum illecebræ, vel amantis gratia Regis,
Et quos guſtabat primos ætatis honores
Nobilitate quidem dignos, & mente virili,

Non auri fulgor, non fupplex turba clientum,
Allexere animum: manet alta mente repoftum
Cuncta afpernari, & vili fub vefte latere.
Te Francifce (olim fimilem, mirabile dictu!
Quem domino fecere tuo facra ftigmata) Gafpar
Elegit, atque humilem fimilis tibi pauper amictum
Induit: oh quam grata dedit fpectacula cælo!
Projecta ex humeris, pedibus calcata fupellex
Aurea, nunquam alias meliori fplenduit ufu!
  Magne Hæros: Rex teftis adeft; dulcedine tangi
Cælefti gaudet, Majeftatemque parumper
Providus inclinans, lacrymis teftatur obortis
Internos animi fenfus: hinc femper amorem
Quo te dilexit, per feptem luftra perennem
Servavit, fidufque auxit: ter purpura & oftrum
Summus honor Romanæ urbis, bis maxima Regni
Infula, fæpe animum quærunt decora alta fugacem.
Hæc tua vox femper: fi mundi còmmoda vellem,
Delicias, & opes, & quos amor ambit honores,
Non mundo emorerer; non tecto in paupere lanam,
Qua tumulandus ero, induerem: mundoque manerem
Militiæ adfcriptus facræ; fententia tanto
Digna viro, femperque eadem: Conimbria gratum
Præbuit huic fedem: nam fæpe vocatus ad aulam,
Paulatim effugiens, Divino intentus honori
Plurima mira quidem, fæclis vulganda futuris,
Exemplo præeunte, & vix credenda patravit.
  Cum Regno tu nata olim, tu florida femper
Chara Auguftini foboles, quo docta magiftro
Obfervas, quondam quæ tradita Numine fummo
Difcipulis documenta fuis: tu Gafpare felix
Dum focio, dum Patre, fimul dum Præfide gaudes,
Antiquos renovare vides cum fœnore mores.
  Dum monitis addunt exempla domeftica vires,
In-

Intrepidus commune bonum, & virtutis amorem
Promovit Regno: nec tantum Europa, ſed ipſi
Diſtantes Aſiæ fines, & plena ferarum
Aſtrica, & orbe novo tellus vaſtiſſima tractu
Curam experta ſuam: ſacros dat ubique Miniſtros
Et zelo plenos, & tanto munere dignòs.
Sive opus eſt auro, Theſauros ſponte miniſtrat
Regis amor; ceu lege velit frænare nocentes,
Præmia ceu meritis impendere, cuncta rogatu
Procedunt bene recta ſuo: & qui ſemper ab aula
Longe aberat, cum regem urget vis improbà morbi,
Sit quamvis febre oppreſſus, volat ocyor Euro,
Et plures (morbi vis eſt diuturna) per annos
Aſſiduus veri partes explevit amici.

Mors tandem advenit: magno mors digna Joanne!
Proh quantum enituit digniſſima Principe virtus!
Tu vegetam, quamvis infirmo in corpore mentem
Jam regnare polo aſpiceres: nam tempore longo
Nil niſi cæleſtes ſpirabat pectore ſenſus.
Inclyte vir; meriti conſtantem Regis amorem
Sat bene compenſas: tibi Rex novus addit honores;
Unica ſed meritis tu præmia quæris ab illo,
Ut tibi permittat longe diſcedere ab aula;
Non tibi permiſſum eſt: utinam ſed vita maneret,
Magne Heros, ſuperi cum præmia digna parabant!
Sed cælo maturus eras: te ſoſpite regnum
Floruerat, tua dexteritas, tua maxima virtus
Nos nimium cito deſeruit? dum plura tacere
Cogimur, & lacrymis funus comitamur obortis,
Te nobis vixiſſe parum, vir magne, dolemus.

Excellentissimo Dom. Michaeli Angelo Cambiasi Romam proficiscenti.

ANgele, qui tanti mensuram nominis imples;
Maxima laus, meritis sed tamen æqua tuis.
Nam Patriæ tu dulcis amor, tu gloria Romæ,
Tu splendor generis spesque decusque tui.
Non ego divitias, seu nobilitatis honorem,
Aut quantum excellas viribus ingenii
Annumerem: laus major erit, quod Nobilis Hæres
Majores sequeris Religione tuos.
Laus tua, lausque tuæ pietas est maxima gentis,
Cumque tuis dignum hac te quoque laude facis.
Jam duo scintillant Genuensi sidera cælo,
Tertius ex charis fratribus unus ades.
Sint mundo exemplar, dixi, sed deditus aris
Alter erit, sacris norma sit ille viris.
Audior, exultant festo Capitolia motu,
Romaque, quo felix esse putetur, habet.
Cærulea nigrum mutabis veste colorem,
Nam primo ingressu convenit ille color.
Deinde brevi clarum tibi purpura junget honorem;
Signum erit, & meriti præmia digna tui.
Nec magnum obtinuisse decus, laus debita semper;
Laus vera, augurium est promeruisse fidem.

Hoc primo Disticho usi sumus in Epigr. ad Ex. Comitem Angelum Castracane.

ANgele, qui tanti mensuram nominis imples,
Maxima laus, meritis sed tamen æqua tuis.
Laudibus adde tuis felicis munera sortis,
Nam Te digna uxor docta venusta Tibi est.
Sic lætam reddit dulcis concordia vitam,
Et dotes animi mutuus auget amor.

Ad

Ad Eccel. Et Rev. D. D. Alexandrum Matthæum Ex Ducibus Jovii Archiepiscopum Ferrariensem.

EPIGRAMMA.

Roma applausit ovans claro lætissima Civi;
 Cum Patruum ornavit Purpura sacra tuum;
Testis eram: de quo Benedictum sæpe loquutum
 Mille modis memini complacuisse sibi.
Proh quam fausta Urbi, populisque fidelibus omnes
 Spondebant! Ea vox publica gentis erat.
Spem bene conceptam mors impia falce recidit,
 Attamen hæc Patruo spes moriente manet.
Nam meritis pleno dabit inter præmia Numen
 Fœnore cum magno substituisse vices.
Det cælum incolumem per plurima lustra Nepotem;
 Reddere plena potest gaudia nostra Nepos.
Cum veniat claro de sanguine ducta propago,
 Illa Tibi minimæ gloria laudis inest.
Hæres virtutum potius quam sanguinis, annos
 Vive Tuos, Heros Inclyte, vive Suos.

Cl. Jo: Viguier sequens Epigramma in ejusdem Exc. & Rev. Domini laudem sacraverat, cum Urbem Metropolim primo ingrederetur.

Siluit terra in comspectu ejus *Mach.* 1.

Bellicus attonitum Macedo perterruit orbem;
 Illius & siluit terra sub imperio.
Maxime Alexander, Nostram felicius urbem,
 Non armis, solo victor amore capis.
Illi sæva inerat facies, animusque tyranno;
 Blanda Patris facies, corque suave tibi est.

Il-

Ille ferox gentes gladio vaſtavit, & igni;
  Ipſe tuas refoves pacis amicus oves.
Diſpar conditio eſt, diſpar in utroque triumphi
  Gloria, Nobilior ſed tibi palma venit.
Paret Alexandro gaudens Ferraria; dumque
  Virtutem attonito ſuſpicit ore, ſilet;
Inde tamen fauſtæi nimium tibi conſcia ſortis,
  Clamat, & in plauſus officioſa ruit.
Non timor has voces, non illa ſilentia terror
  Exigit: in cauſa ſed ſtupor eſt, & amor.

In Laudem Ex. ac Rev. Domini D. Jo: Puali Delphini Epiſcopi Bergomenſis.

EXcellat pietate, ſibi qui vivit, at ultra
  Officium doctus recta monentis agat.
Cui tamen imperii ſacræ traduntur habenæ,
  Non doctum eſſe, ſatis non ſatiseſſe pium.
Sed ſimul exornet vigilem Prudentia mentem,
  Nam reliquis animi dotibus una præeſt.
Illa bonos vultus, placituraque verba miniſtrat,
  Præſcribit juſtum laudibus illa modum.
Et facile inſinuat dulcem virtutis amorem,
  Cumque opus eſt, rigidi fræna timoris habet.
Præmia diſtribuens meritis æqualia reddit,
  Sed quæ dantis amor plus pretioſa facit,
Spargere ſæpe monet documenta ſalubria, & urget
  Reddat ut exemplis utiliora ſuis.
Sic habiles Præſul poterit reperire miniſtros,
  Et tuto dubiis rebus adire gradu.
Tempora quæ fandi, quæ ſunt magis apta ſilendi;
  Corrigere & pariter diſſimulare docet.
Cogitur invita pænam ſubſcribere dextra,
  Sed venit afflito pæna probata reo.

Ar-

Arcet avaritiæ fontes, solatur egenos,
Fert opportunam, quæ mage prosit, opem.
Prævidet exortas animis discordibus iras,
Et facit ut pacis vincula stringat amor.
Hinc, quæ sæpe solet præsentia Præsulis esse
Grata minus, cunctis quæritur illa locis.
Sed describo tuas, Præsul sanctissime, dotes,
Dum, quales debet Præsul habere, cano.
Urbs ubi fæcundi sublimi vertice collis
Nobilis excelsum tollit in astra caput.
Et circum auratis undantia messibus arva
Prospicit, atque hortos fontibus irriguis.
Gentis ubi in toto celebrata industria mundo est,
Hic tibi commissæ subjiciuntur oves.
Sed pauca exposui, cum te didicisse magistro
Cuncta queam; solus cuncta monere potes.
Qui Pastoris amat dotes agnoscere, normam
Non mea verba quidem, sed tua gesta dabunt.

In Morte Illustr. ac Rev. D.D. Cajetani Amati Benedicti XIV. secretarii Brevium ad Principes.

Argenti libras renuisti quinque viginti;
Quodque labor pretium materiæ addiderat.
Pondera Mexiaci sunt nectaris addita centum,
Obtenta hoc meruit gratia signum animi.
Non lucrum quæro, at rectum, sic inquis, & unus.
Sat mihi Mexiaci nectaris haustus erit.
Pondus (seu laterem appelles) unum accipis, addens:
Accipio a te aliquid, sed nihil a reliquis.
Integer, eventuque omni incorrupte Minister,
Omnibus esse potes norma, vel esse pudor.
Cætera quod spernis, quæ non dat munera Princeps,
Præmia, quæ Princeps non dare posset, habes.

Ad Illustriss. D. Hyeronimum Constantini Venetiis.

Hæc tibi conveniunt non dispare laudis honore.

Cum

Cum Arimino pertransissem hospes Reverend. Abbatis Baglioni in Monasterio S. Marini Dignissimum & Humanissum Præsulem E. ac R. Dominum Minucci prius Episc. Feltrensem, nunc Firmanum Archiepiscopum adivimus. Eo die Litterati viri ad ejus Palatium post prandium confluebant, recitaturi in Academia ab eo instituta; ille me dignatus est Academicis annumerare honorifico diplomate, & voluit, ut eo die recitarem. In memoriam tantæ benevolentiæ extemporale carmen hic subjicio.

MÆcenas Atavis edite Maximis,
Transmissum a Venetis munus amabile,
Immortalis honor Urbis Arimini
Quod Pastor vigilas assiduus gregi,
Quod calcar studiis, normaque fulgeas.
Tot læti titulis Præsulis optimi
Votis cæruleam poscimus anxiis
Vestem purpureo murice contegi;
Ne desit meritis dignus honor tuis;
Hunc jam Romulidum pręparat Arbiter.

NObilis Urbs, seu magnifico spectabilis arcu,
Seu Romano ausu jactes assurgere pontem,
Et quæ plura ævi servas monumenta vetusti,
Fęcunda ingeniorum altrix, aut mentis acumen,
Aut animi dotes in bello & pace requiram.
Tu qua prona dies rutilantibus occidit astris
Æmiliam adlambis, qua surgit ab æquore Titan
Flaminię celebrata viæ confinia spectas.
Parce precor, si forte tuis ego laudibus impar
Te sensim obscura fatear latuisse sub umbra,
Quid juvat argenti generosum pondus & auri,
Dum

Dum latet occultum media inter viscera terrę?
Dumque nitore carens nullos formatur in usus.
Nec poteris luctante hostes avertere ferro,
Si longa ærugo rosum deglutiat ensem.
Hęc egosępe tuas accedens hospes ad oras
Versabam mecum tacitus, tamen omnia nuper
Mutata in melius novi, sacra templa Marino
Ingressus; dum qui sacras moderatur habenas
Expecto, sese objicitur pulcherrima vultu,
Læta oculos, rubicunda genas, præscincta capillo s
Fæmina, visa quidem superis descendere regnis,
Una inter numeranda Deas: hanc exprimit Urbem
Vestis acu depicta, & tegmine ductilis auri.
In Veste expressas mirabar Pręsulis ędes,
Vivaci lauro ornatas, mirtoque virenti,
Et statuis mille Heroum; quos jactat amanti
Urbs servare sinu; tum claro adamante nitescit
Artis opus mirę cęlata in imagine Præsul,
Infula cui Crines, digitos sacer annulus ornat,
Qui Crucis effigiem venerando in pectore gestat.
Hæsi portento attonitus; Matrona benigno
Me Vultu alloquitur, mirari desine: Mundo
Concessum a superis donum, Sapientia dicor.
Hactenus incolui domuum penetralia; & inter
Præclaros cives occultam ingloria vitam
Transegi, vix nota aliis, & plausibus orba,
Crescere queis soleo, atque alacrem spirare vigorem.
Amissos mihi jam Præsul reparavit honores.
Sive profana velis monumenta, aut sacra referre,
Sive animi sensus verbis ornare ligatis,
Jam locus in promptu est; poteris de fronde coronam
Texere, seu statuam decus immortale mereri.
Dixerat: inque sui se luminis occulit umbra.
Te (fateor) quamvis dudum reverenter amabam,
Cre-

Crevit amor, tanto crevit reverentia facto.
Qua ratione tamen, qua Te doctissime Præsul
Laude modo super astra feram? namque optima fulges
Norma gregis, dum recta mones, dum sana ministras
Pascua, & exemplo documenta salubria reddis
Utiliora tuo; virtutum exemplar haberis.
Hæc tibi communes peperere illustria laudes.
Sed majora sequar: namque omnibus omnia factum
Vidimus agrestes jam te docuisse puellos,
Alterno sermone loqui, responsa probare,
Et modo corrigere, ut legis præcepta supernæ
Ebiberent, ut in astra viam cognoscere possent.
Corrosos etiam te sæpe evolvere libros,
Inqueis templorum expensæ, reditusque notantur
Vidimus, ut certa procedant omnia lege.
Hæc & plura animo versas, nam providus imples
Et solidas horas, & non revocabile tempus.
Ut populo certam valeas præscribere normam,
Cura tibi studiis animum exercere severis.
Utque alii ingenii fœtus, seu promere sacra,
Sive profana juvet, tanto duce & auspice tanto,
Evulgent, stimulos addis & nobile calcar.
Sæpe bipartiti prospectans culmina montis,
In quibus antiquæ & linguæ ornamenta recentis
Docta cohors Italum vario sedet ordine Vatum,
Ad tenues Musas, ad amabilis otia Pindi
Decidis, & cantus non dedignaris amænos.
Tu studiis vitam infundis, tu fertile gentis
Excolis ingenium, Tu laudum reddis amantes.
Vos Amimæ illustres, doctis clarissima fastis
Nomina, quæ nuper folio descripta fideli
Perlegisse datum, quantum sese Æmula virtus
Incendat, quam clara animos præsentia jungat,
Dicite: Vos ipsi vosmet superare notastis,

At-

Atque novas, ſemperque novas acquirere vires
Ingenium, & quanti conſortia docta virorum
Evaluiſſe ſolent, magno cum fænore noſtis.
At, Tu quem juſtis ſapientia laudibus ornat,
Inclyte Mæcenas, noſtræ decor addite genti,
Doctrina & pietate pari, ſtudiiſque diſertis
Perge tuam illuſtrare urbem; felicibus orſis
Fata mihi magnos video promittere fructus.
Nunc te cæruleo proni veneramur amictu,
Tempus erit, cum ſit doctis ſeges ampla Camænis
Purpura, quæ noſtris remanet ſpes unica votis.
Hanc laudes, doteſque tuę, & merita ampla requirunt
Hanc ſummus Paſtor tibi præparat inde, locabit
Proximiore loco, atque amplum concedet ovile.

De Horto Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dom. Vignoli rius Carpent nunc Forliviens. Epiſc.

TErra ferax, populuſque ferox victricibus armis
Conſtituit manſuram urbem, quæ ſede relicta
Oppoſitam incoluit tranato flumine ripam.
Rivulus hinc ductus campos interſecat alveo
Divite, divitiaſque agris, & commoda præbet.
Nec procul eſt puteus ſecli monumenta vetuſti,
In quem projectus, qui charam protegit urbem
Numinis ante thronum, perituram amittere vitam
Non renuit, ſummoque offerri victima Patri.
Hic Paradiſus adeſt; nam ſic dixere priores
Incauti, neque erat pretioſo nomine dignus.
Sylva inculta rudis, cupido neque gleba colono
Apta videbatur, ſerpentum impervia ſedes.
Fons erat in medio, & pecudi vix nota patebat
Lympha immiſta luto, pungentibus obſita dumis.
Nunc locus antiqui meritum ſibi nominis aptat.

Cernis ut induſtres cultorum expoſcere curas;
Jungere delicias opibus (quis credere poſſet!)
Apta viret? ſolem aſpectat, poſtquam exit ab undis,
Et tria planitiem virides declivia ad oras
Leniter inclinant fluvii; ſeu tramite? recto
Quæris aquas, ſeu tranſverſo ſpaciaris, & auram
Ire, redire avidus, cupias captare ſalubrem,
Lætus utrinque oculos proſpectu paſcis amœno.
Si circum latera ampla petas æqualia, binis
Arboribus nexas cernes aſſurgere vites,
Et tibi ſelectos menſæ præbere racemos.
In medio aut olera exoptes, vel ab arbore fructus,
Mire exquiſitos tellus fœcunda miniſtrat.
Hic pyra veris opes, hic mela rubentia cernes,
Pingue patet ceraſum, vario ſunt pruna colore,
Perſica poma ornant, & poma cydonia campum;
Quæque coronato turgentia vertice gemmas
Intus purpureas abrupto cortice monſtrant.
Alcinoi dum quæris opes, tibi blanda voluptas
Carpere melliſluam, quæ pendet ab arbore, ficum.
Quid memorem ſparagos & humi naſcentia fraga,
Fæniculos, quid tot menſæ ornamenta ſecundæ?
Nec timeas ſicca nocuos æſtate calores,
Poſtquam æquare ſolum placuit, diſponere ſulcos,
(Quod prius effectu forſan caruiſſe putares)
Arbitrio domini plantis ſitientibus hauſtum
Rivulus optatum præbet, qui parte ſuperna
Defluit; aſpernit pars ultima fluminis iras,
Quas platani, & ſalices, & ſylva intonſa coercent.
Fons quoque, qui nullos aptus latitabat ad uſus,
Nunc fluit illimis, nitidis argenteus undis.
Namque ubi cænoſæ ſemota obſtacula terræ
Liberum iter fecere, haud unda ſalubrior urbe
Ebibitur, nam pura fluens, ſubtilis ut aer

Te

Te sitientem hilarat nullo fœdata sapore
Hæc ego perpendens cælo spaciatus aperto
Te minimis etiam rebus, sanctissime Præsul,
Præstantem video; & laudum argumenta tuarum
Miror in effigie, atque animo majora recurrunt.
Tres tibi commissi præbenda ad pascua campi,
Et tua quam pingui vigilans industria fructu
Profuerit reliquis, vulgavit fama per orbem.
Salesio similem ostendit, sive alta docentis
Sensa animi referat, dulcesque in pectore sensus;
Quæ simul exemplis documenta salubria reddis
Utiliora tuis; sed cur audita reponam?
Ipse quidem hospitio admissus, non Præsulis ædes
Me forte ingressum rebar, sed claustra virorum,
Qui norma sibi præscripta Rectore sed uno
Fallaces mundi illecebras, fallacia spernunt
Gaudia, ubi unitum cælo bene militat agmen.
Tempora sunt fandi, sunt tempora certa tacendi;
Apta quidem studio, populis sunt apta regendis,
Illa preces recitare monent; penetralia cordis
Extra nos ipsos cælestibus urere flammis
Illa monent, tacitamque polo defigere mentem.
Dumque sacerdotum circum stipante corona,
Te conviva fruor, reficis non corpora tantum,
Sed gaudes animos lecto quoque pascere libro.
Ut tamen amittit vires, & frangitur arcus
Adstrictus semper, remanent sua tempora ludo.
Mensæ instar magnæ viridi patet area panno,
Hic globuli, quos fixit ebur, se trudere certant
Ictibus alternis, dextra postquam ipse minorem
Projicis, hinc omnes confinia tangere quærunt,
Intenti globulos sociorum avellere, sistunt
Proximiore loco; plenum duodena triumphum
Palma dabit, gaudesque nova contendere pugna.

Attamen obripuit ſenſus lectiſſima doctis
Bibliotheca libris, illos reſtringis ad unam
Materiem, & morum conjungis in arte magiſtros;
Qui virtutis iter, fraudeſque obſtantis Averni,
Queis veniat cauſis, quo creſcat fomite niſus
In vetitum, motuſque inſecto in corde rebelles,
Quos frænare potes, (ſatis eſt generoſa voluntas.)
Delicias animi, ceu prælibamina ſortis
Æternæ, tibi qua ſtudeas ratione parari,
Divinis docuere modis, & provida cæli
Auxilia, & vigilem Domini patientis amorem.
Sic pietatis inops, ignarus ad ardua miles
Prælia, diſcendi cupidus, dum mente voluto
Quo ſtudio emineas, Præſul, mihi gratulor ipſi
Hoſpitio conjuncta tuo bona cuncta potiri.

Laus Britinorienſis Urbis occaſione Academiæ in laudem S. Catharinæ Virg. & Martyr. primæ Protectricis ſingulis annis convenire ſolitæ.

QUA populi Æmiliæ plano ſpatiantur amœno
Fluminibus ſecto, quæ poſtquam e montibus altis
Præcipitant, lente excurrunt, pelagoque recepta
Liberiore vado pro ripis littora pulſant.
In medio aſſurgit veluti Parnaſia rupes
Monte bipartito ſæclis extructa vetuſtis
Nobilis urbs, jactans veluti Regina coronam.
Et placet aſpectus dominantem adeuntibus urbem, (a)
Nam via proximior montis declivia lambit.
Si tamen aſcendas, oculis geniale theatrum
Seſe offert latere ex omni, namque ardua ſurgit
Egregias inter urbes, quas proſpicit alto
E ſolio, ſparſas campo, ſeu ſidera cælo.
Prata etenim ſubjecta virent, nemora ampla pateſcunt
Frondoſis intonſa comis, flaveſcere meſſes

Mi-

Miraris, miraris oves, oviumque magiſtros,
Atque armenta boum, & ſparſos per rura colonos.
Cæruleus procul extenſo ſtat littore Pontus
Nunc placida tranquillus aqua, nunc turbidus Euro.
Parte alia montes, & ſaxa minantia cælo
Aſſurgunt, valleſque ſimul petere ima profundas
Obſervas, leporumque domos, aviumque receſſus,
Et quales venator amat, nigreſcere ſylvas.
Culmine quæ ſummo conſurgit in æthera moles,
Arx antiqua fuit, nunc ſacri Præſulis ædes,
Hoſpitii generoſa domus, qua ſæpe potiri
Conceſſit fortuna mihi, non pulchrior extat
Proſpectus, toto non aura ſalubrior orbe.
Ipſe quidem, cui dat nomen ſine felle columba
Acceſſu facilis, viſuque affabilis omnes
Excipit, atque loci laus maxima creſcit ab illo,
Dum morum candore gregem, vigilanteque cura
Inſtruit, & primo profundit munera templo,
Ut decor & ſacris Majeſtas creſcat in aris.
Hic homines pura aura beat, puriſſima venis
Unda fluit, tenuem quam forſitan aera credas.
Hic rerum natura ferax, nec noſcere poſſis
Qua Ceres, aut Bacchus, ſeu qua Pomona triumphet
Fertilior; tot felici ſunt commoda monte!
Quiſquis ades, fruſtra, fines dum quæris Hetruſcos,
Vina tibi pretioſa paras; ſeu lucidus hauſtu
Purpureo cyathus, liquido ſive effluat auro,
Nobilis urbs præſtat quidquid ſitibundus anhelas.
Urbanos mores claris in civibus adde;
Extat adhuc veteris monumentum inſigne decoris,
Quam tenuit ſeris dilecta nepotibus ætas.
Nullum erat hoſpitium quondam advenientibus urbem
Solvendum pretio, ſed erat ſine limite aperta
Hoſpitibus quæcumque domus; ſibi quiſquis honori

Ducebat ſuperare alios, & prodere amoris
Signa ſui; tantum hæc inter diſcordia cives
(Digna quidem illuſtri diſcordia laude) vigebat.
 Sed litem, quam movit amor, compeſcuit idem.
Pacificum ingenium quis non agnoſcat amoris?
 In medio conſtructa foro de marmore ſurgat
Ampla columna, ajunt cives; quam plurimus ornet
Annulus, in quovis ſua quiſque inſignia figat;
Annulus hoſpitii judex erit; ac ubi feſſum
Alliget alipedem, qui venerit hoſpes in urbem,
Ad quem ducatur, de civibus indicet unum.
Tanta inter claros regnat clementia cives!
Reſtat idem ingenium, quamquam vetus excidit uſus.
 Hanc ſibi delegit ſedem Catharina vetuſtis
Temporibus, quam ſervat adhuc, cui proſpera ſemper
Continuis grata obſequiis a Numine poſcit.
 Hanc ſibi delegit vigilantem urbs clara Patronam,
Huic ſua vota offert; viget, æternumque vigebit
Religionis amor, Diva duce, & auſpice Diva.
 Huic morum candor ſervato intacta pudore
Pectora plena Deo miris virtutibus ornat.
Digna Deo fuerat, natum cui tradidit ipſum
Virgo Parens, & caſta ſimul connubia junxit.
Lilia cui niveam poſtquam texere coronam,
Purpureis intexta roſis, ſerta addita vernant.
Nec ſatis eſt purum ſervare a crimine corpus,
Nec ſatis eſt offerre ultro pro Numine vitam,
Carnificum rabiem, & dira inſtrumenta furoris,
Dentatæque rotæ revolans per viſcera ferrum
Spernere, quin laceros artus, & larga cruoris
Flumina, dum placido cernit lætiſſima vultu,
Gaudet ovans, patrio defigens lumina cælo;
Lumina, nam duplices arctabant vincula palmas:
Jamque caput, vitamque ſimul ferus abſtulit enſis.

Non ea vos, tantum Cives causa optima movit,
Sed nitidum ingenium, & penetrabile mentis acumen,
Quæque etiam roseis fulsit facundia labris,
Atque simul cælestis amor, quo provida semper
Ducere curavit reliquos ad Numen amandum,
Ut superas tandem possent ascendere sedes.
Quinque olim decies monitis instruxerat hostes
Numinis ignaros; queis vana scientia mentem
Obruerat, cæloque docens sine fine potiri
Præcessit; nunc juncta Deo non dispare cura
Vos sibi dilectos, qui Templum, & corda dicastis;
Quique Patrocinio vos commisistis amanti,
Ad Patriam æternam, ad superum consortia ducet.
Solicita ad cæli valvas vos excipit, inde
Numinis ante Thronum sistit gavisa clientes.
At tu perge libens triplici Diva inclyta serto,
Quod virgo, quod Martyr habes, quod docta mereris;
Perge tuam servare urbem, removere pericla,
Instructam in monte urbem, cui structum in monte se-
Angelici cives jussu posuere superno. (pulchrum

(a) *Euntibus Romam per Æmiliam planum est iter ad latus Apennini: post Foroliviium cernitur ad dextram mons amænissimus in duo juga divisus, in altero sita est urbs, in altero Templum cum cænobio.*

Ad Illustr. & Rever. Dom. D. Franciscum Columbani Episcopum Britinoriensem.

PAstor in Arcadia Benedicti ex tempore laudes
Heroo cecinit carmine gratus amor. (*a*)
Adfueras lateri supremi Principis, octo
Aspice veloci quam pede lustra volent. (*b*)

Urbe tua, claraque virum plaudente corona;
Nunc potero laudes concelebrare tuas. (*c*)
Nam mihi, quem fratrem magno tibi ducis honori,
Dat ſedem doctos inter habere viros. (*d*)

(a) *Carmen extemporale in Arcadia recitatum, quod ſupra legitur pagina 250.*

(*b*) *Anno 1742. quo Romam perveni, Ill. & Rever. Epiſcopus inter Prælatos domeſticos Benedicti XIV. adſcriptus erat, ipſi Pontifici gratiſſimus.*

(c) *Eſt Patritius Forolivienſis ex comitibus Columbani.*

(d) *Ejus frater Forolivienſis urbis decor & delitiæ Juriſconſultus & Vates egregius me dignatus eſt inter Academicos Forolivienſes adſcribere.*

Vates Faventiæ invitatus ab Illuſtriſs. D. Antonio Sevaroli Archidiacono propinat ex improviſo omnibus convivis.

SÆpe ego, cum tacito verſarem pectore cives
Quos doctis fœcunda viris Faventia jactat,
Te, clare Antoni, non agnoviſſe dolebam.
Te præclara Parens, Rubiconis gloria, noſtræ (*a*)
Æmiliæ decus eximium, ſat cognita faſtis
Theutonicis, qua ſtemma crucis merita ampla notabat,
Regale oſtendens donum, ſed munera cæli
Prætulit, & genitum tenero dilexit amore.
Jure quidem; tu ſplendor eras, & gloria gentis,
Tam procerum, quam plebis amor; te candida morum
Integritas, acies mentis, ſublime decorat
Ingenium, natuſque aliis in pectore verſas
Mille juvandi artes, ſolio facundus ab alto

Sæpius æternæ spargis documenta salutis;
Et bibulas præbes commissa fatentibus aures.
At si tanta geris primævo in flore juventæ,
Quot sperare licet maturo in tempore fructus?
Parcius ista tamen nec viribus apta, nec annis;
Non tibi sed nobis vitam servare memento,
Vive diu; de te meditatur plurima cælum.
Non dilecta Parens fratrem conspexit in urbe
Insignitum ostro, rapuit mors invida utrunque,
Dulce levamen ades, sed te, si spernis honores,
Communi servare bono vota omnia poscunt.
Hæc mihi jam dudum, totum quæ fama per orbem
Evulgat merita ampla virum, patefecerat ampla
Laude, sed obstabat cupidis distantia votis.
Oh! me felicem, te magno fœnore nosco,
Te socio conviva fruor, dum splendida fulgent
Vasa coronato circum spumantia labro
Inter fumantes epulas, atque inter amicos
Tempore jam longo notos, dulcissima cordis
Vincula, qui sapidis hilarant convivia dictis,
Ingenioque sales ornant, & acumine mentis.
Te primum memorare licet, qui proximus adstas (b)
Pastori, supplesque vices, & sacra disertus
In populum jura exerces, sed amore paterno
Præsulis egregii vestigia recta sequutus
In commune bonum Marius nova pectore versas
Consilia in melius, sic consulis omnibus æquo
Judicio, ut pariter pœnas, & præmia laudent.
Nec te prætercam, Zauli dignissime, pacis (c)
Semper amans, semper pacis vexilla sequutus.
Quo duce conspicua pax aurea regnat in urbe.
Qui laceros libros, & rosa numismata volvens
Historiæ adjungis secli monumenta vetusti.
Tu quoque, Vincenti, qui cultus, amabilis omnes (d)

Excipis, & charis insudas fidus amicis.
Ante alios Carolum veneror, qui munere divum (e)
Felix natorum circum spectante corona
Lætatur, docilique hilaris dat jura cohorti.
Quatuor ante oculos, quid enim memorare licebit
Absentes, charis jucunda parentibus addunt
Gaudia, & ingenuos hausere a sanguine mores.
Digna quoque egregio felix Matrona sodali
Expandit Francisca decus, nam Palladis instar
Non minus ingenii, quam pulchræ munere formæ
Præstanti sociata viro, dignissima pomum
Cui daret auratum temerarius arbiter Idæ.
Sic etiam natæ laudum decora ampla tuarum
Promerucre pari studio, miramur in Anna
Quas meruit Catharina, & adhuc abscondita mundo
Servat chara Deo, atque auget cum fœnore dotes.
Hæc lateri conjuncta tuo comes addita visus
Recreat, & dulcem Matris solatur amorem.
Vos quoque præclari generoso e stipite fratres
Matris honor Lodoix; studio quoque Marcus eodem
Æmulus, & docto quem nunc Ferraria cœtu
Jactat ovans, quem jura fori Romana docere
Insudat, magnoque olim splendescet Alumno.
Summe animos fratris vestigia clara sequutus
Constantine tui, pietas te poscit ad aras,
Quæ magis effulget generoso sanguine juncta:
Interea nomen natu minor Hercule dignum
Et fratris curam assiduam, puer alme, mereri
Indole præclara, & morum dulcedine pergas.
Omnibus augurium vegetæ exoptare salutis
Est amor, oh! utinam producere longius ævum
Concedat nostris cælum penetrabile votis.
Sedibus æthereis utinam memoremus amantes
Mutua signa animi, quo nos convivia jungunt

In necuis condita jocis, ubi pocula ficcant
Convivæ, quæ plena ostro nunc dulce rubescunt,
Nunc liquido rutilant auro; toto orbe profecta
Huc veniunt, & corda hominum lætissima reddunt;
Lustra prius lento decurrant plurima passu,
Interea vivant omnes per Nestoris annos,
Dulcia qui possunt consortia reddere, vivant.

(a) *In primis Nuptiis Anna Guidi ex Ordine stellatæ Crucis ab Imperatrice erecto; Soror Eminent. Card. Guidi Cæsenatensis.*

(b) *Ill. D.D.Marius Bentivegni Vicarius Generalis.*

(c) *Illustr. D. Comes Jacobus Zauli.*

(d) *Illustr. D. Vincentius Sevaroli.*

(e) *Illustr. D. Carolus Sevaroli, & Ill. D. Joanna ejus uxor Fratres Illustr. Archidiaconi: Ludovicus, Constantinus, Marcus, Hercules; & Catharina in Monasterio, Ex secundis nuptiis Anna, & Constantia nuper nata.*

PHILOPONORUM ACADEMIA.

Hoc Poema versibus heroicis liberis, vulgo sciolti, *Italum reddidit Cl. Comes Alexander Biancoli vir ad Hetruscæ Poesis honorem natus. Ab eo meruit omni laude dignissimum judicari, cum a me nihil gratiæ, & venustatis acceperit. Doleo versionem ad manus non habere, sed spero virum doctissimum inter præclaros ingenii sui partus hunc etiam aliquando editurum.*

Illustres Heroum animos, Clarissima Vatum
Nomina in auratis nuper monstravit Apollo
Con-

Conſpicienda notis genio ducente per auras;
Inde bipartiti me tandem in culmine Montis,
Qua templum aſſurgit nemora inter celſa, locavit.
Veſtibulum ante ipſum Cœtum vox Græca notabat
Cultorem ingenii, doctique laboris amantem.
  Nomina nec tantum, ſed pulcro adamante figuras
Vidimus inciſas, lauros fingente Smaragado.
Tum veros hominum vultus, habitumque colore
Multiplici, variata locum ſpargebat in omnem
Copia gemmarum, ſed quæ tamen una videntur;
Uſque adeo conjuncta ſimul mira arte cohærent.
  Da Fregnane auſus, te primo in limine vidi
Aſtrorum, ſoliſque vias, Lunæque labores,
Immenſoſque orbes pellique, trahique viciſſim,
Tela triſulca Jovis, ventorum prælia & ignes
Aere diſperſos, pendentes nubibus undas,
Et Lucis radios fili ſeptemplicis ictu
Evolventem animo, jam terræ abſcondita quæris
Viſcera, marmoreos ſuccos, atque apta metallis
Semina, ſulphureos amnes, flammaſque latentes.
Fontibus, & fluviis ſolæ dent pabula nubes,
Aut ſalis expertes tellus ſecum attrahat hauſtus,
Scrutaris; maria alta petens, varioſque reflexus,
Vorticis inſidias, & monſtra natantia cernis.
Tum noſtrum expendens, qui ſæpe revolvitur, Orbem,
Mente agitas quæ vita feris animantibus inſit,
Qua ratione animus membris commercia ſervet;
At major tibi cura hominem cognoſcere; tandem
Ad flores divertit amor, nec germen in agro
Abjectum doleat, nec radix herbida curas
Demeruiſſe tuas; reddat qui ſemina pulvis
Illapſu fœcunda ſuo, niſi forte rapinis
Inſidietur apes, varient quæ germina fœtus,
Quot foliis, quot caule ſibi, qua parte liquores

Vi-

Vitales radix prius ebibit, inde miniſtrat,
Excutis; at longas rapuit tibi Sequana curas,
Tempus adeſt, recreare tuos ad Anemonis undas,
Et Vatum obſequia excipere, atque reponere doctas
Mentis opes; non ingeniis fæcundior unquam
Invida in Æmiliæ gremio te Gallia cernat.
Hic vires natura ſuas, arcanaque multis
Detegit; Imperii leges, & publica verſant
Jura alii, atque aliis Divina Scientia Numen
Explicat; æqua placent documenta, & regula morum
Pluribus; at laudes nunc delibare minores
Otia, quæ docto ſuccedunt grata labori,
Cogit amor; ſeſe ante alios in imagine Vates
Paſſius objicitur, nempe hic ad Principis inſtar
Jura dabat; ſcriptis quæ Paſolinius Heros
Tradiderat; ſolioque ſedet ſublimis eodem;
Cattulus imperii Comes; & Zucchinus adhæret
Conſilio clarus, quem candida turba leporum
Circumdat, chariteſque jocis, & gaudia ludunt
Innocuis; fulget Marchettus acumine mentis,
Carmina Etruſca velis, ſeu nota Quiritibus olim.
Borghus adeſt, ſociiſque oculos advolvit amantes,
Ac lætus patriæ exaltat, quos addit honores.
  Quod mirere magis, plauſu nemora ampla reſultant,
Dum Muſæ inſtrumenta hilaris vocalia cantus
Reddidit, atque lyram digitis aptabat eburnam
Circunfuſa cohors; ſtupefacta ſilentia fixos
Mulcebant vultus, pendentque loquentium ab ore,
Et nutu manifeſta animi dant ſigna probantis
Atque inde in lætas gaudent erumpere laudes.
Quamvis non ficta referantur imagine voces
Viſa fuit pictura loqui, tum forte Catullum
Proſpicio; fert ille ſuum redivivus alumnum.
Aſſenſere omnes; docto Fagnolius ore

Carmina tum recitat cultum referentia Vatem.
Jamque gravi incessu Tassus, varioque Petrarca
Succedunt, viridemque annis inducere gaudent
Ornatum lauro vatem; nosco ora, manusque
Sat calamo eximias, cœtumque Bianculus ornat.
Explicat ille novis modulis, quæ Moura vetustis
Inclyta gesta canit, cantu Nevolonus utroque
Apparet magnis grave Vatibus argumentum.
Ut puræ, ut faciles hæc per declivia Montis
Illabuntur aquæ, sic culta Bianculus edit
Carmina (Phæbus ait) qua nobilis impetus urget
Sponte sunt; tum Virgilii studiosa sodalis
Calliope, Vatem non dispare laudis honore
Jactat ovans, librumque, sinu quem forte gerebat,
Gratum opus agricolis, gratum quoque Vatibus offert
Perlustrandum oculis, tum spem sapientibus addit,
Unde Faventino gratetur Mantua civi.
Forte procul mæsto latitabat Tullius ore,
Tullius exemplum, & facundæ gloria gentis.
Atque aliquis Vatum, quo prisca superbiit ætas,
Summe animos, inquit, nam si tibi fata negarunt
Castalios haurire amnes, sat fluminis instar
Effluxit tibi Romanæ facundia linguæ;
Vivis adhuc mundo, duplici sed laudis honore,
Dictio sive fluat per apertos libera campos,
Sive ligata modis, vinclisque obstricta sonoris,
Vincit in hac Ferri, te Ferri imitatur in illa.
Vivat io Ferri, clamat resonabilis Echo,
Sæpe assueta tuas audire, & reddere laudes,
Cum juga celsa adeunt, qui te didicere Magistro:
Transierant Vates, quos aurea protulit ætas,
Et Janum observant duplicata fronte loquentem.
Applicuere aures, facies quæ junior edit
Ore sonum, mulcetque animos, & Carmina noscunt

Est

Effluere, at fluida ignorant quid Carmina dicant.
Suspensos tum Musa animos observat, alumnis
Tunc ait obsequiosa suis: ne, gloria Pindi,
Mirere; hic cunctis sunt dulcia carmina cordi,
Hic ea Janus amat, sed in uno idiomate sensus
Fastidit, sic, quæ duplici sunt tradita; gestit
Quærere, & inde memor concentu evulgat eodem;
Quæ nunc aure bibis, Saviolius edidit, ausus
Anacreon, stimulos amor addidit, altera Jani
Jam facies quærenda tibi: felicia Laghi
Verba fluent, veteres eadem sententia voces
Jnduet. Adversa vates e fronte loquentem
Excipiunt, jamque attoniti sua carmina noscunt,
Vel saltem se digna, & sese audire fatentur.
Jamque Umber Lagho applaudit; sed Horatius arcum
Fregit humi; tum Virgilio subrisit Homerus,
Atque ait: eripuisse mihi fur nobilis olim
Non ita felici verborum compare sensu
Multa equidem jactas, & adhuc sub judice pendet
Laudis honor, dubiisque volat victoria pennis.
Sed dum luce carens oculorum, at mente disertus
Insultat, velletque modos superare Latinos,
Culta novas metro præscribit Hetruria leges;
Pazzius ut numeros his septem in versibus aptet,
Quatuor in partes sectum, breve carmen in unum
Absolvit sensum; nunc lato excurrere campo
Liber amat, sive apta lyræ, sive ardua tractu
Verba epico, sive imparibus devota cicutis
Seligat, inventu ut facilis, sic fervidus ausu.
Nos pariter mulces dulci modulamine cantus
Conspicuos inter vates, doctissime Zauli.
Civibus Alberghum rapuit studiosa juventus,
Quæ duce sub tanto juga celsa ascendere gestit,
Ut varios inter montes, sed mole minores
Altius

Altius erigitur, propiusque afflatur olympum
Vertice Parnassus duplici, par nobile vatum
Non secus intentam vidi circumdare pubem.
Altera pars nigram, rubeam pars altera pallam
Induit; una omnes Jovis esse satellitis instar
Aspiceres, propiumque sequi, ceu sidera, solem.
Grammatices præcepta alius, sed Rethoris alter
Insinuat leges, & ad ardua culmina montis
Sternit iter, doctaque juventam proluit unda.
Contulus hic ille est, quo sæpius aura canente
Substitit, & placidis per prata volatibus errans
Secum una servare modos est visa canoros.
Nec sibi dissimiles meruit Machabellus honores.
 Burserio celebres antiqua numismata vultus
Ostendunt; frontem adversam, atque ad marginis oram
Scripta notat, sic quæque suo discriminat ævo:
Tum procul observat salientes Castalis undas,
Vatibus ut prosunt, an sint medicantibus aptæ.
Utraque, Phœbus ait, patrio tibi cognita rure,
Quæ nostros virtus fontes beat; adjice flores
Naturæ ludentis opus; quantum abdita radix,
Quantum ligna juvent, succique potentibus herbis
Expressi edoceo, duplici sic nomine posthac
Jam tibi Numen eros hinc morbos, & Pharmaca, & omnes
Corporis humani latebras docet arte, oculisque
Noscere signa mali, & manibus dat noscere febres.
Felsina Predieram nobis dedit: ille diserto
Improvisa rapit sæpe argumenta volatu:
Præbet Homerus opes, Latium decus addit, & arte
Dicendi te, Virgo Parens, extollit, ut inter
Mortales tu sola ferum pede comprimis anguem,
Solaque communi non es vitiata veneno.
Ricciardellus adest, doctæ spes alta cohortis,
Cui musæ lauros, ederas cui flavus Apollo

Præ-

Præparat, & viridi meditatur fronde coronas.
Sed tibi non viridis, Boschi, color iste parandus;
Phœbus ait, stimulant exempla domestica pectus,
Et fratris merita ampla addunt tibi nobile calcar;
Magna animo volves, neque erunt tibi carmina curæ.
Vestis erit, color ut cælo solet esse sereno,
In rubeum, si fata sinant, mutanda colorem.
At Naldi vatum jam primo a flore juventæ
Deliciæ, mecum doctæ patria urbe manebis
Gentis honos: tanta ingenii te, docte Corelli,
Exornat virtus, ut scriptis publica tradas
Commoda, nec placidis desunt blanda otia Musis.
Si reliquos numerare velim, quos culta poesis
Servat in æternum, & templi latera ampla venustat;
Iliadem, & longo superarem Æneada cantu;
Hos etenim, atque alios digito monstrabat Apollo.
Dum viridi musæ redimibant tempora fronde,
Fœmina suspensis pendebat in aere pennis,
Namque humeris, pedibusque agiles aptaverat alas,
Illa tubam dextra, at stringit læva impatientes
Frænari ventorum animas; data munera Regis
Æolii, non qualis erat constrictus in utre
Impetus incauto quondam commissus Ulyssi,
Sed velut elata tenet arduus igne trisulco
Jupiter arma manu; tantum sinat ire, fragorem
Præmittunt, rapidoque ruunt toto æthere gyro:
Sic Dea, cui nomen Fama est, volat impigra, & auras
Arbitrio regit illa suo; mora nulla retardat
Scrutantem terrarum aditus, tuba longius auræ
Spargitur impulsu, sic aura impellitur ultro
Diva ignara moræ, & vires acquirit eundo.
Huic musæ, & musis qui præsidet altus Apollo
Injungunt, ut quæ splendere poesis ad aras
Nomina scripta videt, toto notissima in orbe

Red-

Inquiras: vestra in gemmis ego nominã vidi,
Et vultus vidi, & vocem haurire videbar.

In occasione, che L'Illustrissimo Signor Gio: Pietro Testori, trovasi ascritto fra gli Ottimati nelle Scuole de' Padri della Compagnia di Gesù di Milano, si offrono al di lui raro merito li seguenti Poetici componimenti. In Cesena 1766. dalla Società di Pallade per Gregorio Biasini al palazzo Dandini.

S O N E T T O.

IN steril orto, ov' Adria impera all'onde,
Fu piccol Ramo inarridito, e adusto
Questo, ch' or fitto in sì remote sponde
Risorge altero, e vigoroso Arbusto;
Nè sol va carco di bei fiori, e fronde,
Tolto al nocivo suo squallor vetusto,
Ma così all'opre del Cultor risponde,
Che di già in parte appar di frutti onusto:
Cresci felice, o Nobile Arbuscello;
Così t'arrida il Ciel col suo favore,
E benigno t'infonda onor novello:
Così alla gleba tua non manchi umore,
E ognor ti scherzi intorno agile, e snello
Zefir col sussurrar di placid'ore.

I D Y L L I U M.

DUM procul a Patria Fratri conjunctus adhæres,
Testori, radios quasi Sol tumulatus in undis
Spargere detrectas; curaque adlectus inani
Ingenii præclara tui monumenta recludis;

Non alium lucere minus finit æmula virtus;
Usque adeo fraternus amor, generosaque cedit
Nobilis ambitio; sed nunc, ubi tecta tuorum
Visa loqui, & gentis proferre exempla vetustæ,
Vis crescit studiosa animi; curamque paternam
Utilitate probas; Phœbeæ lampadis instar
Illuces, vincisque tuo socia astra nitore.

Nec doleas Patrem absentem; dum pinguia rura
Miraris, veteres gaudens habitare penates,
Egregiamque Urbem, vel amœna Suburbia visu
Perlustras; ille inter aquas, qua surgit in altum
Adriaci Domina Oceani, te pectore servat,
Ille tibi vigilat, tecum exultare videtur.
Gaude igitur charo vicinior esse Parenti,
Dum tua cura suis respondet sedula votis,
O gentis spes magna tuæ, juvenilibus annis
Incipe maturos nobis producere fructus;
Hinc semper pietas, illinc sapientia semper
Ad latus assideant; & te comitentur euntem,
Illæ animum, mentemque regant; quæ pectore versas
Consilia, & taciti noscant penetralia cordis.
Dum moneo, mea verba præis; communia plausus
Gaudia solicitant, & qui pervenit ad aures
Non dubius rumor; quæ mobilis induit alas
Motu agiles, lævaque tubam, dextraque furentes
Exagitat ventos, non semper nuntia falsi
Fama loquax, impressa typis tua nomina nuper
(Nomina describi pretiosis digna lapillis)
Detulit, & niveam jactabat in aere chartam.

Hic ille est (sic fausta canit) quem flore juventæ
Nunc legimus docto socios præcedere cursu;
Hic ille est, quem læta sinu dudum Adria fovit,
Nunc Patriam antiquam decorat; describitur amplo
Optimus ingenio; nulli pietate secundus.

Sic

Sic ait, atque iterum chartæ deſcripta fideli
Nomina, & expreſſos oſtendit laudis honores.
Nec ſatis hæc: quæ ſigna etiam manifeſta notavi,
Oſcula Patris erant, nam chartæ infixa manebant;
Quæque etiam exultante animo, & correptus amore
Lætitiæ argumenta dedit, madefacta patenti
Indicio me charta docet; nam gaudia produnt,
Et teneros lacrymæ teſtantur pectore ſenſus.
Jure quidem; Fama obtentos non unica plauſus
Huc retulit; Pietas etiam & Sapientia Natum
Floribus ornatum viſæ inter ſomnia monſtrant;
Addiderat laurus tranſverſa fronde coronam;
Atque ajunt: hic noſter erit, curabimus ambo
Ut tanto excreſcat ſoboles dilecta Parenti.
Dumque alium exemplo, monitis hunc perge ſecundis
Allicere; ut per laudis iter ventura ſuorum
Gloria percurrat ſublime ad culmen honoris.
Jam pede felici cœpit; quemque Adria quondam
Miretur, foveaſque ſinu, tua Patria reddet,
At tu deliciæ, Juvenis, tu blanda voluptas
Dilecti Patrui, & quorum tibi ſanguine juncti
Obſervant propius, laudantque in prole Parentem,
Pergas fauſta precor traſmittere nuntia famæ.
Qui te doctrina, qui te pietate Magiſtri
Jeſuadæ efformant, fructu ſolentur opimo;
Et digito Petrum monſtrent cum laude ſodales.

PATER FILIO SALUTEM.

Per autumnales ferias literaria ſtudia non omnino abjicienda.

EPISTOLA.

Quam legis, a Venetis tibi litera mittitur oris,
Litera conſilii fida miniſtra mei.

Auguror optatam (quam das mihi, Nate) ſalutem;
  Noſtra ſub arbitrio vita ſaluſque tuo.
Optima quæ Patruus de te modo nuntia miſit,
  Spem faciunt, felix ut novus annus eat.
Autumno jam Petre vacas veniente, nec ultra
  Palladiæ ingrederis limina clauſa domus.
Otia ruris ama, ſuperiſque faventibus, alma,
  Qualem optas, duplici ſit tibi menſe quies.
Hæc cape continui ſolatia juſſa laboris,
  Ferre novi ut poſſis grande laboris onus.
Exhauſtas repara vires, curiſque ſolutus
  Tranſige tranquillos, qua licet arte, dies.
Non tamen in ludos, geminus tibi menſis inanes
  Omnis in aſſiduos non eat hora jocos.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
  Quos ulli nunquam præteriiſſe licet.
Retia tende avibus, jam viſco falle tenaci;
  Atque tuos ſubeat plurima præda dolos.
Semper at in ſilvis cur pervigil omnibus erras,
  Cur ſine venatu non erit ulla dies?
Alternis ne crede nefas ceſſare diebus,
  Palladis & ſtudio nobiliore frui.
Scis bene quam tenues longo reſecare labori
  Particulas cogor, dum mea rura peto.
Me revocant propriis tractanda negotia tectis,
  Te revocet ſtudii ſedula cura tui.
Ut recolas longum quæ ſæpe audita per annum,
  Atque animo figas altius illa tuo.
Aucupis abjectis requieſcere proderit armis,
  Inque tua tacite delituiſſe domo.
Ni facias, gemini poſt irrita gaudia menſis
  Omnia mente tibi jam vacua exciderint.
Longe aliis impar tecum indignabere Rhetor,
  Atque elementa iterum prima docendus eris.

Tem-

Tempore qui longo ſteterit, male currit, & inter
Carceribus miſſos, ultimus ibit equus.
Vertitur in tenuem cariem, rimiſque fatiſcit,
Si qua diu ſolitis Cymba vacabit aquis.
Plinius in ſylvis tranquilla ſilentia laudat,
Et ſtudet, & ſcribit, dum capit ille feras (*a*).
Ergo age; Venanti ſit Pallas amica Dianæ,
Miſtaque Palladiis retia tende libris.
Tœdia longa moræ lecto ſolabere libro,
In tua dum volucres retia tenſa cadunt.
Aucupis in partem veniat, laterique propinquus
Hæreat ante alios cum Cicerone Maro.
Sæpe etiam medio cum Sol ferventior axe
Æſtuat, aut longa feſſus es ipſe via,
Hæc tibi ſub quercu, aut viridi ſub vite jacenti,
Hæc animum relevent otia docta tuum.
Delicias Muſarum inter tibi fontis ad umbram
Jucundum placeat fallere ſæpe diem.
Palladis alternis, Venatriciſque Dianæ
Autumnus ſtudiis ſic tibi lætus eat.
Qui monet, ut facias, quod jam facis, ipſe monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.
Tu mentis jam certa tuæ mihi ſigna dediſti,
Gratulor, & votis perge favere meis.
Quas meritas laudes lapſo lucraris ab anno
Dulce tibi ſtimulum, nobile calcar habes,
Et bene jam noſcis, quid ſit laudabile nomen,
Quæ ſtudiis veniat gloria parta tuis.
Sæpe quidem dices: puerilia ſtultus amavi,
Jactura at parvi temporis illa fuit.
Vernat adhuc ætas primævo in flore juventæ,
Et facilis flecti planta tenella viret.
Quod ſi præteritos tranſegi inglorius annos,
Supplendum celeri nunc pede reſtat iter.

Quo pede cœpisti, Fili dulcissime, pergas;
Blanda voluptatis maxima causa meæ.
Spes mea, vive diu, & studiis solare Parentem,
Spem quoque non minuant gesta futura, vale.

(a) *Plinius lib.1. epist.6. Corn. Tacito.*

O D E.

TRanslata nuper quæ veteri solo
Dilecta proles, nobilis indole
Exempla majorum æmulatur,
Ingenii spatiata campo,
Nunc eloquentis gurgite fluminis,
Nunc ille Vatum splendor amabilis
Jam victor ætatis vagatur
Pieriæ novus hospes oræ.
Mens prompta, & æstu vivida fervido,
Domus Paternæ libera vinculis
Se devovet totam Minervæ,
Et studiis generosa doctos
Æquat Sodales; vidimus optimos
Inter probari: Nomina vidimus
Inscripta, signatasque laudes
Perspicuæ decora ampla mentis,
Certa & laborum præmia; fulgeant
Ornata serto tempora laureo,
Dum posteris crescit daturus
Magnum animæ indicium eminentis.

Sæpe mihi Cl. Vir Julius Righi politiori litteratura spectabilis & ingenio ad Poesim nato persuadere conatus est, ut spectaculum Cæsenæ exhiberi solitum Tempore Bacchanalium vulgo: Chiostra *Epico poemate celebrassem. Convenimus diversis metris tam Latinis quam Hetruscis opus delineare. Exordium mihi commissum. Jam* Octavis, *ut ajunt, ille descripserat, Cæsarem equitum certamini sortem suam commisisse. Mors immatura dulcissimi amici inceptum poema interrupit, tamen in ejus memoriam initium poematis subjungo, gavisus quod tunc opus inscribendo Ill. ac Rev. Præsuli Braschi, ejus supremam dignitatem præscius augurarer.*

Audaces animos, longis minitantia telis
Tela, occursantes diviso Marte phalanges
Lorica, clypeoque graves, galeaque micanti,
Et Procerum auxilia, & latas a Judice leges,
Quæ binos in bella regant, innoxia bella,
Expediam: sequor octavæ tentamina pugnæ,
Et mirabor equos, seu qui comitantur ovanti
Lætitia pompam, seu qui sub pondere sudant.
Tu Patriæ Decus eximium, spectabile sidus,
Ob commune bonum dominam translatus in Urbem,
Affer opem; ignotos dum tento ascendere calles,
Atque habiles infunde animos; memorare tuorum,
Publica cui fuerant semper solatia cordi;
Egregii memorare viri, qui clarus eodem
Sanguine, decreto prius interdicta supremo
Restituit Patriæ stabili spectacula lege.
Ipse Tibi fateor Pater Urbis, & arbiter Orbis
Imperii commisit opes, & publica rerum
Commoda, sed vastam, quæ summa negotia mentem,

Semper habent, nunquam impediunt; sic nostra licebit
Carmina si lubeat, vultu lustrare benigno;
Aut saltem permitte tuum conscribere nomen,
Hoc titulo excipient cunctis placitura decorem.
Tempus erit, cum cæruleo spoliatus amictu
Purpureos inter Patres venerabilis ostro
Incedas, populusque hilari, Civesque triumpho
Publica festivis testentur gaudia signis.
Sed non concesso spes nostra quiescet Honore,
Vota nec optatam tangent communia metam.
Quo feror! Heu prohibet tua rara modestia laudes
Enumerare tuas, revocant certamina cantus,
Jam furor insolitus, jam me novus excitat ardor,
Nec gracili carmen modulari Pastor avena
Dignabor, conchas opus est adhibere marinas,
Quas modo transmisit vicino a littore Proteus,
Et raucas animare tubas; tanto auspice Phœbus
Stat lateri, Mavors animos accendit, & ausus,
Tu sequere auxilio, & felicibus annue cæptis.
Cęsar, ut immensos superato ex hoste triumphos
Undique collegit, reduces oriente cohortes
Imperio parere suo cognovit, arena
Queis modo Pharsalica Patrios confregerat hostes:
Tum rerum eventus varios secum ipse volutat,
Et sortem observans vultu arridere benigno,
Concepit majora animo, consortia regni
Respuit, & magnos jam sese accingit ad ausus.
Interea accedit victor Rubiconis ad undas.
Qua fixere Patres Italæ confinia gentis,
Nec datur ulterius dubiis incedere votis.
At quanquam stabilem firmet sententia mentem,
Incæpit tardo ire gradu, atque immobilis hęret
Interdum, pendetque anceps in utrumque paratus
Seu revocare gradus, seu castra inimica Quirintum
Du-

Ducere, & incerto fatum tentare periclo.
Tum visa in somnis Patriæ lacrymantis imago,
Mæsta genas, demissa oculos, suffusa rubore
Supplicis os, habitumque gerens, ac talia fatur:
  Illa ego, quæ quondam Reges experta tyrannos
Concilio procerum comissi sedula curas
Imperii, & lecto vigui celebranda Senatu,
Tam bello quam pace potens, & tempore in omni
Heroum fæcunda Parens, mundoque subacto
Jura dedi, graviumque exemplar amabile morum.
Cur modo solicita nostrum offuscare decorem
Mente agitas? cur sæva paras in funera Matris
Quos generosa dedit claros Tibi Mater honores? (tes,
Quidquid habes, nostrum est, Equites, aurum arma coher-
Imperio tu primus eris, cur unicus esse
Appetis? inque odium populi convertis amorem?
Forsitan in nostram conjurant Numina sortem,
Atque suæ instrumentum iræ te, perfide fili,
Forsitan exquirunt, tamen execrabile nulla
Diluitur ratione scelus; delebitur alma
Heroum series, & quem vindicta flagellet
Primus eris, meritamque lues cum sanguine pœnam:
Heu pæna in sceptri Hæredes transmissa futuros.
  Vix ea dicentem, sed dicere plura parantem
Circumfusa nigro texit velamine nubes,
Horrendum tonat, atque ex omni cardine venti
Bacchantur, pelluntque graves a Cæsare somnos.
Sed nulla aspiciens exortæ signa procellæ,
Acclinat caput, & placidam per membra quietem
Restituit Morpheus medicati aspergine rami
Ecce iterum objicitur gressu matrona citato,
Irrequieta oculos, vivaci pallida vultu
Ambitio (sic nomen erat) gemmisque nitescunt
Colla, caput, pectus; dum tegmine ductilis auri

Scin-

Scintillat magno vestis circumflua gyro:
Atque ait: Oh decus Æneæ, generosa propago
Idaliæ Divæ, Jovis alta ab origine Cæsar,
Summe animos, læta arridet fortuna, quid hæres?
Sit solum semel esse satis; quid vilia prosunt
Ornamenta ducis, quæ dat varianda voluntas?
Aut nihil, aut Cæsar; magnos timor impedit ausus.
Ne cito pæniteat, jactanda est alea, perge. &c.

In laudem Eloquentissimi Oratoris A.R.P Josephi Quadupane Mediolanensis, ex Clarissimo Barnabitarum ordine sacras conciones habentis in Templo S. Zachariæ Venetiis anno 1780. Elegia.

Aurea dexteritas, tenor aureus, aurea lima,
Omnia conveniunt laudibus apta tuis.
Ipse places cunctis, tamen hi, quibus ante placebas,
Protinus incipiunt displicuisse sibi:
Est aliquid mulcere animos, venientibus ultro
Quo facile inducis, pergere, sternis iter.
Gratia sermonis, vultus facunda venustas
Vi mira intentis se insinuant animis.
Ecce omnes avide accurrunt, tum vulnera sensim
Fixa salutifero cuspide corde notant.
Criminis incipiunt nocuum cognoscere virus,
Tartareo illudi quisquis ab hoste dolet.
Tum virtutis iter, quam sit penetrabile, noscunt;
Vanus inaccessum pinxerat ante timor.
Roma caput mundi jam te mirata loquentem
Transmisit nomen per loca cuncta tuum.
Sic ubi per reliquas Italum devolueris urbes,
Describit dotes prævia fama tuas.
Sed tua (quod mirum est) superat præsentia famam,
Atque rogant omnes, ut redeas iterum.

In Laudem Eloquentiſſimi Oratoris A. R. P. Octavii Juliani Caſtiglioni Lucenſis ex Clericis Minoribus Sacras conciones Quadrageſimali Tempore iterum habentis in Cathedrali Piſaurenſi Anno 1781.

E L E G I A.

JAm totum in terras viſum deſcendere Cælum,
  Et vitia indecori terga dedere fugæ;
Bellua tartareis egreſſa paludibus ardens
  Vipereis quaſſat tergora fœda comis.
Irrequieta fremit vitiorum immenſa propago,
  Cogitur & ſolitis exul abire locis.
Interea Sacro regnat Reverentia Templo,
  Atque viget purus Religionis amor.
Jam populo incedit concordia miſta frequenti,
  Cumque foro plenas occupat illa vias.
Juſtitia, integritas, candor dum mutua figunt
  Oſcula, purpureo jungitur ore pudor.
Proxima gens pelago, quam recreat amne Piſaurum,
  Conceſſum tanta bis tibi ſorte frui.
Aſpicis ut rapiat bibulas OCTAVIUS aures,
  Dulciter ut cogat, quam docet, ire viam:
Noſce penetrantis quantum facundia vocis
  Poſſit, ut attonitus pendet ab ore animus!
Ecce Petrus Solymam, Paulus demulcet Athenas,
  Lucraturque Deo millia plura virum.
Et Petrus, & Paulus charo ſibi plaudit alumno,
  Quem regio in noſtras miſit Hetruſca plagas.
Inclite Vir, dignos magni Ciceronis honores
  Attribuit meritis Roma diſerta tuis.
Roma Caput Mundi, Fidei ſanctiſſima Sedes,

Aſ-

Assueta eximios noscere Roma Viros.
Atque ubi jam dudum fixit facundia sedem,
Magnus honor Venetis sit placuisse viris.
Magnus honor Patavis, in queis renovantur Athenę,
Qui memores clarum nomen in astra ferunt.
Nec minus eximia te docta Bononia laude
Extulit Æmilii gloria rara Soli.
Vos etiam, Ligures, sacro inflammavit amore,
Cum dulce hausistis Principe in Urbe melos.
Præcipuas urbes, queis sermo floret Hetruscus,
Est tibi laus mores edocuisse pios.
Cætera quid referam populo congesta fluenti
Templa, quibus certæ causa salutis eras.
Vive diu, nos sæpe redux invisere cura,
Nos recreare quidem, non satiare potes.
Libertatis honor viridi circumdata mnro
Salve Nobilibus Luca referta viris;
Te bene de claro læti meruisse Pisauro
Noscimus, & Rector nobile pignus erit,
Qui simul imperii sacras moderatur habenas
Lux populo, procerum gloria, plebis amor,
Norma Sacerdotum, patria prognatus eadem
Fœcundam magnis te notat esse viris.

CLARISSIMO VIRO D. ABBATI BONAFEDE

Plurimorum Operum Scrptori inter quæ: Ritrati degl' Uomini Illustri degl' ultimi Secoli: Cum Cæsenæ 12. Aprilis 1766. eruditam disertationem Recitaret de Pictura, Sculptura, & Architetura.

MÆsta verecundo figens vestigia gressu
Fama incedebat: tum nomina clara per orbem
Nititur exornare, atque addere nescia laudes

It,

It, redit ancipiti ſimilis, modo ſiſtit, & hæret;
Quid celebrare juvat veterum decora ampla virorum,
Si facile amittam, quos noſtra recentior ætas
Edidit, & nudam circumfero nominis umbram!
Ibo, inquit, doctoſque viros, rerumque peritos
Conſulere eſt animus; tum te, vir Maxime, quæ rit.
Ante alios, quem pura fides, quem candida virtus,
Et lepor, ingenuique joci, Chariteſque decoræ
Stant lateri, Phæbusque intentam accomodat aurem,
Dum ſtudia arguto commutas ſeria ludo.
Hic videt Hiſtoriæ artifices, qui dente maligno
Falſis vera terunt, & facta illuſtria rodunt,
Vindice te vinctos; Veterum argumenta ſophorum.
  Hic legit, & vitæ poſtponere cuncta docetur;
Quin etiam quidquid lapſis ſapientia ſæclis
Detexit, legeſque ſimul, vireſque parentis
Naturæ, gentiſque refers inventa vetuſtæ;
Magnum opus aggrederis, ſpes bona nuntia ſpargit
Vulgato incipiant jam dena volumina primo.
  Vix notum ſibi fama virum, vix nota reviſit
Limina, mille inter decorant qui ſcrinia libros,
Forte videt doctorum hominum, queis pictor Apollo
Exprimit effigies, duplicique volumine condit,
Abripit impatiens, veloceſque explicat alas,
Tum dextram extendit, librumque oſtentat apertum
Dum fugit, inflatoque tubam læva applicat ori.
Tum laudes, meritum, & plauſus comitantur euntem.
Ecce, inquit, (quacunque volat, latiſſima clamat)
Nomina nota orbi calamo deſcripta fideli,
Ecce viri, queis ſervat adhuc Sapientia vitam.
Illuſtres Heroum animæ, qui docta Minervæ
Caſtra colunt; ſeu ſumma petant, perque ardua cæli
Tranſvolitent. ſummoque impendant Numine curas;
Seu calamo ſuperum ſorores, & vindice dextra

Exa-

Exagitent; morum aut placeat perſcribere normam;
Aut ſtabilem inſtillare animis pietatis amorem;
Diſcutiunt alii Romana Oracula certis
Legibus, aut jura Imperii, queis jurgia ſolvunt
Litigioſa fori, & lancem æquo pondere librant.
His placet inverſo per ſæcla elapſa recurſu
Hiſtoriæ monumenta ſequi, & caligine merſos
Illuſtrare annos, dubiumque evolvere tempus.
Naturæ occultas cupit ille agnoſcere vires,
Et rerum cauſas, errantia ſidera cælo,
Solis equos medio immotos, lunæque labores,
Immenſoſque orbes pellique, trahique viciſſim,
Utque calor ſpargat radio ſeptemplice lucem,
Tum latebras terrę ſcrutari, abſcondita clauſis
Viſcera divitiis, longo maria aſpera tractu,
Indomitas ventorum animas, & miſta procellis
Tela triſulca Jovis, ſparſaſque per aera nubes,
Et tacitum rorem, glaciemque, niveſque caducas,
Quæque animet virtus, & monſtra immania, & ipſa
Quæ fugiunt oculorum aciem; nemora invia, & hortos
Ire juvat, jam veris opes, & munera Floræ
Attento indagare animo, caulemque, tubumque,
Et tenues fibras numerare, utque abdita radix
Vitales ſuccos prius ebibat, inde miniſtret!
Sunt alii, grato quos Caſtalis unda ſuſurro
Allicit, & claras imitantur voce ſorores.
Talia dicenti, ſed dicere plura paranti
Ante oculos ſeſe objicitur pulcherrima viſu
Regia, mole ingens, ſublimibus alta columnis;
Hic, poſtquam librum toto vulgaverat orbe,
Collocat, æternos manſurum pignus in annos!
Hoc templum vocat illa ſuum, quo ſæpe videbis
Permixtos Heroas, & ipſe videberis illis,
Quiſque tibi attribuent laudum merita alta ſuarum,

Qui-

Quique tibi reddent tanto pro munere grates.
Pace tua: nec Zeuxis opus, nec dexter Apelles
Me rapiunt, quamquam vivos pictura colores
Exprimat, & vultus imitatrix optima veri;
Imo ipsos animi videar penetrare recessus;
Nec renuam, vox sola deest, ubi marmore surgunt
Spirantes vitam statuæ; tibi gloria major
Assurgit, cum mentis opes in imagine vulgas.
Si celebrare placet, qua fabrica lege cohæret,
Tu monumentum ingens, solidoque perennius ære
Extruis Heroum, sedes ubi fama parabit.
Sic alios laudans, plus es laudabilis ipse.

Ad Cl. Vatem Franciscum de Pinna e Mello novum Lusitaniæ Camœnium, cum Poema de Fidei Triumpho *per manus auctoris summo Pontifici Benedicto XIV. dedicasset.*

EPIGRAMMA.

DUM te Musa docet Fidei celebrare triumphos;
Jure inter vates concelebrandus eris.
Quis tam magna ausit, nisi gloria Pinna, decusque
Lysiadum, externis vatibus invidia!
Quantum mens humana valet, sat tangere metum;
Custodi fidei sit placuisse satis.

Occasione terremotus, qui Ulyssiponem vastavit primo Novemb. anno 1755. Poema typis edidit Lusitano versu idem Vates; cujus Poematis initium hic placet heroicis carminibus vertere, ex quo spirituales fructus ab omnibus decerpi possunt.

OH! tellus misera quis te vertigine quassam
Nunc stabilem appellare ausit quæ firma ministras
Fundamenta orbi, nam te consistere semper
Ingenita gravitate decet? verso ordine rerum
Nos modo (quis credat?) Divina oracula fallun

Non rapidi fluctus, non horrida bella cientes
Te quassant ventorum animæ, non excutit ignis.
Longa hominum series vacuas transibit in auras
At tu, Numen ait, constans, & firma manebis.
Dodecet assertum contra objectare professanum,
Et quæ vulgavit studiosa Copernicus olim
Somnia, pespetuum tellurem semper in orbem
Circumagi, & stabilem cælo consistere Solem.
Cur modo naturæ leges, quas maximus Auctor
Injunxit, turbare audes? cur impia nescis
Stare loco, atque anceps motu trepidante vacillas?
Hæc tua congeries rerum densissima, & alti
Rupibus intextus permuta vincula montes,
Planus ager, læti colles, vallesque profundæ,
Horrisono titubant fremitu, & terrore sepultos
Dilacerant animos, strages, & damna minantur.
At trepida infelix tellus, hominesque monebis
Quid jactare valent misera dum velle morantur
Naturæ stabilis si non consistere tellus
Una potest, nostris quæ spes conatibus extat?
Visa quidem gemere, at gemitu facundior ipso
Nos sine voce docet; nam muta elementa loquuntur
Sæpe jubente Deo, atque hominum scelera impia dam-
Dum simul ostendunt offensi Numinis iras (nant,
Sæpe quidem iratus loquitur Deus: haurio vocem
Terribilem dum sæva urbes incendia vastant,
Dum maria erumpunt, præscriptaque littora temnunt,
Et terras late invadunt; dum cruda procellas
Aura movet, rabidos aut adventare tiranos
Adpicis, aut strages diffundit ab æthere pestis.
Bacchatur malesuada fames, bella horrida serpunt
Fumantemque rotat non exorabilis ulli
Impia mors falcem: sunt omnia signa loquentis
Numinis, ut longo mortales crimine mersos

Ex-

Excutiant; non frænat amor, damnum utile frænet.
Numinis hæc voces urgent, majore paratu
Quæ resonant: motæ objicitur telluris imago
Ante oculos, tellus morbo convulsa videtur,
Visceraque horribili dissecta eructat hiatu.
Mænia præcipitant, rupes franguntur, & alto
Vertice saxa ruunt, æquis nova culmina campis
Assurgunt, rupti pepulere cacumina montes.
Semisepulta jacent spatiosa palatia, & ædes
Procubuere solo; vestigia nulla relinquunt
Elatæ turres; solium sublime, casæque
Omnia communis damnum subiere ruinæ.
Nil magis horrendum est, nil fœdius omnia vertit,
Ingentes Libani cedros radicibus imis
Evellit, miscetque thymo, cannaque palustri
Robora confundit, quæ cælo annosa minantur.
Dumque improvisam stragem mortalibus infert,
Sævus in obscurum miseros prius ipse sepulchrum
Præcipitat, mortemque negat cognoscere terror.
Ergo omnes somno expulso vigilemus oportet,
Numinis horribiles opus est attendere voces.
Tu qui sceptra tenes, tu cui tegit infula crines,
Seu regis imperio terras, seu sede suprema
Ducis oves, pastorque sacras moderaris habenas,
Seu bello ductor, seu Prætor jura resolvis,
Tu de plebe humili, aut procerum generosa propago,
Tu qui claustra colis cura semotus ab omni,
Seu templo addictus, seu longa veste sacerdos,
Dives, inops, puer, atque senex, tu flava juventus,
Et matrona gravis, nuptæ, innuptæque puellæ,
Quisquis ades, tecum loquitur Deus! ille severi,
Judicis assumens partes, tibi monstrat in umbra
Quæ graviora luent sæclis sine fine futuris
Supplicia, admoniti qui jam sprevere paternos,

Sive instar medici, quæ sunt magis apta saluti
Quærit amans; quos blanda nequit medicina juvare,
Fœda cicatrices opus est ut vulnera linquant.
Qui placide caput inclinat, quocunque susurro
Sponte sua assurgit, qui somno immergitur alto,
Ut vigilet, magnum debes adhibere fragorem.
Discite mortales Dominum timuisse loquentem.
Si gratum stimulare animum tot munera, largæ
Tot benefacta manus nequeunt, jamjam incipit ensem
Vibrare; heu miseri! justas nisi mitigat iras.

Ad Cl. Virum L.C. Quod Vatem summis laudibus dignatur decorare, de duobus tamen defectibus admonet.

SPlendida cum Divum convivia narrat Homerus,
  Colloquia, & rixas, verba eadem repetit.
Sic cum sæpe mihi paria argumenta recurrant,
  Non renuo vatum Principis esse comes.
Quæ placuere semel, cur non repetita placebunt?
  Adde, quod est nobis non satis ampla penus.
Peligni vatis, seu me miscere Maronis
  Carmina condemnas; sed mea sæpe reor.
Non tamen erroris me pœnitet; ipsa metallo
  Circumfuso addit gemma propinqua decus.
Nec minus & modici, quem non habuere saporem,
  Adjungunt epulis frustula sparsa salis;
Sparsaque nocturno radiantia sidera cœlo,
  Plausibiles oculis efficiunt tenebras.
Nec furti vitium incuses; quas publicus offert
  Thesaurus, furto non rapiuntur opes.
Quidquid id est, potius gaude, namque addita raro
  Carmina carminibus sunt meliora meis.
Crimina diluimus, sed non meruisse fatemur
  Quas facilis laudes addere cogit amor.

TRA-

TRADUZIONI.

ALLA GRANDE IMPERATRICE DI MOSCOVIA.

SONETTO.

Dell'Illustr. Sig. D. Gio: Domenico Coleti.

PRendi, Itelco, il pennello, e nuovo Apelle
 Vinci del primo in queste tele il vanto;
 Tingi fra ceppi il Trace, e pingi accanto
 Tratto in catena il Sarmata rubelle.
Quì le lacere insegne, e presso a quelle,
 Dell' Odrisio Pianeta il Corno infranto;
 L' Istro v' aggiugni, che coll'onda il pianto
 Mesce, e l'alga dal crine orrido svelle.
Poi della Russa Donna in campo d'oro
 Bella per sua virtù l' augusta imago,
 Qual dell' Argiva Dea, fà che si scuopra.
Ma non ardir di più: tronca il lavoro:
 Mi dice il cuor dell'avvenir presago,
 Ch' ella darà nuova materia all' opra.

TRADUZIONE.

EN tabula: admoveas dextram: te major, Itelce;
Magnum opus aggredere, & clarum superabis Apellem;
Pinge reluctantem dura inter vincula Thracem,
Sarmata victrici supplex det colla catenæ.
Hic lacera innumeros monstrent vexilla triumphos;
Illinc pallentis frangantur cornua lunæ;
Tum tremulas undas cum sanguine misceat Ister,
Horridus evellens humentem e crinibus algam.
Aurato in campo Regina augusta triumphet
Pulchra nimis, cui virtutum decora ampla nitorem
Adjiciunt, Diva Argolica prudentior una.
Siste tamen, pictor, cœptum interrumpe laborem,
Namque brevi noscit jam mens præsaga futuri,
Materies addenda operi quod magna paratur.

A sua Eccellenza la Signora Contessa Ginevra Gozzadini Vedova Malvasia, che ha compiute con singolare applauso le Appostoliche sue fatiche nella Quaresima dell'Anno 1776. In attestato di somma stima, e congratulazione. Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui. 1. Cor. 14. 34.

SE a quella etade fra Corinti ell' era,
Quando la legge lor Paolo prescrisse,
Troppo al sesso loquace ardua, e severa,
Che niuna favellare in Chiesa ardisse;
All' udir di costei la voce altera,
Che il vizio infame, e il rio Demon sconfisse,
Lei non avria tra la feminea schiera
Compresa allor, che il gran decreto scrisse.
Età matura, vedovil contegno,
Grave consiglio, e bei costumi santi,
Saggio, e forte parlar di Tullio degno,
Tanti trar ponno degli eterni pianti,
Quanti altre Donne mai di folle ingegno
Spingon laggiù miseri incauti amanti.

TRADUZIONE.

OH utinam te prisca foret sortita Corinthus,
Cum Paulus sexum statuit frænare loquacem,
Et sanctis vetuit jussis, ac lege severa,
Effari sacro auderet ne fœmina templo.
Si te, dum vitia exagitas, cogisque scelestos
Ore gravi revocare gradus, dum tartara terres,
Audiret, non fœmineæ comprensa coborti
Una esses, quamquam tacuisse coegerat omnes.
Quæ viduas deceat virtus, maturior ætas,
Consilii gravitas, exemplar amabile morum,
Dictio sublimis, qualem sibi Tulius optet,
Tot poterunt miseros æterno evellere planctu,
Quot nimium insidiosa loqui quamplurima stultos
Fœmina in infernos laqueos detrudit amantes.

In nobili Sacello domestico Conciones Segneri tanta elegantia recitavit, ut suæ esse viderentur, confluentibus magnatibus, & litteratis viris.

Sulla

SULLA CIRCONCISIONE.

SONETTO.

Di S.E. Sig. Cav. Gio: Ottavio Gabbuccini.

VAnta pur, ſinagoga, il patto eſpreſſo
Per cui tua fe ſopra ogni fede onori,
Ch' uopo non han d' inſanguinar i cori
Chi ſeguaci ſi ſan del patto iſteſſo.
La tua durizia, e il miſerando eceſſo
De primi padri tuoi, fu che ai rigori
Te deſtinò del ferro, e i primi errori
Coll' onda a noi fu d' eſpiar conceſſo.
Venne a compir, non a diſcior la legge,
Chi tal rito t' impoſe; e ſol diſtinto
Vuole con ciò che tu foſti il ſuo gregge.
Ma ſai chi è circonciſo? è chi convinto
Del patto antico, i vizj ſuoi corregge,
E all' onda ſalutar daſſi per vinto.

TRADUDIONE.

GEns electa Deo, jacta venerabile fœdus;
Quo populos omnes Fidei cæleſtis amore
Exſuperas; non ulterius cruciabitur atro
Sanguine, qui felix ſe fœdere ſtringet eodem.
Nam tua durities, atque execrabile crimen
Primævum Patrum, ferri penetrantis in artus
Exegit ſtimulum; nobis conceditur alto
Munere contractas unda propellere ſordes.
Omnipotens implere venit, non ſolvere legem,
Dumque illud præſcripſit onus, populumque gregemque
Hoc ſibi dilectum voluit diſtinguere ſigno.
At modo (ſi neſcis) jam circumciſus habetur,
Qui vetus agnoſcens fœdus, ſua crimina damnat;
Et ſapiens undæ fruitnr virtute ſalubris.

Ad imitationem Sidronii Hosschii lib. IV. in fine, ubi unico versu, hic integro distico ad singula quaesita reponitur, quae unico versu includi possunt: Quis, quid, ubi, per quos, pro queis, cur, quomodo quando?

QUis patitur? Deus ipse, Deus, qui condidit orbem,
Qui mare, qui terras fecit, & astra poli.
Quid patitur? Mille indignas post vincula pœnas,
Sputa, alapas, clavos, vulnera, flagra, crucem.
Pro quibus? ingrata pro turba; & gente nefanda,
Et sumus heu! tanti muneris immemores?
Cur? Scelera ut nobis parcat, reddatque beatos;
Carnifices quanquam nos dolet esse suos.
Quis locus? Infamis, quo duro in stipite pendens
Flagitii pœnas gens scelerata luit.
Quando? Supra hominem cum facta ingentia Numen
Esse probant; nobis cum magis ille favet.
A quibus? A populis in eodem sanguine junctis,
Quos sæpe auxiliis afficit ille suis.
Quomodo? sponte sua; & stimulat sitis ampla dolorum
Pectora; summus amor nescit habere modum.

Traduzione dell' Ill. Sig. D. Francesco Bernardo.

SONETTO.

CHI pena? *un Dio: un Dio, che con la voce*
Fè il Mar, la Terra, il Cielo, e lì sostiene;
Che soffre? *I ceppi, e mille ingiuste pene,*
Schiaffi, chiodi, flagei, ferite, e Croce.
Per cui? *Per gente ingrata, empia, e feroce:*
Nè noi curiamo ahimè d' un sì gran Bene?
Perchè? *A tutti salvar così conviene:*
Sol che noi l' uccidiam gli pesa, e il cuoce.
Ed in qual luogo? *ove an supplicio i Rei:*
Da chi; *Da' cari suoi, d' un stesso sangue:*
Quando? *Quando un Dio parve all' opre, al cuore.*
Ma come? *Perchè il volle: oh affetti miei!*
Anzi di più patir ha sete, e langue:
Ah: che legge non sente un sommo Amore.

Sulla

Sulla morte di GESU' Cristo.

SONETTO.

Dell'Illustrissimo Signor Canonico D. Onofrio Minzoni.

QUando Gesù coll'ultimo lamento
Schiuse le tombe, e la montagna scosse,
Adamo rabbuffato, e sonnolento
Levò la testa, e sovra i piè rizzosse.
Le torbide pupille intorno mosse,
Piene di maraviglia, e di spavento,
E palpitando addimandò chi fosse
Lui che pendeva insanguinato, e spento.
Come lo seppe, alla rugosa fronte
Al crin canuto, ed alle guance smorte
Colla pentita man fè danni, ed onte.
Volse lacrimando alla consorte,
E gridò sì, che rimbombonne il monte:
Io per te diedi al mio Signor la morte.

TRADUZIONE.

VIX tremuit tellus, & aperta sepulchra notarunt
Procubuisse Deum, atque extremum in sidera questum
Jactasse; en Primævus homo tremula ora retorquens
Pressus adhuc somno caput effert torvus, & adstat:
Turbatas volvit stupefactus utrinque pupillas,
Horret in obtutu, observans ludibria mortis,
Palpitat interius: quærit, quis sanguine fuso
Afflavit pretiosam animam de stipite pendens.
Edoctus, dextra rugosæ verbera fronti
Imprimit, effetæque genæ, scissique capilli
Testantur magnos animo exundare delores:
Tum lacrimans dictis uxorem affatur acerbis,
Exclamans: (montis longæ insonuere cavernæ)
Ipse meum occidi Dominum, tu causa fuisti.

Sull' Immacolata Concezione.

SONETTO.

Dello stesso.

GIù per le vie del tuono e del baleno
Scendeva di Maria l'Alma innocente,
Quando un mischio di fumo e di veleno
Schizzolle incontra l'infernal serpente.
Essa le luci imperiose e lente
Agli Angeli piegò, che la seguieno:
Ed ecco che brandisce arma rovente
Michel di procellosa ira ripieno.
Al primo lampo del fulmineo brando
Volgesi in fuga il rio, che tale il mira,
Qual dalle spere un dì cacciollo in bando.
Ma quei l'insiegue, colla spada bassa,
L'afferra, appiè della gran Donna il tira;
Ella sel guata, lo calpesta, e passa.

TRADUZIONE.

QUA sede ætherea tonitrus, & fulgura serpunt,
Immaculata anima e superis veniebat in artus,
Diva, tuos; fumo horribilem, diroque veneno
Infernus contra serpens frustra evomit auram.
Illa oculos placido vultu imperiosa retorquet
Angelicos monitura choros, qui pone sequuntur,
Tum Michael generoso æstu succensus, & ira
Arma procelloso victor rotat ignea nisu.
Ast ubi fulmineum vibrari prospicit ensem,
Præcipitante fuga nocuus se subtrahit anguis,
Hoc duce nam meminit se pulsum a sede superna.
Insequitur Michael, gladio transfigit, & hostem
Ecce tuos jacit ante pedes; dumque ore severo
Despicis, ultra abiens calcas mala plura timentem.

Per

Per il risanamento di Pio VI.

SONETTO.

Dello stesso.

VIeni, diceva il Ciel, vieni, grand'Alma,
Ben d'altro armata, che di piastra, o maglia;
Tu combattesti assai; cogli la palma
Dovuta al Vincitor della battaglia.
Ferma, dicea la Terra; almen ti caglia
Di me, se non ti cal della tua salma.
Temo, che un nembo al tuo partir mi assaglia,
Non certa ben, s'or mi ritrovi in calma.
Stette allor in fra due l'Anima forte,
Pronta a lottar quì nel corporeo velo,
Pronta a gioir là nell'empirea corte.
Tremava il Mondo, ma l'ingordo telo
Nel turcasso ripose al fin la Morte;
Ch'ebbe pietate della Terra il Cielo.

TRADUZIONE.

SPiritus alme veni, Cœlum clamabat ab alto,
Non galeam, non scuta ferens, gladiosque minaces;
Sed pugna utiliore Ducem gesta inclyta produnt;
Debita victori quæ convenit, accipe palmam.
Ne moveare (inquit Tellus) miserere rogantis,
Si dociles servare artus, & amabile corpus
Non curas; timeo nimbum, si forte recedis,
Horribilem, neque adhuc mihi prospera tempora nosco.
Tunc Anima ancipiti similis generosa paratur,
Seu membris unita diu protendere bellum,
Gaudia cœlesti seu sede æterna potiri.
Spemque metumque inter trepidaverat anxia Tellus;
Mors tandem in pharetra telum crudele reponit,
Nam gemitus terræ Cœlo valuere benigno.

Per-

Per il solenne ingresso di Monsignor Giovane lli Patriarca di Venezia.

SONETTO.

Dello stesso.

DElla parte del Ciel più rilucente
Una voce gridò: Vate, che vedi?
Levai lo sguardo: ed ecco un' Uomo avente
In mano un libro, ed un Lione a piedi.
Son Marco, ei disse; ecco il Vangel, ch' io diedi
A Pietro, e Pietro a te, Roma possente;
Marco son' io, che dall' empiree sedi
Or vengo a consolar una Innocente.
Spoglia, Vergin dell' Adria, il nero velo;
Godi alfin del tuo Padre, onde si mosse
In Terra sì, ma non mai lite in Cielo.
Tacque; e la belva tutta si commosse,
Arse negli ochi, s' arruffò nel pelo,
Mise un ruggito, ed' il Tarpeo si scosse.

TRADUZIONE.

QUa via lùcidior Cœlo splendescit aperto,
Quid cernis, Vates, vox est audita per auras,
Attollensque oculos mihi librum & scripta notantem
Cerno Virum: Leo magnanimus dabat oscula plantis.
Sum Marcus; mea scripta vides jam tradita Petro,
Quæ tibi, Roma potens, Petrus quoque tradidit olim.
Sum Marcus; venio superis e sedibus, inquit,
Virginis Adriacæ curis fero dulce levamen.
Eja age, sume animos, depone, innoxia Virgo,
Lugubres habitus; caro Pastore frueris,
Ride hominum lites, queis non subscripsit Olympus.
Dixerat; insolitas concepit bellua vires,
Intumuere jubæ; jactarunt lumina flammas,
Rugiit, & tremulo nutant capitolia motu.

Te-

Temendoſi la guerra del Turco, commínciando da Sicilia.

SONETTO.

Dello ſteſſo.

IO veggio il Siciliano Antro vetuſto,
La ſcabra incude, e il ſeminudo Bronte;
Io ſento i colpi del martel robuſto,
A cui riſponde la caverna e il monte.
Giu per le rughe della occhiuta fronte
Gli gocciola il ſudor ſul muſo aduſto,
E più negro che il flutto d' Acheronte
Gli bagna il collo, ed il peloſo buſto.
Bronte, t'affretta a preparare i dardi,
Che l'Ottomano Encelado alla pugna
Sfida il Ciel colla voce, e cogli ſguardi.
Cada, e nel ſangue ſuo l' empio s'attuffi,
Mordaſi in van le abbruſtolate pugna,
E ſotto un'Etna immortalmente sbuffi.

TRADUZIONE.

LOngævum aſpicio Siculis in montibus Antrum, (tem,
Et ſcabram incudem, & nudum membra horrida Bro-
Malleus attonitas robuſtus percutit aures,
Mille locis ſonitu reboant mons, antra, cavernæ.
Latum in fronte oculum rugæ ſudore fluentes
Circumdant; ſtillæ vultu ſparguntur aduſto,
Plus nigræ, quam queis Acheron ſua litora fœdat
Fluctibus, in collum, piloſa in membra vagantur.
Sume animos, Brontes, ultricia fulmina præſta;
Odryſio novus Enceladon de littore cœlum
Affectat; torvo intuitu, diriſque minatus.
Impius intereat, proprioque in ſanguine merſum
Æthna premat, pugnos incaſſum mordeat atros,
Et fremat æternum, rabieque oppreſſus anhelet.

Per-

Per l'Addottoramento in legge di due Nobiluomini.

SONETTO.

Dello ſteſſo.

VIene ſul cocchio Aſtrea; fino alla pancia
Nuotano nelle nuvole i deſtieri,
Viene, ed appoggia ſu la man la guancia
Stancata di graviſſimi penſieri.
Sono i voſtri grand'Avi i ſuoi forieri,
E chi la penna tien, chi la bilancia,
Altri portano mitre, altri cimieri,
Quale un volume al fin, quale una lancia.
Già colle braccia tremule e rugoſe
Vi ſtringono, già bacianvi le gote,
L'ombre ſoavemente lacrimoſe:
Aſtrea d' alloro intanto il crin vi faſcia,
Poi colla sferza i corridor percote,
Da voi ſen parte, e'l ſuo ſaper vi laſcia.

TRADUZIONE.

IN terras Aſtræa redux venit aurea curru,
Nubibus oppoſitis celeres ſe immergere viſi
Quadupedes, illa accedens quaſi mente revolvat
Plura, genam dextra fulcit meditantis ad inſtar:
At veſtri, o Juvenes, ſeu belli ſigna ferentes,
Præceſſere Atavi, ſeu pacis, ut infula monſtrat,
Æqua bilanx, doctæ chartæ; ſed Martis Alumnos
Ornabant galeæ, fera tela, haſtæque minaces.
Umbræ exultantes tremula & rugoſa propinquæ
Brachia in amplexus pandunt, atque oſcula figunt
Dulcia; quam tenero maduerunt lumina fletu!
Interea vobis præcingit tempora lauro
Aſtræa, atque abiens inter ſapientior omnes
Sponte ſuas veſtra dotes in mente relinquit.

EPI-

EPIGRAMMA DE VOLTER.

SOuvent un air de veritè
Se mele aux plus groſſier menſonge:
Cette nuit dans l'erreur d'un ſonge
Au rang des Rois j'etois montè:
Je vous aimais alors, & j'oſe vous le dire.
A mon reveil les dieux ne m'ont pas tout otè:
J'ai perdù ſeulement mon empire.

Traduzione di S. E. Girolamo Aſcanio Molin.

NON mai cotanta ebrezza i ſenſi appanna
Che fra le larve non traſpaja un vero.
A me dormendo illuſion tiranna
Offre due don; Te in mia Diva, e un Impero
Nè, come Rè, più alcun dover mi danna,
S'oſo di Amore aprirti ogni penſiero.
Ma il ſogno sfugge, e pur non ſi ritoglie
Altro da me, che le Regali ſpoglie.

Traduzione noſtra.

QUæcumque illudant noſtros mendacia ſenſus,
Neſcio quid veri ſemper habere ſolent.
Ipſe ego, cum placidam rapuiſſent, ſomnia mentem;
Regali videor ſceptra tenere manu,
Atque perire tuis flammis, & amare decebat;
Regnum & amor ſomni dona fuere mei.
Excitor; at divi non omnia dona tulere;
Mi vigili tantum deficit imperium.

Cum

Cum apud Exc. D. Annibalem Olivieri vespere inter conspicuos viros qui avide ejus erudita conversatione fruuntur, legeretur Sonetto *in publicis foliis vulgatum circa maris frequentes procellas summo nautarum damno irruentes, tam vates, quam eruditus Dominus Marchio Franciscus Xaverius Leonori illud latina versione transtulerunt, & in Pisaurensibus foliis exhibuerunt.*

SONETTO.

DI Nettun nel Consiglio a gran contesa
Venner la Senna, ed il Tamigi altero:
Del Mare, ognun diceva, è mio l'impero,
Or l'una rammentando, or l'altra impresa.
Presto la fiamma del litigio estesa
Tumulto universal divenne, e fero,
Poichè i Fiumi maggior del globo intero
Presero parte alla discordia accesa.
Battè il tridente il Nume, e disse: Indegni
Alla presenza mia cotanto osate
D'oltrepassare del rispetto i segni?
Ite, o Procelle, e Flotte, e Squadre urtate,
E struggendo, e ingojando Uomini, e Legni,
Chi sia del Mare il Regnator mostrate.

TRADUZIONE.

Concilio Divum, solio quo præsidet udo
Neptunus, Tamesisque ferox & Sequana præceps
Contendunt; maris imperium sibi quisque supremum
Vindicat, enumerans palmas & gesta suorum.
Spargitur interea rumor, quo nuncia litis
Fama volat, crescit ferus omni ex parte tumultus;
Nam majora etiam, quæ serpunt flumina terris,
Mutua succensæ tetigit discordia pugnæ.
Jamque tridente solum Numen quatit; inde minantis
Instar ait: me me, audaces, præsente licebit
Impune obsequii justas excedere metas?

Vos

Vos toto Oceano, jubeo, vos ite procellæ,
Et Classes simul & nautas agitate, & in undis
Mergite, ut agnoscant quis sit Regnator aquarum.

TRADUZIONE.

Del Chiarissimo Sig. Marchese Leonori.

NEptuni æquorea magnum certamen in aula
Sequana promovit fortis, Thamesisque superbus;
Quisque, meum est maris imperium, dicebat, opimas
Intrepidus memorans palmas, alternaque gesta.
Et jam fama celer totas extensa per oras
Litigium commune facit, sævumque tumultum;
Omnis namque globi regalia flumina, & ipsa
Sumere in accensa partem voluere querela.
Numen at offensum freta percutit alta tridenti:
Inde aic: Et fastu vos, me præsente, protervo
Audetis tantum obsequii ultra currere metas?
Ite cito, & puppes, classesque agitate, procellæ,
Scindite vela, rates, homines demergite in imis
Fluctibus, & videant quis sit regnator in undis.

Ad Cl. Auctorem secundæ versionis.

NObilis & dives nunc exercere decora
Munia, nunc felix esse viator amas.
Et tamen Aonias felicius ebibis undas,
Difficiles Pindi doctus adire vias,
Quam, qui transegit studiosum inglorius ævum,
Servat & inter aquas arida labra senex.
Non mihi felices natura negaverat ausus,
Sed caruit fructu non bene cultus ager.
Attamen excusa; studiis distracta severis
Cura animi, vatum me numero eripuit.

P

Per l' insigne Raccolta di antiche iscrizioni, e di altri monumenti, che vestono in Pesaro le pareti dell' ingresso del Palazzo del Nobil' Uomo Sig. Annibale degli Abati Olivieri Giordani.

SONETTO. *Del Marchese Francesco Saverio Leonori.*

QUali d'atrio regal qui agli occhj miei
Pareti con stupor offronsi piene
Di sarcofagi, conche, urne, trofei
D'Eroi chiari ne carmi, e sulle scene?
Quà stigj Numi, là celesti Dei
Parastrata magnifica sostiene;
Quinci are scorgo, quindi mausolei,
Simili a quanto ornò Roma, ed Atene:
Antiquario valor cento divise
Lapidi ristaurate al guardo appresta,
Dal tempo struggitor in van conquise:
Al merto, alla virtù solo quì resta
D'erger un marmo, in cui splendano incise
Col tuo nome, ANNIBAL, tue dotte gesta.

TRADUZIONE. *Dello stesso.*

QUÆ mihi sese offert, oculisque stupentibus, ædes
Regia, quique mihi hic paries, cui rarus inhæret
Sarcofagus, fulgentque simul concha, urna, trophæa,
Heroesque, canit quos Musa, & scæna coronat?
Hic stygios monstrat Divos formosa Parastras,
Celestes illic eadem quoque sustinet: adsunt
Hinc aræ, Mausolea inde, æquanda sepulchris,
Quæ Romam ornabant, quæ laudabantur Athenis:
Spectandos lapides centum Antiquaria Virtus
Exhibet, abscissosque prius, studioque redemptos,
Quos jam tempus edax ausum consumere frustra.
Nunc manet, ut mediis hic extollatur in urnis
Virtuti, & merito sculptus lapis, Hannibal, unde
Lucescant tua docta tuo cum Nomine Gesta

Ad

Ad nobilem virum Dominum Marchionem Leonori.

ATtritas inter urnas, & limine Tecti
Haud statuam liceat marmoream erigere.
Sit medio constructa foro, monumentaque mille
Monstret Hetrusca libris Græca Latina simul.
Tum Pario agnoscent gentes in marmore vultus;
Doctrinam agnoscent mille voluminibus.
Sic decet; hic populo spectabilis Hannibal omni
Monstrandus digito prætereuntis erit.
Namque domi, seu vestibulum, aut penetralia quæras,
Hannibalem effigie nobiliore vides.
Sculpta simul niteant insignia clara Pisauri,
Non sua: tantum urbi comparat ille decus?
Nobilitas fortis donum est; sapientia veram
Laudem affert, studii Filia, & ingenii.

Celebre Catuli Epitaphium.

LAtrai aì ladri, ed agl' amanti tacqui,
Così a Messer, e a Madonna piacqui.
Versio.
Latratu excepi fures, taciturnus amantes.
Sic Dominæ fueram, sic quoque gratus Hero.
Paraphrasis.
Arcebam sævis fures latratibus, unde
Me vigilem dives semper amavit Herus.
Sed blandos tacite excipiens festivus amantes
Deliciæ Dominæ non minus ipse fui.

ALPHABETHUM MORALE.

A

Amor *de Deos Seja estudo* *Propondo no coraçaõ*
Da vossa melhor liçaõ *Amar a Deos sobre tudo*,
Hoc primum studeas: super omnia dilige Numen;
Flagret in accenso pectore Divus amor.

B

Bom *homem sera resaõ* *Sendo o principal intento*
Vos faça o procedimento; *Fazer porser bom cristaõ*.
Esto bonus, Christi sies ita nomine dignus;
Nam bonitas morum fructus amoris erit.

C

Cortez *sedebeque defeito* *Por hum chapeo mais no anno*
Faltar a este aviso humano, *Ganhar agrado, e respeito*. (a)
Comis, & urbanus signis, & voce saluta;
Sic tibi non magno corda labore ligas.

D

Dai, *que attributo he de nobre* *Dai ao maior por grandeza*,
Quando no avaro he baixeza: *Dai por caridade ao pobre*.
Da generosus opes; Dives sic noscet avari
Stultitiam, & noscet viscera patris inops.

E

Espelho *Seja o conselho*, *Compor o procedimento*
E assim sereis attento *Pello lume deste espelho*.
Consilium tibi sit speculum, quo corrige mores;
Lux ea sit gestis duxque, comesque tuis.

F

Fiel *a Deos*, *e a o Roi dado* *A Deos, porque vos criou*
Por Deos, que assim o ordenou; *Ao Rei, de quem sois creado*.
Supremo rerum domino, regique fidelem
Te natura docet, te jubet esse Deus.

G

Graças, *e equivocos sos-* *Que he mao cuidar faser rir*
Os que ao natural cahir, *Pondedose rir de vos*.
Garrule, ut excutias risum, si forte jocaris,
Ne sis causa joci factus inepta, cave.

Honra

H

Honra *he joia que mais val* / *Pella honra se arrisca a vida,*
A tudo o mais preferida, / *Que a honra he vida immortal.*
Dulcis honor gemma est vita pretiosior ipsa;
Vita perit, vita est nescia mortis honor.

I

Ira, *fiquevos de avizo,* / *Onde demina a paixaõ*
Nao vos domine ó resaõ; / *Naõ obra livre o juizo.*
Ira ferox, moneo, rationi cede: potestas
(Dum sævis) numquam libera mentis erit.

L

Livros *nao fechados, lidos* / *Os livros que se naõ lem*
Hè so para que se tem: / *Saõ tesouros escondidos.*
Quid tibi sunt libri, quos numquam evolvere curas?
Sic prodest humili gemma sepulta luto.

M

Mentir *na realidade* / *Pai da mentira, he o diabo,*
Leva dois vicios ao cabo: / *E Deos he suma verdade.*
Crimine te duplici fallunt mendacia; Numen
Effugis, atque Erebi signa draconis habes.

N

Navegar *conselharei* / *Ou para viver, e ganhar,*
Quando hajais de navegar / *Ou por serviço do Rei.*
Navita, si Regi parere, aut quærere vitæ
Subsidium studeas, vivere perge mari.

O

Olhai *em tudo que obrais* / *Porque para tras tornareis,*
O incerto fim, que tereis; / *Se a o diante nao olhais.*
Tende oculos, quæcumque geras, & prospice finem;
Ne male per fallax regrediaris iter.

P

Peccar *he grave delicto;* / *Imitas Pedro peccando,*
Mas se peccas, filho, quando / *Imita a Pedro contrito.*
Immensum peccare malum est; si crimine Petrum;
Sic pariter lacrymis Petrum imitare tuis.

Q

Quem *sois, he summa vaidade* / *O melhor procedimento*
Trazeres no pensamento: / *He a milhor qualidade.*

Forte quis es, recolis? te vana superbia fallit,
Est morum splendor maxima nobilitas.

R

Resaõ *em toda ocasiaõ* *Armas levais de ventage*
Vos assegura de oltrage: *Se vos armais de resaõ.*
Jus, ratioque valet; sunt hæc secura periclis
Arma, quibus certus vincere semper eris.

S

Soldado *sede, e servi* *A trabalhos naõ fujais*
Se nisso vos occupais, *A ocisidade fugi.*
Si miles forsan scripsisti nomina castris,
Esto laboris amans, otia blanda fuge.

T

Temer, *mas naõ o mostrar; Sempre Deos, o Rei, e o Pai,*
Sò temer, e amar mostrai *Ou quem stà em seo lugar.*
Prudenter timeas, sed numquam ostende timorem:
Regem ostende, patrem, plusque timere Deum.

V

Visitas, *se saõ frequentes,* *Naõ dem motivo a fallar*
Naõ vos inclinem a peccar; *Ainda sendo inocentes.*
Deme pericla animæ, atque invise frequenter amicos;
Si nil, quod famam lædere possit, erit.

X

Xadres, *eos mais jogos arte* (b) *De sempre jogar he vicio,*
Saõ de engenho, mas o officio *Sabellos jogar he parte.*
Talis, aut chartis laus est bene ludere, virtus
Scire quidem, at semper ludere, tunc vitium est.

Z

Zelo *vos advertirei* *Vossa vida pella Fè*
Da Fe, e he bem que se de Vossa honra pella Lei.
Sic Fidei defensor eris, cum sanguine honorem
Da sponte & vitam, si dare poscat opus.

(a) *Melius exprimii nequit.* (b) *Sccah.*

SAG-

SAGGIO

DE ALCUNE POESIE ITALIANE, E LATINE DI S. E. GIROLAMO ASCANIO MOLINO.

Li primi dieci Sonetti sono tradotti in Latino dell'Abbate Emmanuele de Azevedo.

Ex descriptione Venetæ Urbis lib. 11. v. 183.

NON ego prætercam tua carmina culta, Moline,
In quibus octavo clauduntur singula versu
Sensa; quaterdenos Tassum comitata canentem (a)
Musa libros Tibi dictavit, sponte effluit œstrum,
Atque animos nitidæ voces, & nobilis arbor
Delectant; per te claros Federicus honores
Martis ad invidiam, bello insuperabile fulmen,
Acquirit, nostrique Heros dignoscitur ævi.
Magnus ut in bello, sic dum dulcissima pacis
Tempora decurrunt, sortis concessa benignæ
Dona suos gustare docet, seu jurgia vitet
Litigiosa fori, ne tempus inutile sumptus
Augeat, atque dolis pateat via; seu decus addat
Artibus ingenuis, & doctis præmia curis
Larga paret, plura & populis dum commoda quærit,
Promoveat certo rerum commercia lucro.
Jure quidem meritas texunt tua carmina laudes,
Carmina victuro tradi dignissima prælo,
Per quæ inter magnos olim numerabere vates.
Quasque etiam laudes illustria gesta recensens
Maurocenus habet Venetorum Livius, omnes
Jam Tibi fama parat; culto sermone disertus,
Majestate pari vocum Tu scripta Latino,
Ut pateant cunctis, Hetrusco idiomate vertis. (b)

(a) *Primum opus ut prælo subdas, expossimus omnes.*

(b) *Subjectum prælo Tibi gratulor esse secundum.*

PROLOGO DELLE PRESENTI RIME.

SONETTO I.

NON perchè ſia d'invidia a' noſtri giorni
Mio nome, o un tempo ſu l'antica foſſa
Perchè i futuri alle inſenſibil oſſa
Mi vengano a pregar queti ſoggiorni:
Non per ſeguir ſervile i metri adorni
Di chi veder, anzi che un lauro, ſmoſſa
Dovea una Rupe, or pallida, or fci roſſa
La guancja errando per gli Aſcrei contorni.
Quanto ſpontanea vena ai labbri detta
Non è che immago delle forme arcane,
Onde mia mente ſe paſce, e diletta.
Che ſe ſchiva eſſa troppo abbiette, e piane
Voci a ſpiegarſi, è affin che alla concetta
Idea ſalga; e pur dietro ancor rimane.

TRADUZIONE.

NON ego, ut invideat meritis modo labilis ætas,
Atque meum extollat nomen, ſeu noſtra ſepulchro
Aſpiciens ventura ætas ſine ſenſibus oſſa
Auguret æternam tranquilla pace quietem.
Non ego ſervili metro ad vocalia Vatem
Teſqua ſequor, fruſtra ille cupit molleſcere rupem,
Cui laurus nomen dederat; nunc carmine culto
Apparet rubicunda genis; nunc pallida vultu.
Sed mihi ſponte ſua veniunt in Carmina voces,
Ut varias formas & ſenſa abſcondita prodant,
Queis ſæpe interius gaudet mens ebria paſci.
Nauſeat abjectis quod ſi ſermonibus uti,
Scandere conceptæ prope culmen imaginis ardet,
Sed tamen internam non poſſum a tingere metam.

SOPRA CRISTO FITTO IN CROCE.

SONETTO II.

Piangendo i pochi lieti dì, che vansi
  Prestamente per me correndo al fine,
  Piangendo le presenti, e le vicine
  Noje, che ognor più spaventosa fansi,
Piangendo quante lunghe notti stansi
  Mie membra in van per riposar supine;
  Cui di Amore, o ambizion pungon le spine;
  Or d'uno, or d'altro affanno o piango, o piansi.
Nè sò trovar, mio Dio, fra tanti e tanti,
  Quai fu la spoglia tua, ch'ivi stillando
  Sangue miro, versar più giusti pianti?
Pur pianse il Ladro gli error suoi svelando;
  Pianse offuscando il Sol gli almi sembianti:
  Piansero i marmi orrido gel sudando!

TRADUZIONE.

Dum placidas horas, & non revocabile tempus
  Illacrymor fluxisse brevi, nova tædia fletus
  Perpetuo extorquent sibi succedentia giro,
  Quæ lacerant, semperque animum lacerare minantur.
Illacrymor, dum frustra opto dare membra quieti
  Nocte vigil tota, spinis me pungit acerbis
  Cæcus amor, vana ambitio; mens obruta curis
  Flere jubet, sæpe & miserum flevisse coegit.
Non mage digna fores, Numen venerabile, fletus
  Causa mei? pendens te duro a stipite cerno,
  Stillantesque artus pretiosum Sanguinis imbrem!
Flevit enim Latro, atque humilis commissa fatetur;
  Sol, rutilum abscondens vultum, dat signa doloris;
  Horrendumque gelu sudantia marmora plangunt.

SOPRA L'ELEZIONE DEL SERENISSIMO DOGE FOSCARINI.

SONETTO III.

DOpo aver con più di una util fatica
Fatta di Patrio zelo all' Adria fede;
E i scritti, ove il saper Veneto siede,
Scossi aver dell' obblio da polve antica;
O del valore Foscarin più erede,
Che degli agi, con cui sorte il nutrica,
Or nell' etade di riposo amica
Chiedi, che ben vuol darti Adria, mercede.
Ma già su l'arbor tuo vetusto avito,
Che d'ostri, e usberghi, ed auree zone splende,
Brami vedervi il Ducal serto unito.
Ah quale amor più i giusti dritti intende
Che non il tuo, ch' ogni dover fornito
Ver la Patria, indi anco ai Parenti scende.

TRADUZIONE.

POstquam mille modis Civem cognovit amantem
Adria, & ornavit Patriam labor utilis Urbem,
Quin etiam Veneti ingenii monumenta vetusto
In Mundi lucem tua cura e pulvere traxit.
Quin potius virtutum Heres, quibus alma refulget
Foscarina domus, reditus minus æstimat ampli
Commoda, conspicuum certus nunc exige donum,
Ætas Te dignam poscit matura quietem.
Dumque ostrum, & zonæ generosa ex arbore pendent,
Et clypei, & gladii, cornu Regale decorem
Adjunget, crescetque tuæ nova gloria genti.
Qualis amor dulcem in Patriam, si jura notentur,
Non tuus, hic claris jamdudum innotuit actis,
Æternum hærebit? sed grato in corde tuorum.

SUL

SUL MEDESIMO SOGGETTO.

SONETTO IV.

L'alata Dea, che mentre ad ambe gote
Fa che sua tuba nuovo fiato impingue,
Tutti a se trae gli umani occhj, e le lingue
Dietro il rimbombo, che ogni udito scuote;
Poichè ove il sole accende, ed ove estingue
Sua face, fea volando, o Marco, note
Le nuove glorie, onde sol te distingue
Quanto fra tutti la tua Patria puote;
Raro! del messaggier carme all'avviso
Dovunque spanto omai, non si udì detto
Di stupor, nè accigliar mirossi un viso.
Ah! se pria molto i comun voti eletto
Al soglio aveanti, il tuo non improvviso
Onor basta che or sia di gioja oggetto.

TRADUZIONE.

Diva alata, tubam quæ nunquam fessa sonoram
Inflatis animosa genis ciet, inflat, & urget,
Ad sese linguas, oculos simul attrahit omnes,
Namque omnes late reboans sonus excutit aures;
Te celebrat; pelago qua sol consurgit Eoo,
Qua latet occiduo; meritis adjungit honorem;
Et regale decus, quod nunc tibi Patria confert;
Nec majus conferre potest; nec dignius ulli.
Ut nemo obstupuit, quamvis cum laude feratur
Nomen ubique tuum, non improvisa videntur
Nuntia, seu cunctis jampridem nota fuissent.
Te prius in solio communia vota locarant,
Unde tibi nullam adjungunt nova munia laudem
Sed nova lætitiæ mundo argumenta ministrant.

IN MORTE DEL SIG. ANTONIO NAZARI CELEBRE SUONATORE DI VIOLINO.

SONETTO V.

O Che di Apollo l'ara, e il nome è finto;
O che di Apollo ingiusto invido è il Nume;
O non il laureo d'ogni bel costume
Serto, e d'ogni arte Apollo al capo ha cinto
Dunque mentr'anzi i dì maturi spinto
Nazari vien di stige al sordo fiume
Seder quel crederemo in Delfo, o in Cinto
Di sue cortine all'infallibil lume?
Egli Profeta dei venturi eventi?
Mastro ei d'ogni virtù, d'erba, e di fiore?
Ei Rettor degli armonici concenti?
Non previde ei di morte oggi il livore?
Nel suol Peonio i buon succhi enno spenti?
Viver non merta il più raro Cantore?

TRADUZIONE.

ORdo quis hic rerum? vel nomen Apollinis olim
Græcia confixit mendax, vel numen iniquum
Appellare licet, quæ cingit tempora laurus,
Non placidos mores, neque amicas denotat artes.
Nam dum cymba levem nunquam remeabilis umbram
Excipit ante diem, & sulcat Nazarius undas,
Interea dicam florere oracula Delphis?
Cynthia quod casus doceat cortina futuros?
Quæ fata abscondunt, si prævidet omnia Vates,
Virtutum agnoscit florum, plantasque salubres;
Et cythara accintus resonam quoque protegit artem.
Non Libitinæ odium, & falcem prævidit aduncam?
Castalio periere solo medicamina, & omnes
Qui superat Fidicen, nullo prohibente, peribit?

SUL

SUL MEDESIMO SOGGETTO

SONETTO VI.

Poichè a Nazari del canoro legno
Co la dolce arte far paraggio lice
Con chi di mura a Tebe erse sostegno,
E con chi feo rivivere Euridice;
Onde il Coro emular del santo Regno
(O che indi sia il dedur l'arte beatrice
Vietato, o che essa schivi il suolo indegno)
Quinci in Ciel trapiantar sceglie ei radice.
Cogli Angeli ivi a gara un suon più eletto,
E al pio costume meglio atto, e al sovrano
Genio tragge da altissimo suggetto.
Ma a noi cercar più buon concerto è vano:
Che, se quaggiù nol lice aver perfetto,
Stato almen fosse il suo non più che umano!

Traduzione.

Æmulus exsuperat docto Nazarius arcu
Illustres fama; atque illi conferre licebit,
Qui jubet acciri rupes ad mœnia Thebes,
Qui jubet uxorem revocari ad luminis auras.
Deerat cælestes imitari, aut vincere cantus,
Nam vetitum e superis artem deducere regnis
Forte indignatam terras mulcere profanas.
Debuit æternam sic ille ascendere sedem.
Angelici pars una chori suavissima pulsat
Carmina; dat morum candor, Numenque supremum
Non imitabilibus segetem concentibus amplam.
Nec nobis superest placituros quærere cantus;
Oh utinam, (si cælesti non possumus uti)
Sisteret humana saltem Nazarius arte!

SO-

PER ISPOSALIZIO

SONETTO VII.

Nè Tu, Signor, quanta bellezza unìo
Nella tua Sposa il Cielo inteso avresti,
Se a Te ognor lieta e certa in suo desìo
Fosse, e no apparsa in atti umili e mesti:
Nè del tuo Sposo la bontà sapresti,
Vergine Tu, se lo splendor natìo
Sol conoscessi, o de' grand' Avi i gesti,
Ma no i moti di un cor tenero e pio.
Perciò Imen, cui far noto ad ambo preme
Quale a uno, e all' altra raro don concede;
Quanto ahi restìo si finse a unirvi insieme!
Sinchè immobili ognor voi nella fede
Tra molestie e conforti, e tema e speme
Spiegaste ogni virtù che in ambo siede.

TRADUZIONE.

Non tibi nota foret raræ præstantia formæ;
Quam sponsæ ingenuo cælum conjunxit in ore,
Inclyte vir, nisi visa hilaris, securaque voti,
Nec mæsta, atque humili tantum composta decore.
Nec tu, chara uxor, sponsi decora ampla notares,
Si tibi gesta Atavum claris celeberrima fastis,
Splendoremque ortus generoso a sanguine ductum,
Non teneri cordis suavissima sensa paterent.
Sic modo gaudet Hymen, quæ dona indulsit utrique,
Noscat ut alteruter, sic quæ disjuncta videntur,
Nunc stabili prudens voluit conjungere nodo,
Quæque intacta fides sponsos immobilis arctat,
Spemque, metumque inter, seu læta, aut mæsta recur-(rant,
Quæ vos exornant, virtutem agnoscere cogent.

SUL-

SULLO STESSO SOGGETTO.

SONETTO VIII.

PER far che fosse, o sposi, a' giorni nostri
Il vostro nodo celebrato e raro,
Non sol Natura, e'l Cielo, e Amor sudaro,
Ma fin d'Averno i più maligni mostri.
Del Ciel formarsi ne' più eletti chiostri
L'Anime valorose: il puro e chiaro
Sangue è don di Natura; Amore il caro
Guardo dievvi, e'l candor del viso, e gli ostri.
Ma Invidia rea, che con accesa face
Arder voleva l'ara nuziale,
Fece anzi giorno a vostra fè verace:
E la Discordia poi fu all'ara, quale
Trofeo tratta: che Amor, fabbro sagace,
Di nodi, a lei legò per scherno l'ale.

TRADUZIONE.

UT vestra eniteant raro connubia nodo
Mirificis celebrata modis, sua munera Cælum,
Dat dotes Natura suas, & spicula dulcis
Addit Amor, laudem infrendens adjungit Avernus.
A Cœlo generosum animum, qua purius efflat,
Hausistis: claros Natura indulserat ortus,
Intuitus teneri sunt gratum munus Amoris,
Ille genis ostrum, atque nioes depinxit in ore.
Quæ face succensa comburere destinat aram,
Invidia adjungit jubar, & splendore corusco
Intemerata Fides æternum acquirit honorem.
Utque aræ impatiens Discordia sæva propinquat,
Vincta gemit, clari monumentum insigne triumphi,
Namque Amor irridens doctus Faber alligat alas.

In

In lode della Città di Genova.

SONETTO IX.

NON per le varie degradanti ſcene
Che additan la Città dai gioghi Alpini,
Non pei freſchi odoriferi giardini,
Pei gran Palagi, e per le ville amene;
Nè per l'immenſa forza che ſoſtiene
Tra i moli, e i muri gl'impeti marini,
Ne pei quaſi natii marmi sì fini,
E bronzi e tele d'ogni ſtorie piene;
Genova, ſon le glorie tue sì chiare,
Ma pel gran cuor de figli, e dell'ornate
Donne di beltà ſpecchi, e di arti rare.
D'Angelica natura parrian nate,
Se foſſer men delle lor grazie avare,
Che Angeli eſſer non pon ſenza pietate.

TRADUZIONE.

NON vario aſpectu, quo plurima ſcena per Alpes
Oſtendit Dominantem urbem, aut quæ vernat odoris
Gracia rara hortis, quas rure vagantibus offert
Delicias locus, & ſpatioſa palatia in urbe.
Non quæ per longum ſævo maris impete tractum
Baehantes frænat molles & mœnia fluctus,
Marmora non pretioſa jugis extracta propinquis,
Fuſa ex ære opera, & picta mira arte tabellæ.
Laus tibi major adeſt, Ligurum celeberrima ſedes,
Tam Procerum cor magnanimum, quam gratia ſexus
Flexibilis, dulces artes, & compta venuſtas.
Crediderim totidem Divas deſcendere Cœlo,
Attamen ut teneros in amantes miror avaras,
Quæ pietate carent, non auſim dicere divas.

Andata a visitare il sepolcro di....

SONETTO X.

Tempo è che al sacro cenere pur vegna
Che sì lontano da le Patrie sponde
Sotto un invido sasso or morte asconde
Di sì immaturo frutto ahi! troppo indegna.
Qual ti riveggio, o d'ogni grazia pregna.
Donna, con cui in stagion quant'ahi! gioconde
Tra' più bei colli, e piagge più feconde
Vita io traea, vita de' Numi degna?
Ridea di nostra etade il primo Aprile,
E il veglio alato eguali ad ambo l'ore
Spartìa, e un pensier in ambo era simile.
Dopo Te or quale ho più di viver core,
Fuor che il tuo avello a visitar, v'umile
Mi prostri, e pianga, e la sacr'ombra adore?

Traduzione.

Dulcis Amor sacros Cineres invisere cogit,
Quos procul a patriis mors impia sustulit oris,
Nunc rapit invidiosa oculis, & marmore duro
Includit! fructus indigna quidem immaturi!
Qualis ades! nuper charitum lætissima sedes!
Tecum ego ridentes inter gleba ubere colles
(Nunc meminisse juvat) felicia tempora duxi;
Tempora, quæ possent felices reddere Divos.
Lætus in alterutro pariter ludebat Aprilis,
Alatusque senex æquo diviserat horas
Munere, quin similes mulcebant pectora sensus.
Vivere nec possum sine te, mea chara, superstes;
Sed sæpe ad tumulum, fuerit dum vita, redibo;
Ut lacrymas fundam, atque umbram reverenter adorem.

S O-

RITORNO DALLA VISITA DEL SEPOLCRO DI....

SONETTO XI.

BEN si doveva a la dolente e pia
  Memoria di chi il Mondo fea sì bello;
  Cui volle invido il Ciel qual suo giojello
  Cor, me lasciando in questa valle ria;
Ben si doveva da la fede mia
  Tributo almeno tardo al sacro avello;
  In onta pur al lungo calle, e al fello
  Aere avverso, e a la dirotta via.
Ma non già forse fella era, o nemica
  L'altra stagion accompagnando il duolo
  Di chi fido piangea sì illustre amica;
Che de la grave perdita non solo
  Ne risent'io l'aspra memoria antica,
  Ma l'aer meco, e l'aria, e l'onda, e 'l suolo.

SONETTO XII.

QUal destin, Donna, agli occhj miei t' offerse
  Quando non fu appressarmiti permesso?
  Poi quando esser poteva a te d'appresso,
  Qual invidia a' miei lumi ti converse?
Deh non avessi mai viste le terse
  Guance e la bocca e 'l crine onor del sesso;
  O farti almen lo stral scorgere impresso
  Potessi, onde il tuo amore il sen mi aperse;
O più rea del destin credula speme
  Non mi avesse promesso unqua, che ingrato
  A Te non fora il meco essere insieme.
Ma in Te poi fidar posso? E reo il sol fato?
  So che il tuo sesso alletta uom finchè geme,
  Ma spesso annoja, ov' esser chieda amato.

SO-

SONETTO XIII.

QUal nei giorni, onde il Sol par che si appiatte,
Fiocca sì bianca e tersa neve il cielo;
Qual dilicato v' ha candido latte
Giunto a freschezza di serbato gelo;
Qual v' è alabastro che alle man si adatte
Forbito tanto, e qual giovane stelo
Ruggiadoso Giglio orna, a quelle intatte
Membra simil del costei umano velo?
Nè più di loro un vergine polito
Foglio a ricever fora ogni segno atto
Dal pennello più fin sovr' esso ordito.
Ah! d' imprimervi degno io fossi fatto
L' avide labbra: oh come ivi scolpito
D' un vivo amore resteria il ritratto!

SONETTO XIV.

DOve intero di sol raggio non passi,
Dove nè canti augel, nè augel risponda,
Dov' erba il suol non vesta, o gli arbor fronda;
Dov' orma di se impressa uomo non lassi,
Senza oltraggio temer di spine, o sassi,
O di belva crudel la gola immonda,
Sfogando il tetro umor, che al core abbonda,
Per gli occhj, ho voglia di trar sempre i passi:
Ma la memoria di quel lieto viso,
Che fugar suole ogni atra immago spesso
Da l' alma, quando in lui lo sguardo affiso,
Da sì rea vita traggemi, e perch' esso
Non si turbi al mio duol, d' un finto riso
Ricopro il pianto, quando a lui mi appresso.

SONETTO XV.

PER non mi ſtrugger di un incendio vano,
Donzella, al viſo tuo, che ſerba altrui
Inviolato il fior degli anni ſui,
Nè bada avermi preſſo, io vo lontano.
Ma non Ville, o Città, non monte, o piano
Mi offre sì nuovo, e raro oggetto, in cui
La memoria s'immerga, e adombri i tui
Scolpiti vezzi, ond'ha il penſier non ſano.
Quante Ella vede, parle del tuo volto
Lucido ſpeglio, e in un ſol punto appieno
Contempla ogni alto pregio in Te raccolto;
Almen da pria il mio guardo ardor sì pieno
Ber non ſolea, mentr'era ſol rivolto
A queſto vezzo, o a quel del viſo ameno.

SOPRA N.N. PROSSIMA A SPOSARSI.

SONETTO XVI.

DEH! come fui sì conſigliato, e cieco?
Deh! come non udii preſago il core?
Che queſte, o cara, foſſin l'ultime ore
Che giorno, e ſera io potrei viver teco?
Per piagge ombroſe andaſſi, o per canore
Collinette fra il ſuon dei rivi, e l'eco,
O fra danze volgeſſi il piede meco,
O dal bel ſen traeſſi il canto fuore,
Per Ville, e per Città mi avevi a lato:
Or che fra brevi dì te il Nuziale
Sacro talamo chiama ad altro ſtato;
Spendo da Te lontano (ahimè!) sì male
Gli ultimi iſtanti che mi accorda il fato
Pietoſo indugio a quel colpo mortale?

SO-

SOPRA LA MEDESIMA SPOSATA.

SONETTO XVII.

VErgine, in fin ch'al tuo pudor non piacque
Ch'altri coglieſſe quell'intatto fiore
Che al tuo giardin dà ſopra tutti onore,
Geloſa invidia in petto a me non nacque:
E qualor pur dagli occhj tepide acque
Di furto eſpreſſe a me timidò Amore,
Per non turbar il tuo ritroſo core
Sempre ſin or queſta mia lingua tacque:
Anche or dovria tacer, mentre è già vano
Gridar, poi che poſſiede altri il bel frutto;
E ſel porta a goder da me lontano.
Ma dee chi preſſo è al ſuo morir condutto
Ogni piaga ſcoprir del cor non ſano,
Perchè ſia dal ſuo eſempio ogni altro iſtrutto.

SONETTO XVIII.

POichè òggi pel capriccio, e pel diletto
Di un geloſo Amator gli altri non curi,
Ed anzi abborri ogni ombra di ſoſpetto,
Che rendagli i tuoi affetti men ſicuri:
Da qual coſtante amor vinto, ed aſtretto
Eſſer poſs'io così, che mi aſſicuri
Di premer più la ſoglia del tuo tetto
A mirar i miei ſcherni, e i tuoi ſpergiuri?
O come fie, che i miei carmi amoroſi,
Dà quai non ſpero più di trar mercede,
Quale un dì traſſi, a Te più di offrir oſi?
Perchè con lui, che ſolo or Ti poſſiede,
Abbia Tu cagion nova a più faſtoſi
Scherni ſopra la mia tradita fede?

SONETTO XIX.

Bianche vesti, ali bianche, e bianco viso;
Fuori il cinabro, che le gote tinge,
Maestra mano su le tele pinge
Gli Angeli ad imitar del Paradiso;
Sì fatto è il seggio del soave riso,
Sì fatto cinto il sen tumido stringe,
Sì fatta gonna il colmo fianco cinge
Di lei, u' a pascer lo mio sguardo affiso.
E a l'arte pure del soave canto
Ella oggi i labbri addestra, onde non ceda
Al paragon di alcun celeste vanto.
Ma se quel restio cuore unqua non fieda
Cura dell'altrui duol, de l'altrui pianto,
Senza pietà chi fia che Angel la creda?

SONETTO XX.

Del vostro dolce guardo, e dolce riso,
Che quasi un lustro al mio pensier furo esca,
Sento che a poco a poco si rinfresca
La cara immago, in cui tutto ei sta fiso;
Sento, Donna, nel cor un improvviso
Palpitar, che più sempre avvien che cresca,
Dopo il freddo languor, che 'l cinge, e invesca
Per sei lune, ond'io fui da Voi diviso:
Sento; ma questo impaziente moto
Se sol di rivedervi amica speme
Desti, od altri principj ancora è ignoto;
Non so se sia compiuta gioja, o insieme
Misto sospetto: ahi, forse del divoto
Mio servir fido un lungo obblio vi preme!

SONETTO XXI.

CHE Amor per Te abbia desto ogni mio affetto,
Lui, se nel chiedi, testimonio avrai,
Ch'or dal tuo labbro, or da' tuoi vivi rai
Sta ad osservarmi, e prendesi diletto.
T'amo: e chi mai potria sì vago oggetto
Mirare, e non sentir d'Amore i guai?
Appena vidi, così tosto amai
Il voltò, il crin, le braccia, il collo, il petto.
Che s'è ver che al mio ardor manchi gran parte
Di quella fiamma, ond'ei saria capace,
Tu puoi sola cagion di ciò chiamarte.
Di tante altre bellezze tue la face
Che non dispieghi, e avara in chiusa parte
Appassire lasciarle in van ti piace?

SONETTO XXII.

MEntre a la gioja di quei dì fioriti,
Ond'ebbi agli ozj tuoi, Vergine, parte;
Non sol rinunziar oso, onde lasciarte
Abbracciar d'Imeneo gli utili inviti,
Ma contra i lacci da l'Invidia orditi,
Che vorria dal vicin sposo staccarte,
Veglio, e studio schernir l'arte con l'arte,
E avvivo i voti tuoi fiacchi, e smarriti:
Ben di questo ver me zelo tiranno
Il represso amor mio risente il peso;
Pur quinci sol nasce il minor mio affanno.
Quanto è maggior; che Tu al vedermi inteso
Per porti in braccio altrui, non creda inganno
Il dir, ch'io son di tua beltà sì acceso!

SONETTO XXIII.

POich' è già preso a' tuoi leggiadri vezzi
Stuol di Amanti, ond' ognun per fresco fiore
D'età, di gran dovizie per fulgore
Merta più assai di me che si accarezzi;
Perchè sì poco il doppio dono apprezzi,
Che ti offre il largo fato, e il dolce Amore,
E anzi più il lor spontaneo util favore,
Che di mie gelosie la noja sprezzi?
Perchè con vaghi, e lusinghieri detti,
Equivoche promesse, astuti modi
Vincer agogni i miei giusti sospetti?
Temi che di Amor forse io sciogli i nodi?
Temi la pace mia? D'aver soggetti
Mille altri, senza il mio penar, non godi?

SONETTO XXIV.

DOnzella, appresso i tuoi fulgidi rai
Il mio cuor tutto dentro il seno avvampa;
Tu nè di lor temprar puoi l'ignea lampa,
Nè a lui vuoi dar aita, o pur non sai.
Il miserel, benchè gli costa assai,
Dal lor guardo talor si asconde, e scampa;
Sì il poco spirto, che gli avanza, campa,
Qual fie d'incendio a pien consunto omai.
Ma, oh Dio! ch' indi a quei rai tornando in faccia
Non sol del lume usato arder li mira,
Ma insiem di sdegno e tacita minaccia;
Ben sanno che il meschin per lor delira,
Ma vogliono, che adori, e peni, e taccia.
E' questo orgoglio, o Amor, che a ciò li ispira?

SONETTO XXV.

DUri sassi, irti dumi, che dolcezza
 Di Madonna nel sen svegliar poteste,
 In cui fra mezzo ogni più molle agreste
 Delizia, ognora rigogliò l'asprezza;
Colpa non vi do già, che la mollezza
 Del suo non uso piè scabri offendeste,
 Se a l'alma che più val sì ancor rendeste
 Flessile, e umana la natìa rozzezza.
Io non dirò che i più teneri amori
 Trapiantare fra voi deggian lor sede;
 Ch'essi stan meglio tra l'erbette, e i fiori;
Ma li più alteri, che una lunga fede
 Domar non può, tra i vostri sacri orrori
 Imparino che sia bramar mercede.

SONETTO XXVI.

NON ve' Tu, Donna? Amor picciol Garzone
 Le membra non avvoglie entro auree vesti;
 Va nudo, e per vergogna agli occhj oppone
 Benda, onde più celato al giorno resti?
Non ha corteggio alcun: capanne agresti
 Frequenta al par, ch' ogni Regal magione.
 Or non ve' quale ai fidi suoi propone
 Esempio di cortesi atti, e modesti?
Ma tale io Te, Donna, risponder sento
 Superbamente: non d'esser umile,
 Ma d'avvilir altrui quinci ho argomento.
Mendico Amor si mostra, onde al servile
 Suo giogo i maschi spiriti tormento
 Soffran più grave, e abbietto stato, e vile.

SONETTO XXVII.

PErchè vaga e gentil sei qual Aurora,
Uom bel, qual Febo, presso Te vorresti;
Perchè il tuo spirto par di carnee vesti
Scevro, un angelic'uom vorresti ancora;
Perchè ognor vivi d'ogni cura fuora,
Uom che abbia i dì solo ai tuoi cenni presti;
Perchè i vezzi di Amor stimi molesti,
Uom che prema il desio che l'innamora.
Nè trovando tal uom duolti, ed a vile
Hai gli altri, e scacci, e i dì nojosi, e l'ore
Solinga perdi del tuo vago Aprile.
Che non ringrazj anzi Natura, e Amore
Di avere stuolo d'Amanti, ognun gentile
Sopra mill'altri, e sol di Te minore?

SONETTO XXVIII.

QUnque, perfido Amor, questo mio viso
Da'tui seguaci nessun culto merta?
E dovrò gli ancor freschi anni deserta
Viver, già morta ai scherzi, al gioco, al riso?
Se a Canidia rugosa il suo Narciso
Ancor fa vezzi, e Foloe mal coperta
L'ossa di carne squallida, tien certa
La fe di quell'Adon, ch'Ella à conquiso?
Risponde Amor: Poichè di me ti duoli,
L'alto spirto ch'io dietti, e le bellezze
Rendimi, e gli occhj, anzi i duo chiari soli,
E allor con le femminee arti, e dolcezze,
E non col fasto, e i scherni, come suoli,
Adescherai qualch'uom, che ti ami, o prezze.

S O-

SONETTO XXIX.

QUei placidi vostr' occhj, e lusinghieri,
Quel labbro, onde di mezzo a bel sorriso
Esce di ambrosia un fonte, e il ben diviso
Seno, e il leggiadro fianco, e i piè leggieri;
Fra cerchio pien di Donne, e Cavalieri,
Sì aveano in lor tutto il mio spirto fiso,
Che stava come in grembo al Paradiso
Scevro di tutti altri minor pensieri.
Quando Amor, ch'era presso, e coi crin d' oro
Tenace più che ogni altra tempra ordia
Nodi, l'incauto strinse entro un di loro:
Or poichè, Donna, quinci sorte ria
V'invola, ei siegue avvinto; io resto, e ignoro
Qual senza spirto sie la vita mia.

SOPRA COLLO DI N.N. FERITO DA CHIRURGO PER INSORTO MALE.

SONETTO XXX.

QUel morbido, tornito, eburneo collo,
Su cui scherzar vagando il crin solia
Biondo, lucente, ahimè! qual Peste ria
Assalse, o quale invida Dea sformollo?
Ahi! visto il ferro, ahi! visto a vibrar hollo;
E Amor coi vanni umidi i rai copria,
Che i precetti vietar pur non ardia
Dell'aspra, ma salubre arte di Apollo.
Anche il mio labbro allor, che incauto scorse
Quasi a importune strida, a tanto esempio
Premendo il fier dolor, se stesso morse.
Ma or che uscio l'atro umor, ben plora ei l' empio
Squarcio del vivo avorio: e che? non forse
Atto ancor pargli a far dei cori scempio?

S O-

SOPRA LEGGIADRA CANTATRICE.

SONETTO XXXI.

ALtri porrìa ridir quale il bel crine
Scendendo in pioggia d'oro a' piedi tocca;
Altri il bel raggio, come ſtral da cocca
Vibrato da le luci alme divine;
Ma quale infrà due labbra coralline
Grazia, valor, dolcezza abbia la bocca,
Chi può? cui sbarra eburnea in ſuo confine
Chiude, e apre il varco, onde pia voce ſcocca?
O qual lampo di gioja il gajo riſo
Ne ſcappi, o in metro di vario diletto
Tempri armonico ſuon di Paradiſo?
Ma quanto più, poichè da l' imo petto
Spreſſo lo ſpirto, egli è in mirare avviſo
Che ſi ſtempri in un bacio tumidetto?

SOPRA LEGGIADRA ATTRICE NELL' OPERA INTITOLATA L'ALCINA.

SONETTO XXXII.

OGni magico don, che il Toſco Omero
Prediſſe in ſua favoleggiata Alcina,
Ecco omai, Donna, in tua beltà divina
Tocca animato a noi mirare, e vero;
Qualora di Sirena il luſinghiero
Canto, che ogni altro vezzo avviva, e affina
Su le ſcene a ſe innanzi umilia, e inchina
Italo, Franco, Anglo, Germano, Ibero:
Tai ſu le ſcene a Te fra gl'incantati
Boſchetti Eliſii far omaggio a gara
Moſtrano acceſi Amanti, non amati.
Ma intanto immenſa turba, che a la rara
Fama tua accorre quà da tutti i lati,
Da vero a un sì bel foco ardere impara.

SO-

SONETTO XXXIII.

DOnna, o che il ver mi dica, o che m' inganni
Non mai si scerne la bugia dal vero;
Quando da Te staccarmi io vo', t' affanni,
Se m' hai vicin, sprezzi il mio amor sincero:
Talora in me l' assiduità condanni,
Talora il genio instabile, e leggiero;
Della guerra di amor mi esorti i danni
Fuggir, poi tenti me, se pace io chero.
Dell' oracolo tuo forse l' arcano
Ricoprir vuoi, per non smentirti unquanco
O a me ti pieghi, o il desio renda vano?
Nol farai già, ch' io ne son sazio e stanco,
Se con qualche arra di tua fede in mano
Non ad oltre aspettar mi alletti almanco.

SOPRA ASSENZA DELL' AUTORE NELLO SPOSALIZIO DI N. N. AD ESSO ASSAI CARA.

SONETTO XXXIV.

AHimè! ch' io non sò pur qual farà quella
Notte sopra ogni notte infausta ingrata,
Quando ai piacer di altro Uom diverrà ancella
Vergine sì gentil, sì da me amata.
Ahimè! che giova aver lungi lasciata
La comun Patria, e alla mordace, e fella
Cura voler sottrar l'alma piegata,
O almen tardarle la fatal novella?
Quinci a più punte anzi di lento duolo
Lei il pensier, fere di sì trista notte,
Cui certa essendo almen fie un dolor solo.
Ma ogni notte è sospetta; onde o interrotte
Piango l' ore al mio sonno, o sogno solo
Del Virgineo pudor l' ultime lotte.

SO-

SOPRA LO STESSO SOGGETTO.

SONETTO XXXV.

AHI! che non può l'impero esser diviso
Fra Prudenza, ed Amor entro un sol petto!
Amor disdegna qual sia cauto avviso;
Prudenza de' ciechi impeti ha dispetto.
Ahi! ch'io timido troppo il cor conquiso
Volli celar sotto contrario aspetto,
E parco ai rai me dell'amato viso
Volger, schivo sebben di ogni altrò oggetto.
L'ebbe per male Amor, e un core audace
Di un de' suoi strali armato al tesor mio
Trasse intorno instancabile rapace.
Volò il dardo, e 'l mio Ben si scolorìo,
E disse a me pietoso; or resta in pace
Tu; me tiene altri; or che più offrir poss'io?

PER DONNA VALENTE NELL'ARTE DI FAR VERSI.

SONETTO XXXVI.

QUì d'Ipocrene già con l'umor vivo
Dissetarsi al par lice, che in Permesso,
Quì interviene già al paro il biondo Divo
E le caste Sorelle ave con esso.
Tanto si sente ognor questo giulivo
Aer di carmi concertati impresso
De' rami al fischio, al mormorar del rivo,
All'eccheggiar de' bei colli quà presso.
Ma non fronde, colle, Eco, od onda fresca
Il mio pensier già per se pigro, e lento
Agli intermessi carmi unquanco adesca.
Dunque qual nascer estro oggi in me sento?
Da te Donna mia Musa, al pensier esca
Viene, e allo schivo mio volo ardimento.

SO-

SOPRA LO STESSO SOGGETTO.

SONETTO XXXVII.

SE dei vergati in carte eletti carmi,
Che apprendeste di Amor su l'aurea Cetra
Qualche saggio da me veder s'impetra,
Come vi piacque, o Donna, lusingarmi;
Non sol dietro tal guida oserò alzarmi
Su' vanni Ascrei, dove occhio uman penetra,
Ma ne la terza ancòr region de l'etra
Di Venere al più vivo Astro appressarmi.
Ivi di mille egregie forme, e mille,
Onde oggi il suol sia adorno, o il fosse mai,
Narran che ogni modello arda e sfaville;
Nessun però cinto di tanti rai
Ivi aspettan veder le mie pupille,
Che dal vostro non sia vinto d'assai.

SOPRA LONTANANZA DELL'AUTORE DA LA CARA SUA N.N.

SONETTO XXXVIII.

SE di questa fiorita, e fresca spiaggia
Tu meco ti posassi, o Donna, in grembo,
O di quella io, cui del tuo manto il lembo
Si dolce adombra, e tua pupilla irraggia;
E fosse ella anco in vece erma, e selvaggia
V' tra fischj di vento, e orror di nembo
Strisciasse sol fulmineo lampo a sghembo,
Ch'anzi, che il bosco ravvivar, l'oltraggia;
Parriami più piacevole, e più lieta
Che de l'Idalia i colli, o d'Amatunta
Dei Venerei piacer stanza segreta.
Ma quinci, ove siedo io, tu sei disgiunta;
Or cui quà l'augel canta? e l'onda queta
Cui volve il rio? cui il fior dal suolo spunta?

SOPRA SOSPETTO INTRODOTTO NELL' AUTORE DELLA SINCERITA' DI N.N.

SONETTO XXXIX.

BEN sarei fabbro del mio proprio danno,
E a dritto escluso dai piacer di Amore,
Senza poter d'ingiusto, e di tiranno
Quello tacciar, ma sol di vil mio core;
Quando sprezzando quel soave ardore,
Che di amor pregne in me spirando vanno
Due care luci, al mio desìo migliore
Ostassi per timor di occulto inganno.
Sinchè cortesemente Amor m'invita
Dir perchè il debbo fraudolente, o infido?
Che se d'infedeltà pura è mia vita,
Nè la conobbe mai: del par mi affido
All'altrui fede. Or non voler tradita
Cotanta mia innocenza, o Dio di Gnido.

SONETTO XL.

BEN veggio Amor, che qual di me fai gioco
Altr'Alma amante non è già che prove:
Crudo, ingiusto, empio ch'io ti chiami, è poco,
Converriami informar querele nuove,
Ma senti; il tuo rigor non fia che giove,
Che in questo sen non serbo a te più loco,
Nè più altra face omai m'incende o move,
Nè più il tuo Nome insulto, nè lo invoco.
Cotal credenza ognor forza in me acquista,
Che femminea bellezza, o leggiadrìa
Non sia che inganno a vaga incauta vista;
Che per l'uom fatta la donna non sia
Più che il foco per l'or, che di ogni mista
Feccia depura sua forma natìa.

CAN-

MORALE.

SONETTO XLI.

NEra larva di morte, onde sì dura
Guerra soffria poc'anzi il debil core,
Ve' già ti scherne l'alma mia sicura,
Che pur aggiacciò tanto del tuo orrore.
Ahimè, ciec'alma ahimè! qual turba e oscura
La tua ragion doppio indistinto errore?
O vinca in te l'ardire, o la paura;
Ah qual fra i duo fia il vincitor peggiore?
Morte non già pel fiacco orror rallenta
La fatal man, che spesso anzi superba
Vien più per esso, e più a ritrarsi lenta.
Ma ad imprudente audacia si riserba
Più strano crucio allor che a pien contenta
Giunga la vita a l'ultima ora acerba.

ALTRO MORALE.

SONETTO XLII.

RAccor mia mente alfin l'erranti torme
Dei pensier suoi, punta di onor, vorrebbe;
Che un dì, fuggendo il fren che loro increbbe,
Fersi al capriccio van legge conforme.
Ma la sua possa è al buon desio difforme;
Che se a forza talvolta un ne riebbe,
Finchè gli altri a inseguir il piè volto ebbe;
Quel torno incustodito alle usat'orme.
Nè a lei vale chiamar in suo soccorso
Ragion, che prenda in sua custodia quello
Già domo, e sciorre più non lasci il morso,
Che sdegnosa Ragion dacchè il rubello
Stuol vide a mille errori in braccio corso,
Lasciò dell'Alma anch'essa il vuoto ostello.

GE-

GESU' CRISTO NEL PRESEPIO.

ELEGIA.

PResso Betlem di un facil Colle a piede
Un umil sorge, e rustica Capanna
Vè a sera faticoso il Bue sen riede,
Le fan tetto vil giunco, e lieve canna,
E un presepio, e di strame un duro letto
Fan veci di origlier, di desco, e scranna.
Acconcio appunto a villan Bue ricetto,
Se ben non pave starsi a par con lui
Queto asinello con tranquillo aspetto.
Appena il sol co' chiari raggi sui
Per picciol foro, che vi si apre a lato
Giunge a far meno gli orror foschi, e bui.
Ma poi che notte in Ciel sorge l'usato
Stendendo su la terra umido velo
Brillano in van le stelle, ond' egli è ornato.
In grembo a questa, e di aspro verno al gelo
Fra rozzi panni la mortal figura
Il Re prese degli uomini, e del Cielo.
Quà, elegia, vieni, e meco ti assicura
Ch' egli a suoi piè non tanto accoglie i Regi,
Ch' anco i Pastor, che alma anno schietta, e pura.
Quì vedrai gli alti, e non più visti pregi
Ch' ornan del Bambinello il vago viso
E di qual nova luce il loco fregi:
Vedrai Maria come sel mira fiso,
Ed ei, che in essa à le pupille intente
Scoccar dai labbri un pueril sorriso.
Non che lucide gemme di Oriente,
Ma quai sono astri in Ciel più luminosi
De gli occhi cedon alla luce ardente,

I quai

I quai ſotto fini archi maeſtoſi
Di propria mano il divo eterno Amore
Volve ſoavemente imperioſi.
Quale la roſa al mattutino albore
Si meſce a' gigli in odoroſe valli
Tal delle molli guancie è il bel colore;
Nè i purpurei marittimi coralli
Che peſcare ſi ſoglian più perfetti
Là ve dall' onde il ſol tragge i Cavalli.
Il fiammaggiar dei labri tumidetti,
Onde la bocca dolcemente ſporge
Sorridendo, eguagliar ſarieno detti.
Aureo ſplendor da nivei membri ſorge
L'albergo ad avvivar sì che vedrai
L'occhio abbagliar, che a pena il bel vi ſcorge.
Pure, ò mi par, tra mille acceſi rai
Stuol di vaghi Angioletti ei ſvela a canto
Al ſuo Signor, e tu li ſcorgerai.
Chi le manine a molle piuma in vanto
Eguai tra le ſue prende, e le avvicina
Al labro per temprarne il gelo alquanto.
Altri intorno al Preſepio umil ſi inchina,
E sù i vanni vi ſtende in varie forme
A ripararlo da l'algente brina,
Ed un di loro a l' adunate torme
Co l'appreſſar lieve a la bocca un dito,
Tacete; par che dica; egli ſen dorme.
Ma che tardi, Elegia, dove ti addito
T' accoſta pur, ma in te raccolta, e umile,
Se il tuo contegno vuoi, che ſia gradito.
Vienne, e pompa non far di ingegno, o ſtile,
Ma ſol dì al bel Fanciullo; il mio Signore
M'offre a te in dono; che ſe il dono è vile,
Non guardar lui, ma di chi dona il core.

TRADUZIONE DELL' ABATE EMMANUEL DE AZEVEDO.

Collis adeſt facili clivo prope mænia Bethlem,
  Ruſtica qua feſſo ſtat domus apta bovi.
Canna levis, juncuſque parant ignobile tectum,
  Sunt ſedes, lectus, ſtramina, & eſca ſimul.
Corniger hic recubat rus ſcindere fortis aratro,
  Eſſe comes lateri pauper aſellus amat.
Vix tenebras minuit Phœbi penetrabile lumen,
  Qua fiſſura brevem linquit aperta viam.
Sed fruſtra nocte irradiant vaga ſidera cælo,
  Nigra per obſcurum ſpargitur umbra locum:
Hic rerum dominus mortales induit artus,
  Cum gravius torquet corpora triſtis hyems;
Huc mea non inter magnos Elegeia Reges
  Auſa veni; agreſtes excipit ille viros.
Aſpice quot titulis niteat laudabilis Infans,
  Et quanto abjectum creſcat honore ſpecus;
Aſpice quam fixa in puerum ſint lumina Matris;
  Quam blanda arridens torqueat ora puer.
Lucidiora aſtris, & gemma oriente profecta
  Ex oculis Divus ſpicula vibrat amor.
Spicula, quæ Numen quamvis ſuaviſſima fecit,
  Impete certa volant corda ferire ſuo.
Prato miſta roſis ut candida lilia vernant,
  Sic fulget nitidis gratia viva genis.
Eruta fæcundo rubicunda corallia ponto,
  Qua primum ardentes ſol movet acer equos;
Non bene labra notant, nam flammea dulce rubeſcunt;

Am-

Ambroſiam riſu ſpargere viſa ſuo:
Tanta loco lux eſt, ut nec diſcernere poſſes
  Omnia, nec ſpargit quod puer ipſe jubar.
Attamen Angelicas video exultare phalanges,
  In Domini obſequium, quod ſimul ipſa vides.
Ille manum accipiens, reverenter ad oſcula pronus
  Temperat ore ferum flante reflante gelu.
Aſt alii auratis circum præſepia penis
  (Serpere qua poſſet ſæva pruina) volant.
Lactea membra ſopor ſi mulceat, ille ſodales
  Preſſa tenens digito labra, tacere monet.
Summe animos; quid lenta moras Elegeia ducis?
  Dona ferunt alii, Cor quoque ſiſte meum.
Qui mare, qui terras, qui condidit omnia, cunctis
  Qui modo ſponte caret, corda puellus amat.

CANZONE I.

ECcò il mattin di rose
Che obliquo da man destra
Batte nella finestra
Che incontro al Monte stà,
E ne le ruggiadose
Stille sparse d'intorno
Al suol di fiori adorno
Specchia la sua beltà.
Lascia le pigre piume,
Mia Bella, in abbandono;
Sì dolci ore non sono
Così da trascurar.
Giova al diurno lume
Goder la piaggia allegra,
Poi quando questa annegra
Giova di riposar.
Non sottran' quì ai sopori
Notturni le fugaci
Ore sceniche faci,
O comica finzion.
Nè a legge dei sonori
Tasti musici accenti
Piacevoli argomenti
Di lunghe veglie son.
Nè men quì Amor segreto
Fuggendo chi il conosca
Tra la quiete fosca
Desta ti dee tener:
Sempre solingo e cheto

E'que-

E' quì l' agreste loco;
Per l' amoroso gioco
Non v' à del dì a temer.
Il raggio penetrante
Del sol pur quasi ignaro
Saria del piacer raro
Di un reciproco Amor;
Quando il mio cor costante
Quà almen non isdegnassi
Ve tra quest' ombre, e massi
Non ai scelta miglior.
Degli augelletti i versi,
Il sussurrar del rio,
Il placido ronzio
De l' Api in fra gli odor,
Ai sensi ebbri, ed immersi
Ne l' amorosa gioja
L' estro, l' ardor, la foja
Ravviveriano ognor.
Ahimè! sperar mio vano.
Tu l' Amor mio non prezzi
Cui sol co' dolci vezzi
Potresti oggi blandir.
Dunque qualor lontano
Febo il suo carro regge
Del sonno sol la legge
Ti resta da seguir;
E quando il suo baleno
L' Oriente colora,
Uscir per tempo fuora
Del pigro letticciuol;
E coricata in seno
De le dipinte erbette
Spirar le nove erbette

Udendo l' Usignuol.
E' questo il piacer solo
Che offre l'agreste vita
Da molti preferita
A quai più gaje son;
Come gli augelli il volo
Aman pei larghi prati
Più, che fra ferri aurati
Di nobile prigion.
La lunga chioma folta
E bionda, e riciutella
Quì in naturali anella
Cader più vaga può,
Che se fissa, e rinvolta
Da cento spille, e nastri
Fra polverati impiastri
Il suo color cangiò.
E quì del Batavo ago,
Le bianche reti fine,
Che del seno il confine,
O i polsi aman lambir,
Non contendono al vago
Collo, e al braccio di neve
Mostrar che lor si deve
Suo pregio preferir.
Nè quì d' indocil busto
L' artificioso incarco
Uopo è che prema in arco
I fianchi, il petto, il sen;
Mentre lo snello, e giusto
Comparto de' bei membri
Qual per natura assembri,
Più che altro Ti convien.
Lo strascico importuno

Del

Del gonnellin di seta,
Che pone ai guardi meta
D' ingordo cittadin;
Quì fra lo sterpo, e 'l pruno
Inciampo ti sarebbe,
Nè alcun ufficio avrebbe
Pel libero cammin:
Fuor che di sparsa greggia
Qualche capretto, o agnella,
Cui scalza Villanella
Suol col vincastro unir;
Occhio quì, che ti veggia
Non puoi temer lascivo,
Quà sin Diana al rivo
Nuda porria venir.
Ma quì l'animo, altero,
Che fra uno stuolo amante
Ti fa gonfia, e sprezzante,
Convienti anco depor:
Tempo non è d'impero
Mentre cader non vedi,
Moltiplice a' tuoi piedi
Il vulgo adorator.
Se queste vie di eguali
Marmi non lastricate,
Brami, che sien segnate
Dell'orme tue talor,
Senza che gli animali
Pe' vicin prati sciolti
Con non usati volti
T'imprimano terror;
Senza che i piedi molli
Soffrano affanno, e pena,
Perchè la debil lena

In lor venga a mancar,
O giù dai curvi colli,
Dall' alte parti all' ime
O su per l' erte cime
Sovente in trapassar.
Pur di robusta scorta,
E fida ti abbisogna;
Nè aver di me vergogna;
Scelta quì a far non v' è.
L' olmo la vite porta
Che a lui debil s' abbranca,
Sì donna imbelle, e manca
L' uomo lasciar non dè.
Dunque perchè superba
Tu l' appoggio non chiedi
Di chi solo atto vedi,
E pronto al tuo voler?
Se mostri a me sì acerba
La faccia, e schivi i gesti,
Chi vuoi fra queste agresti
Sedi a' tuoi cenni aver?
I morbidi Garzoni
Che al mento non han pelo,
E spuntan da lo stelo
Di prima gioventù;
Con lusinghieri suoni
Quì di proteste umili
A' tuoi inviti gentili
Non recan servitù.
V' servon popolosi
Della Città ridotti,
Son dal piacer condotti
A spender meglio i dì,
V' gli abiti sfarzosi

Ne'

Splendon d'argento, e d'oro
Sul Batavo lavoro,
Che or or da l'ago uſcì,
Con cappellin piumati,
Con profumati guanti,
E ſtretti da brillanti
Fibbie al collo, ed ai piè;
Da guardi innamorati
Vibrando auree quadrella,
Che in ſeno a queſta, e a quella
Volan, nè ſerban fe.
Ma Tu maeſtra d'arte
Nell'amoroſa treſca
Ridi, che in ciò mi meſca
Parlando in queſto ſtil;
Tu ſuoli una gran parte
Avere in queſta ſtoria,
Nè tu forſe la boria
Condanni giovanil.
Ora però, che fuore
Di queſto ſtuol ti aggiri,
Ai cupidi deſiri
Por devi alcun confin.
Sai ben che adoratore
Più di me fermo, e fido
In queſto agreſte nido
Non t'offre oggi il deſtin:
Ma ſai che ai gravi in onta
Diſpregi, che a gran torto
Dal faſto tuo ſopporto,
Che appien ridir non ſo,
Se pur deſtr'aura ho pronta,
Con che rifar miei torti,
Un cuore che comporti

Ven-

Vendetta in ſen non ho;
Nè lingua che trar gioco
Ami da tue pungenti
Cure con inſolenti
Motti, o col diſprezzar:
Tu ſai che molto o poco
Tutto è tuo quel che io vaglio
Senza anche il ſol travaglio
Di eſſer prima a cercar.
Che anzi m'ai ſempre intorno
Con lunghi, e ſpeſſi prieghi,
Perchè più non mi nieghi
Di ſervo tuo l'onor;
E che in ogni ora, e giorno
Fie, ſolo che tu 'l cheri,
Ch'io veneri i tuoi imperi
Qual ſingolar favor.

CAN-

CANZONE II.

FUor d'invida Cittade
Ne' ſpazioſi prati
Sul margo delle ſtrade
Da tutti quanti i lati
Naſcon i roſſi fiori,
E azzurri, e gialli, e d'altri bei colori.
Ivi all'aprir del giorno,
Appena il ſole i mira,
Per tutta l'aria intorno
Alma fraganza ſpira,
E l'api da lor vanno
A corre il ſucco, onde poi il mel ne fanno.
Ma ſe dentro ai giardini
Della Città ſi vuole
Nodrire gelſomini,
Annemoli, viole,
Una fatica immenſa
Spendeſi, cui po' il frutto non compenſa.
Di color così vivo
Di odor che tanto duri
Ogni fior reſta privo
Fra' cittadini muri,
Dove men l'aria, e 'l raggio
Si diffonde, e riſplende in ſuo vantaggio.
Gentil Ninfa vezzoſa
Segue l'effetto iſteſſo
Che veggiam nella roſa
Ancor nel voſtro ſeſſo.
Non ponno le Cittadi

Pari alla vostra generar beltadi.
Non mai latte materno
Le figlie a succhiar hanno,
Ma del servil governo
In pieno arbitrio stanno,
E chiuse in cella avara
Di aria, di libertà salubre, e cara.
Pel tenue cibo il sangue
Entro sue vene lento
Lascia pallida esangue
E fronte, e guancia, e mento,
E sola, e nuda pelle
Veste le gote, il collo, e le mammelle.
Non corretti gli umori
Per ristagnante bile
D'infetti atri colori
Ingombran la sottile
Faccia, e'l crine sparuto
Innanzi al tempo suo divien canuto.
Oh miserelli Amanti
A cotai Donne schiavi,
Di questa mia gl'incanti,
E i vezzi almi soavi
Se rimirar poteste
Gli altrui difetti al paragon vedreste!
La chioma sua vedreste
Quasi spiga matura
Allor, che il Sol la investe
In estiva pianura,
Ch'è pegli agricoltori
Ricchezza, e premio ai lunghi lor sudori.
Sopra collo di latte
Scherzan le treccie bionde,
L'aura che le combatte
Tra

Tra queste quel confonde;
Tai parrien framischiate
Farine delle due messi più grate.
Nè solo al latte assembro
Al latte espresso or ora,
Oltre il collo ogni membro
Ch' ai de le vesti fuora,
O Fanciulla graziosa,
Ma credo tal anche ogni parte ascosa.
Sovra candor cotanto,
Che a niun confronto cede,
Come par raro incanto
A chi rosseggiar vede
Due guancie, onde l' Aprile
Non sbuccia rose di color simile.
E quai due pomi dolce
Succo offrono al palato,
Quando il sol, che li folce
Li fa rossi da un lato;
Tali se mai le tocca
Son dolci quelle guance a maschil bocca.
Siccome d' uva omai
A sua negrezza giunta
Son duo granelli eguai
Che quando il sole spunta
Con sue vive scintille
Sparsi rinvien di ruggiadose stille,
Ed egli in quell' umore
Specchia la faccia opposta,
E fa che più dia fuore
La sua negrezza ascosta,
E ghiotta ai sensi brille,
Tali adescando brillan tue pupille.
Quai se schiude talora

La melagrana il ſeno,
E miraſi al difuora
Il frutto onde l' ha pieno
Delle eguali granella
Spuntante ognuna fuor della ſua cella;
I denti tuoi ſon tali
Schierati in pari ſtiva,
D'intorno lievi, eguali
Alla roſea gengiva,
Se non che lor bianchezza
Supera ogni color, che più ſi apprezza.
Quai ſono le odoroſe
Montane fragolette
Più acceſe delle roſe,
E gonfie, e tumidette,
I labbri tuoi ſon tali,
Ed in dolcezza ancor lor ſono eguali.
Ma per farne le prove
Convien, che amico Amore
Preſente anch' ei ſi trove
E preſti il ſuo favore:
Color che ai dolci baci
Invita Amor ſieno del ver capaci.

CAN-

Canzone III.

AMor fè a Giove correre
Il falso umido calle
Con le corna a le tempia
Curvo le auguste spalle,
Amore i chiostri ferrei
Del Regno de la morte
Aperse al Rege Stigio
Che tor volea Consorte!
Amor la mano di Ercole
Spogliò de la sua clava,
E il diè compagno ad Onfale
Che il canape filava.
Sotto il dardo infallibile
Di quell' Arcier audace
Lasciano Numi, ed Uomini
Del cor la cara pace.
A te pur, Donna, incognito
D' Amor non è il potere,
A te di cui sempre abita
Ne le pupille altere,
Di cui per domar servesi
I petti più severi,
Con cui divide poscia
Le conquiste, e gli Imperi.
Ma al fasto insaziabile
Tuo feminil non basta,
Saper che col capriccio
A la virtù sovrasta;
Che anzi gode di intendere

Re-

Replicar da ogni bocca,
Che langue ogni cor misero
Se tua pietà nol tocca.
Perciò meco tu simuli,
E con lanciato motto
Dici: chi siegue Urania
Non è da Amor sedotto.
Quasi ognor di fantastiche
Idee piena mia mente
Trascurasse in suo rapido
Vol l'oggetto presente.
Tu menti: non è indocile
Non di beltà nemica
La mente che si logora
Con parnassia fatica.
Di Peneo in riva Apolline
Pianse, di Stige Orfeo
E in lor più che gli armonici
Studj l'Amor poteo.
Non può viver un'anima
Per l'intelletto solo
Insin che non si separa
Dai pigri membri a volo
Nè i dritti suoi contendere
Può al cupido appetito,
Che trae col suo solletico
Sin lui dal suo partito.
Ora se questa è stabile
Di mia Natura legge,
Io pur rispetto, e adorola
Qual tutto il Mondo regge.
E'ver, che le recondite
Strade talor del vero
Di rintracciar dilettami

Sul

Sul Pegaseo destriero:
Ma poi che spessi aneliti
Pel gran travaglio rendo,
In frà i Pineti ombriferi
Di Pindo anch'io mi stendo.
E dà l'aurata cetera,
Che Erato diemmi in dono
Fò un'armonia distendere,
Ond'è il più puro il suono.
Ne'carmi miei veridici
Trasformo il pensier mio;
Quel bello onorar piacemi,
Cui sol volto è il desio.
Qualora dentro un tumido
Bel cristallino giro
Di un guardo vivacissimo
Lo scintillar ammiro;
Qualora i denti eburnei,
E il corallino labro,
E qualor di due guancie
Lodo il natìo cinabro;
Quando del petto turgido
L'alterne onde soavi,
E i gesti, e i vezzi celebro
Or disinvolti, or gravi:
Quando di austero orgoglio
Accuso l'indiscreto
Sussiego, e dei scherzevoli
Atti l'ostil divieto:
Quando detesto l'invido
Tarlo di un obblio ingrato,
Che rode il giusto merito
Con lunga fè cercato:
Unquanco non infingesi

Il mio ſincero canto:
A'verſi miei lo iſpirano
Le Muſe, e Apollo ſanto.
La indagatrice Urania,
Che dell'altiſſimo etra
Le ſtrade più recondite
Col forte occhio penetra,
Non è già meraviglia
Se talora anche dentro
A'labirinti guidami
Vè il cor femineo à centro;
Perciò il mio guardo anticipa
L'eſpreſſioni eſterne,
E d'un alma ingannevole
Le finzion diſcerne.
Benchè Amor di modeſtia
I coſtei labri pinga,
Tali color non vagliono
A ſedur me, s'ei finga.
Ma che mi giova l'intime
Forme ſcoprir d'un petto;
Se i nodi a ſuo capriccio
Tramò, co'quai m'ha ſtretto?
Se i giorni triſti, e languidi,
Le penſieroſe notti
Del par da Amor compartonſi
A' ineruditi, e a'dotti?
Quel ſol conforto debile,
Che ai meglio iſtrutti reſta
In mezzo al reo contagio
Che gli uni, e gli altri infeſta,
Queſto è ſol, qual ei ſiaſi:
Che ſe Amor del ſuo fele
Fà a'ſperti labri copia,

Noi

Noi nol gustiam qual mele,
La dolcezza, ond' ei spruzzalo
Scerniamo se sia pura,
O pur mendace pania,
Che al ver cangia Natura;
Onde il donnesco orgoglio
Tutto il piacer non goda
Che il trangugiato tossico
Lodiam, che poi ne roda:
Ma se unqua in sen di candida
Donna una fè risieda,
Che a vera gioja invitici
Degna, che se le creda;
E s'ella ai labri porgane
Nappo, che non asconda
Altro in se fuor che ambrosia
Pretta, stillata, e monda,
Allor sì a piene labbia
Succhiarla a noi pur giova;
Nè il solo palato ebrio,
Ma il cor nettare il trova:
A tal con istancabile
Spirito oh potess'io
Dedicar il residuo
Spazio del viver mio!
Che allor con quel che diedemi
Febo miglior pennello
Far vorrei eterna immagine
D'Amor sì raro, e bello,
E mi darìa la gloria
I più vivi colori,
Acciò che eterno specchio
Fosse il mio agli altri Amori.

CANZONE IV.

PErchè il crine unto di odori
Non infiori
Con viole, con giunchiglie;
Ma de l' Indiche conchiglie
Con le figlie,
E con gl' Arabi tesori;
Perchè a l' Agne il vello tolto,
E poi svolto
Da la rocca a lenti fusi,
De le molli membra agli usi
Far ricusi,
Qual io so, rustico involto;
Ma del Baco il guscio a fili
Più sottili
Destramente snocciolato;
Manto tessi delicato,
Cui di aurato
Fregio il lieve orlo profili;
Quando vedi che il mio core
Ad Amore
Rustican si allegra, e ride;
Se così tra se sorride,
Mi deride
Quel tuo labro sprezzatore;
Chi de' Batavi aghi a stento
Ornamento
Non fà ai polsi,o al sen velato,
Nè capello preme alato,
Nè al fasciato

Stret-

Stretto collo dà tormento,
Nè imprigiona le gambe atte]
Fra or ór tratte
Sottil reti a subbio giuso;
Nè fra liscie cuoja il chiuso
Piè, cui suso
Fibbia brilli, e ben si adatte;
Se a' tuoi lumi pur si affaccia,
Che ti spiaccia
Mostri pria fastidiosa,
Poi da sua vista nojosa
Con ritrosa
Man ti fai schermo a la faccia.
Ma se spesso il vigor langue
Freddo esangue
Sotto foggie sì gioconde,
Piace a me chi non asconde
Qual le tonde
Nude vene gonfia il sangue;
E a la gamba nerboruta
Qual l'irsuta
Coscia sopra ben s' innesta;
Qual la pianta agile, e presta
Salta, e pesta
Poi la terra malveduta.
Dunque tu, che il crin di fiori
Non infiori,
Di più ricco Amor ti appaga;
Ma non rider poi sì vaga,
S'io son paga
De' più semplici mie' amori.

Per misto gaglio ai curvi orli si adatte:
Quà dunque lieto vivo, ove più cura
 Pomona à degli irrigui orti, che avuto
 Abbia mai dall' Esperide verdura;
I quai le larghe foglie del polputo
 Cardo, e del cavol gl'ampj fior fecondano,
 E del ritto sparagio il capo acuto.
Che se quei cibi che di succhi abbondano
 Vie più che semplici erbe, e pomo, e pesco,
 Nuovo appetito al mio palato infondano,
Uom quì meco si stà, che quanto a desco
 Giovi il sedere, intende, e d'ogni cosa
 E' mastro, che dia al ventre ampio rinfresco;
Egli a talento mio potrebbe a josa
 De gli aromi, che fan più saporito
 Il pranzo, darmi i generi, e la dosa;
Ma de la sola fame in me il prurito
 Giova assai più, che non un apparecchio
 Di profumi, e sapori il più esquisito.
Inoltre a me, cui trar giova col secchio
 La pura linfa, anzi che a' gran boccali
 Vuotar la Botte del Corbin più vecchio;
Un fonte quà di sì medicinali
 Acque sgorga, che il mio Fisico a paro
 Suole apprezzar di quelle minerali
De la Vergine, o Cilla, o Recoaro
 O s'altre v' han, a quai dia maggior fede
 Il men che i prischi secol nostro ignaro.
Or poichè omai più troppo non eccede
 La lunghissima notte il giorno breve,
 (Che al' eguagliarsi lor poco sì chiede)
Ma il lenzuol senza noja ancor riceve
 Del cavo tondo ordigno, in cui rinchiuso
 Stà il foco, lo discorrer lento, e lieve,

Stanza mal si convien del debito uso
  Più spaziosa, dove al tuo soverchio
  Spirare, o Coro, è più che un varco schiuso,
Se a sue pareti pur faccian coperchio
  Arazzi intesti, e tele peregrine,
  E dai fregi a finestre, e a porte in cerchio
Sporgenti, pendan gonfie le cortine;
  O tendan padiglione intorno al letto
  Di coton Perso, o sete Damaschine;
O de l'origlier soffice a rimpetto
  Sostengan doppj nastri il fido specchio
  D'oro, e vernice entro bel cerchio stretto.
Più angusto ò quì, ma più tepido nido,
  Contra il cui sol balcon vento non fiede,
  Ma Febo il mira da l'Africo lido.
E poi ch'io soglio cieco, ov'uopo chiede,
  Divorare la via meglio, ch'il cane
  Che belve caccia, quà incappar il piede
Nel succinto vestir de l'Ortolane
  Non temo, come ne le lunghe code
  De le festive Venete sottane.
Quì se il furor Poetico mi rode,
  Come talvolta, mia giovane Musa
  Tra i solinghi ozj più si pasce, e gode.
Ad ogni uman commerzio quasi chiusa
  Par questa stanza, ma di quà la vista
  Per mille agresti scene erra diffusa.
La Città tutta (poi ch'oggi va' in lista
  Bassano di Città, benchè 'l primiero
  Vanto in seco partir Vicenza è trista)
Bassano, i'dico, che come abbia impero
  Sul fiume Brenta, lui preme di un ponte,
  Si scopre in verso il più freddo Emispero,
Ma da la parte, che stà opposta al Monte

Si

Si cuopre il ſuol di cento piante, e cento,
Sacre al Dio, che Arianna involò a l'onte.
L'ingegno a l' eſca di Febeo concento
Par ch' ogni coſa inviti, e nol moleſta
Quì d' importuni bronzi aſpro tormento;
Che ai Cittadini ogni ripoſo infeſta.

MAGNUS FEDERICUS PRUSSIÆ REX CONCELEBRATUR.

O Simul & muſarum, & maxima cura ſophiæ (*a*)
O docti quicquid noſcere fas homini,
Lilia quos non auguſta retinere ſub umbra,
Adriacis potuit vel Thetis ipſa vadis,
Uno, Volteri, quo nunc ſe Gallia jactat,
Atque, Algarotti, gentis honor Venetæ;
Felices animæ; miracula cum ad nova traxit
Virtus vos claro coſpicua in ſolio!
Et quæ narrabit ventura nepotibus ætas,
Nec veteres, credam, talia Avi memorant;
Talia Pruſſorum geſtit modo viſere litus,
Si juſtam referat publica fama fidem!
Atque refert; jurant omnes, queis docta libellos
Haurire eſt veſtri fas opera ingenii;
Nam licet adverſus totus contenderet orbis,
Veſtrum pro innumero conſilium orbe foret.
Vos etenim laudis præclara ad ſerta volantes
Excepit paucis ſemita trita rotis,
Inde & in immenſa exultantes detulit arva,
Quo ſtant egregiis paſcua lecta viris.
Natura hic dat enim cunctorum exordia rerum
Cernere, quo ignari deficiunt oculi.
Hic dant pacificum muſæ decerpere Laurum

Mel-

Melpomene, Clio, Calliopeque soror:
At nunc Calliope primum sit gloria vobis;
Vocalem inflato quæ facit ore tubam.
Nunc enses fulgent, & bellica signa; sodalem
Nunc vestri Federicum otii ad arma trahunt:
Sat vestros magnum sit Regem attendere lusus,
Regali dum non indiget orbis ope.
At mox (conspicite) heu! bella insidiosa quieti
Fulmine terrifico instructa minatur avis.
Undique & indocili populus clamore sequutus
Aptam ad furta manum Prusiæ in arva parat
Excita instructas cui jungit Gallia turmas,
Et sylvis properans Moscua vasta suis.
Scilicet ut doleat missum Germania fulmen
Acrius in proprium mox resilire caput.
Hinc abiisse Ducem non apta est causa querelis;
Nam vestræ laudi consulit, atque suæ:
Qui rediens cuncto clarus pæne orbe subacto,
Sugeret immensam carminibus segetem.
Carmina dein seclis vestra exoptanda futuris
Non solum eximiæ munera mentis eant:
Sed Federici vestro consignata labori
Perrara æternum gloria ubique sonet.
Inde & festinet series augusta Nepotum
Exempla egregii discere Avi, atque Ducis.

RU-

(a) *Algarottus & Volterius.*

RUSTICATIO.

ABsentem tristi dirimunt me rura puella;
Omne tenet merito perfida rura malum.
Nec micat, infectis nisi polluat ignibus ardens
Phæbus inexplecta corpora fessa siti,
Sæpius at certe nimbis hyemalibus illi
Occupat æstivam nox tenebrosa viam;
Aut sero Vesper, matutino aut Lucifer ortu
Iste mihi ignotus surgit, ut ille cadit.
Jam facies horret prati, jam linquit aquarum
Luxurie elutas lenis odor violas.
Quæ & recreant avidos in ramis poma colonos,
Sparsa dat exutis terra sub arboribus.
Et stipula inflexæ viridis marcescit aristæ,
Estque Auster tanti proxima causa mali,
Qui nebulas cogens, madidis dum corruit alis,
Non sat firma novæ germina quassat humi.
Quare, si sapiam, villas vitare cavebo,
Ni malit campis esse puella comes;
Oh comes hic adsit potius, perque otia lenta
Turbas curarum femina posthabeat;
Protinus aspiceres & qua rus divite pollet
Lætitia, & puro quantum in amore favet.
Orbe & Romanus domito secederat arvis
Inter aratores ferrea rastra pati.
Innocui mores tunc, atque salubribus herbis
Vita per extremam sedula canitiem.
Si versare solum a nobis, vel cogere tauros
Usus non æquum mollibus arcet opus,
Si jubeas, saltem his manibus non dulce tecusem
Lac ovis extentis ducere ab uberibus;

Aspe-

Aspera & educto miscere coagula, perque
  Fiti texta sero raram aperire viam.
Arboris innixis gradibus conscendere culmen,
  Fœtibus & ramos expoliare novis.
Carpere quæque hortus mihi rustica dona ministrat,
  Ut foret ad nutus copia multa tuos;
Ut nec ad arbitrium famulorum mensa referta
  Sit, neve agresti simplicitate vacet,
Neve ut inæqualis multa ratione saporis
  Fors lædat succus implicita herba mali.
Et tibi non Austri rabies, non forte timenda
  Ab Jove quæ terras fulmina missa petunt,
Neve ut Sol medius teneros imittis inuret
  Artus, neve inhianti ardeat ore sitis.
Tunc requiescet ager, placido tunc Mater Amoris
  Lumine per cælum mitia jura dabit,
Sponte sua innumeri perflabunt arvaque flores,
  Deficiet summum messor & inter opus.
Atque procul spiculis veniens, arcuque relicto
  Vel sua telluri Numina flabit Amor.
Sed potius nostris ut inhæreat usque medullis;
  Ruris semotis tertius ille locis.
Seposito aut antro, aut patulæ sub tegmine fagi,
  Pratave Medoacuus quo bene picta lavat.
At tunc quanta forent dulcissima gaudia nostræ
  Vitæ, unus testis dicere posset Amor.

IN-

INGENIUM AD MUSAS, ET MARTEM.

DEserit heu! primæ dum me ver dulce juventæ,
Tam sero ecquidnam, Mars, tua in arma vocas?
Quidve mihi præfers famæ vexilla, tenellis
In me quæ ex annis vindicat arbitrium,
Famæ, lactenti quæ dum compellere lingua
Nescirem matrem, sive vocare: pater,
Sola exinde suo mea pectora nomine inhærens
Visa est optanti non inimica mihi,
Namque meum veniens nemoroso e vertice Pindi
Abluit os lactis Calliope madidum,
In lucum & rapuit, quo molles herbaque, & umbra,
Atque susurranti pumice limpha fluit.
At totidem virides sortita novena sediles
Turba puellarum mollior antra colit,
Quas circum impliciti Peneja fronde frequentant
Vates, stantque omni singula pletra choro,
Quorum olim sonitu fidicem vel tigribus atris
Orfea narratur composuisse minas:
Nec pariter cuncta, at variis rationibus auram
Fingunt, quæ admisso pectore corda regit.
Hoc elegis aptum, movit illud bellica ad arma,
Atque aliud Baccho, vel tibi servit, Amor.
Musica & his circum discordibus evolat aura
Cantibus, at discors non ut & ipsa sonet.
Discordi patiens se nulla accomodat auris,
Hæc tamen est magno digna placere Jovi.
Nos etiam hanc prope sedem non ignaviter ævum
Duximus, oh nobis ducere & usque foret!
Ast alias rapimur; visa est nunc pectina labi
Oblitis manibus, linquere & ora sonus.

Miti

Miti quæ male conveniunt tractanda Poetæ
  Ingenio, mihi nunc ensis, & hasta juvant.
Ballerophontæum non dorsum ascendere; præstat
  Quadrupedem armatos inter adire duces.
Sentiat ille manus frænum moderantis, & una
  Sit Domini lenis tergore membra pati,
Et ferre impatiens nunquam calcaria discat,
  Sola novis valeat conscia vox stimulis,
Sive æquabiliter moderato incedere passu,
  Ales per præceps currere vel studeam;
Læva regat frænum, dum dextera fulminet ense,
  Atque omne adversa in pectora noscat iter,
Et vigilet gladii hostiles illudere nisus,
  Non custoditum vel ruat in spatium;
Semita ad optatum breviter manet unde cruorem,
  Inque aliam ex una haud cæde moretur opus.
Hocce mihi cupio studium, perque otia lenta
  Torpere haud calido membra labore queant.
Sunt etiam tractandæ hastæ, vel bellica signa,
  Sic nunquam ingenitus deseret ossa vigor.
At dum sudamus vexillis ludere & hastis,
  Intentis semper cogimur esse oculis.
Longius atque manus nusquam, vel passus aberret,
  In caput ex alto dum metuenda ruunt.
Sæpe etiam strictis placeat, vel lege solutis
  Per celeres choreas membra agitare modis.
Sint etiam incompti certamina mutua saltus,
  Sive per alternos brachia vincta viros.
At vos æternum Aoniæ salvete puellæ,
  Dignis unde actis gloria prima venit,
Ut mea si quando fama huc pervenerit, æqui
  Vestra mihi decoris non sit avara Lyra.

PRO-

PROSPECTUS TOMI PRIMI.

D.Jo:

Index Alphabeticus, & errata corrigenda in fine T. II.

